CODEX
DIPLOMATICUS POLONIAE.

KODEX
DYPLOMATYCZNY POLSKI

OBEJMUJĄCY PRZYWILEJE

KRÓLÓW POLSKICH, WIELKICH KSIĄŻĄT LITEWSKICH
BULLE PAPIEZKIE

JAKO TEŻ

WSZELKIE NADANIA PRYWATNE

MOGĄCE POSŁUŻYĆ DO WYJAŚNIENIA DZIEJÓW WEWNĘTRZNYCH KRAJOWYCH

dotąd nigdzie nie drukowane, od najdawniejszych czasów aż do roku 1506

WYDANY

ZA STARANIEM I PRACĄ

LEONA RZYSZCZEWSKIEGO

I

ANTONIEGO MUCZKOWSKIEGO

Adjunkta Archiwum Głównego Królestwa Polskiego.

TOM DRUGI,
CZĘŚĆ PIERWSZA.

W WARSZAWIE.

Drukiem Stanisława Strąbskiego,
przy ulicy Daniłowiczowskiéj Nr. 617, w dawnéj Bibliotece Załuskich.

1848.

CODEX
DIPLOMATICUS POLONIAE

QUO CONTINENTUR PRIVILEGIA

REGUM POLONIAE, MAGNORUM DUCUM LITVANIAE
BULLAE PONTIFICUM

NEC NON

JURA A PRIVATIS DATA

ILLUSTRANDIS DOMESTICIS REBUS GESTIS INSERVITURA

adhuc nusquam typis exarata, ab antiquissimis inde temporibus usque ad annum 1506

EDITUS

STUDIO ET OPERA

LEONIS RZYSZCZEWSKI

ET

ANTONII MUCZKOWSKI

Adjutoris Varsaviensis Tabularii Publici Regni Poloniae.

TOMUS SECUNDUS,
PARS PRIOR.

VARSAVIAE.

Typis Stanislai Strąbski,
vicus Danilovicianus Nr. 617, in aedibus quondam Bibliothecae Zaluscianae.


1848.

Wolno drukować, z warunkiem złożenia w Komitecie Cenzury, po wydrukowaniu, prawem przepisanéj liczby exemplarzy.

W Warszawie, dnia 24 listopada (6 grudnia) 1847 r.

Cenzor,
L. T. Tripplin.

Exemplarze, podpisem poniższym nieopatrzone, jako przedruk nieprawny, poszukiwane będą.



PRAEFATIO.

PRZEDMOWA.

Gorące oczekiwania i życzenia nasze, jakie w przedmowie tomu piérwszego objawiliśmy, pomyślnym zostały uwieńczone skutkiem. Zbiór materyałów nam dostarczonych znów się powiększył, i to tak znacznie, iż może bezpiecznie wystarczyć do ułożenia i puszczenia w świat czterech lub pięciu następnych tomów.

Liczne są i ważne źródła, jakiemi nas zasilono. Byliśmy nawet tyle szczęśliwymi, iż nam dostarczono przywilejów ściągających się do jednéj wyłącznie prowincyi. Prowincyą tą są KUJAWY. Mając razem zebrane przywileje tyczące się téj prowincyi, postanowiliśmy je w jednym tomie obok siebie zamieścić. Wszakże nie do samych tylko Kujaw odnoszące się przywileje zamieściliśmy w tym tomie, boć i przywileje Mazowsza, jako prowincyi, z któréj wyszli Książęta Kujawscy, tudzież przywileje tyczące się dawnego Województwa Łęczyckiego, nad którém ciż sami co i nad Kujawami Książęta panowali, nadto przywileje Książąt Ziem Krakowskiéj, Sandomirskiéj i innych, jeżeli te tyczyły się nadań dla Biskupów Kujawskich czyli Włocławskich, a nawet i Książąt Pomorskich, jako panów Pomorza, prowincyi zostającéj pod władzą duchowną Biskupów Kujawskich, znalazły tu miejsce. Pragnąc zaś zbiór nasz przedstawić w zupełnéj całości, przywiedliśmy treść wszelkich dokumentów mających związek z przywilejami nateraz przez nas wydającemi się, jakie w innych dziełach nam znanych drukowane się znajdują, i dlatego téż nawet przywileje z piérwszego tomu dzieła naszego są tutaj przytoczone.

Gdy zaś z tego powodu całość materyałów powiększyła się do tego stopnia, iż wszystkie przywileje w jednym tomie zamieścić się nie mogły, widzieliśmy konieczną potrzebę podzielenia tego tomu na dwie części. Obecnie puszczamy na widok publiczny tę piérwszą część, za którą ukaże się niebawem część następna, już w druku będąca.

Do zebrania tak bogatych źródeł dopomogli nam głównie: Wacław Alexander Maciejowski i Kazimirz Stronczyński. Z tych piérwszy dostarczył nam odpisów tych wszystkich przywilejów, o których w notach wspomnieliśmy, jako o pocho-

quodam tabulario privato in Regno Galiciae asservari; posterior vero cura sua non solum id perfecit, ut nobis archetypa tabularii capituli Cujaviensis sive Vladislaviensis describenda concederentur, verum etiam obtulit nobis a se descripta apographa tabularum, quae in Posnaniensi tabulario, privilegia sublatorum Magni Ducatus Posnaniensis coenobiorum continente, custodiuntur. Viris his amplissimis maximas, easque meritissimas gratias agimus, quamvis officium eorum majus sit, quam ut eis par verbis gratia referri possit.

Merito dolendum est, per discessum ab urbe Varsavia clarissimi Josephi Rusiecki aditus ad ejus copiosam tabularum collectionem nobis interclusos fuisse, attamen promisit ille nobis, se reducem omnes tabulas suas in usum nostrum concessurum esse.

Minime dubitamus, nobis in continuando nostro opere non defuturos esse novos ignotos fontes; verum tamen omnes, quicunque nos adjuvare cupiunt, rogatos esse volumus, ut, si nobis archetypa describenda committere non possent, saltem confecta a se apographa diligenter et accurate cum archetypis conferre vellent, namque experientia edocti cognovimus, quam parum prosint apographa, si iterum iterumque cum archetypis suis non sint collata.

Codicum diplomaticorum auctoritas tunc demum obtinet fidem, si archetypa accuratissime sunt typis descripta, unde sequitur maximam curam tollendis erratis insumendam esse: quod tamen nullo meliori modo effici potest, quam si praeter apographa, diligentissime in usum typothetarum descripta, archetypa semper sint ad manum ejus, qui plagulis emendandis praeest. Maximopere itaque nobis exoptandum foret, si archetypa nobis tamdiu committi possint, dum liber integre typis describatur; ita enim omnes difficultates, quae nonnunquam oriuntur, superari, et scrupuli, qui injiciuntur, ne opus tam magni momenti minus emendate descriptum vulgetur, praecidi possunt.

Regesta ejusmodi, uti primo tomo adjecta inveniuntur, ob commodiorem usum, posteriori demum hujus tomi parti subjungentur, aeque ac addenda, quae necessaria videri poterunt.

Corrigenda, quae nunc deprehendimus, sequens pagina indicata exhibet.

Varsaviae d. 1 Novembris 1847.

CORRIGENDA.

Pag. Versus.

8 4 ab imo. Pro Michaëlis *legatur* Nicolai

13 5 item. Pro 1236 *l.* 1234.

16 16 Orciancham *l.* Druancham.

19 nota 4 versus 1. Parkane, nunc Parchanie villa territorii Bydgostiensis, regionis Juniwladislaviensis.

nota 6 versus 1. Dobrogoszczyce villa territorii Bydgostiensis, regionis Juniwladislaviensis.

27 vers. 2 Nonnulli historici secuti auctoritatem Bart. Paprockii probare voluerunt jam anno 1241 mentionem de urbe Varsavia fieri. Hac nostra tabula illud testimonium Paproccii ad irritum redigitur. Quae fides adhibenda sit alteri testimonio anni 1224, quasi antiquissimo de eadem urbe Varsavia, ex eodem auctore petito, facile conjicere licet.

34 nota 4 Intelligenda est potius villa *Sworowa*, in provincia et territorio Calisiensi, regione Wartensi sita, parrochiae Uniejoviensi adscripta.

47 vers. 13 ab imo. Pro vladiziauiensis *leg.* wladizlauiensis,

51 1 Pro XLII. *leg.* LXII.

7 XLIII. *l.* LXIII.

57 14 Pro „the(utonicorum)" *l.* the(utonicum)

15 Post vocem „civitati") deleatur vox „tali."

59 5 Post vocem „Paulicus" ponatur comma.

60 Tab. LXXIII. versus 5. Post vocem „Fratribus" deleatur comma.

80 nota 2 v. 1. Post vocem „castrum" deleatur vox „situm."

94 nota 5 v. 1. Non Trzechovo, sed potius *Tczew* (germanice *Dirschau*-Tresseu) intelligatur hic necesse est.

Pag. Versus.

95 vers. 10 Post vocem „Warlube" deleantur duo puncta, quae potius post vocem „Nove" sunt ponenda.

118 Tabula CXXXIX. Typothetae incuria omissus est integer versus: „Petricoviae, anno 1291 die 15 mensis Maji."

149 nota 2. Bartodzieje. Hic potius intelligenda est una villarum in territorio et regione Bydgostiensi sitarum, nimirum *Bartodzieje wielkie (Bartelsee)* et *Bartodzieje male.*

152 Tabula CLXXI v. 3. Pro Leszno *l.* Leszcze.

nota 3, Leszno *l.* Leszcze.

163 nota 1, v. 1. Pro Wladislavlensis *l.* Wladislaviensis.

nota 2, v. 1. Pro Brzeze *l.* Brzezie.

v. 5. remuneraturus *l.* remuneraturus

221 ver. 4 Pro illatas *l.* illata

225 Tab. CCXXXVI. Tabula haec typothetae incuria perperam hoc numero est notata, quum jam tabula praecedens p. 224 typis descripta, eo sit designata numero.

282 CCLXXXVII. v. 3. Pro constitutas *l.* constitutos.

351 Tabula CCCXXXIX anni 1398 perperam post tabulam CCCXXXVIII a. 1399 collocata est.

420 v. 10 Post vocem „apostolici" addatur vox „auditoribus."

14 Post vocem „spoliaciones" addatur vox „spolia."

421 19 Pro Johannis de Mela *l.* Johannis Gundissalui.

PRAEFATIO.

Quae cupidissime expetivimus, quaeque in praefatione tomi primi concepimus vota, eorum compotes facti sumus; copia etenim tabularum nobis oblatarum iterum adeo est aucta, ut digerendis et in lucem edendis quatuor vel quinque sequentibus tomis facile sufficere possit.

Varii iique maximi momenti sunt fontes, quibus adjuti sumus, idque non parvi faciendum est, quod nobis suppeditata sunt privilegia unam eandemque provinciam tangentia: scilicet provinciam Cujaviam dictam. Collectis itaque tabulis ad hanc provinciam spectantibus, non alienum a proposito nostro esse duximus, si eas uno volumine contentas in lucem edi curavissemus. Attamen non solum provinciam Cujaviensem tangentia privilegia in hoc tomo typis descripsimus, namque etiam documenta provinciae Masoviensis, unde Duces Cujavienses suam trahunt originem, tunc privilegia antiquae provinciae Lanciciensis, cui iidem, qui et Cujaviae praeerant Duces, porro privilegia a Ducibus Cracoviensis, Sandomiriensis aliarumque Terrarum profecta, eaque Episcopis Cujaviensibus seu Vladislaviensibus data, imo privilegia Ducum Pomeranorum, quum ii obtinerent imperium Pomeraniae, quae in ditione spirituali eorumdem Episcoporum Cujaviensium erat, hic complexi sumus. Volentes autem collectionem privilegiorum Cujaviensium omni numero absolutam recensere, argumenta omnium documentorum, nexum aliquem cum nostris habentium, in aliis operibus nobis cognitis typis descriptorum, attulimus; ideoque etiam argumenta privilegiorum primo tomo contentorum hic sunt a nobis laudata.

Quum autem hanc ob rem summa universorum documentorum adeo accrevisset, ut omnia privilegia uni volumini inseri non possent, hinc factum est, ut tomum hunc in duas partes dividere cogeremur. Nunc in lucem edimus hanc priorem partem, quam mox secutura est pars posterior, quae jam prelum subiit.

In colligendis tam copiosis fontibus adjuvarunt nos potissimum Venceslaus Alexander Maciejowski atque Casimirus Stronczyński. Eorum prior suppeditavit nobis apographa omnium privilegiorum, de quibus in notis mentionem fecimus, eadem in

dzących z prywatnego Archiwum w Galicyi znajdującego się, drugi nie tylko wyjednał nam same oryginały dyplomatów złożonych w Archiwum Kapituły Kujawskiéj czyli Włocławskiéj, ale nadto ofiarował nam przez siebie przepisane dyplomata z Archiwum Poznańskiego, obejmującego przywileje po zniesionych klasztorach Wielkiego Księztwa Poznańskiego. Czcigodnym Mężom tym składamy najżywsze i najzasłużeńsze podzięki, jakkolwiek przysługa ich wyższa jest nad wszelkie nasze oświadczenia dziękczynne.

Słusznie należy nam ubolewać, iż z bogatego zbioru Józefa Rusieckiego, z przyczyny wyjazdu jego z Warszawy, nie mogliśmy korzystać przy ułożeniu niniejszego tomu. Wszakże przyrzekł on nam po powrocie swoim użyczyć całego swego zbioru.

Nie wątpimy, że przy dalszém wydawaniu naszego dzieła, nie będzie nam zbywało na coraz nowych nieznanych źródłach; atoli zanosimy usilną prożbę do wszystkich tych, którzyby nas wspiérać raczyli, iżby, w razie niemożności nadesłania nam samych oryginałów, sporządziwszy jak najwierniejsze odpisy, byli łaskawi takowe z oryginałami porównać; wiadomo nam bowiem z doświadczenia, jak zwykle mały użytek odnieść można z odpisów, jeżeli takowe po przepisaniu nie zostały jak najsumienniéj sprawdzone z swemi oryginałami.

Powaga kodexów dyplomatycznych opiéra się jedynie na najwierniejszém oddaniu oryginałów; wypada zatém, że należy użyć największego starania przy utrzymywaniu korrekty: co jednak nie da się lepiéj uskutecznić, jak kiedy obok kopii, jak najwierniéj dla użytku drukarni sporządzonéj, utrzymujący korrektę ma ciągle przed oczyma same oryginały. Najpożądańszą zatém dla nas byłoby rzeczą, gdyby aż do ostatniéj korrekty oryginały mogły pozostać w naszym ręku; tym bowiem tylko sposobem mogą się dać usunąć wątpliwości, jakie się przy druku nastręczają, i uspokoi się obawa, aby nie popełnić jakich usterków przy wydawaniu dzieł tak poważnych.

Regestra tak samo ułożone, jak są przy tomie piérwszym, dla większéj dogodności dopiéro przy drugiéj części tomu niniejszego będą dołączone, równie jak i dodatki któreby się okazały potrzebnemi.

Omyłki, które nateraz dostrzegliśmy, wymienione są na następnéj stronnicy.

W Warszawie dnia 1 listopada 1847.

INDEX CHRONOLOGICUS

DOCUMENTORUM PARTIS PRIORIS TOMI II.

(Astegrisci appositi indicant argumenta tabularum jam in aliis operibus typis descriptarum in nostro Codice tantummodo laudatarum).

(*) Typothetae incuria numerus CCXXXVI perperam repetitus.

E . I N . . . . :

Q[ue] tum desideriis congruum impertiri suffragium. Quacirca

orius diac card Sci angeli .

✠ Ego

✠ Ego card sce marie in porticu ;

c card sce Marie in cosmydyn ;

✠ Ego

✠ Ego

Dat . M.c.xlviii. Pontificatus vero domni Eugenii . III . pp anni IIII .

I.

Rhemis, anno 1148 d. 4 mensis Aprilis.

Eugenius III. Papa ecclesiam Wladislaviensem in fidem et tutelam recipit, terminosque Episcopatus ac limites dioecesis Wladislaviensis ab Aegidio Tusculano Episcopo et Boleslao Duce Poloniae statutos, confirmat (¹).

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Warnero (²) Vlotizlavensi (³) Episcopo, eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario quodam privato in Regno Galliciae asseruatur, descriptum. Archetypon ipsum scriptum est in charta pergamena; sigillum, vulgo annulus piscatoris dictum, abruptum. Bulla haec typis est vulgata in Damalevicii opere: „*Vitae Vladislauiensium Episcoporum*" p. 32, tum etiam repetita in Hartknochii opere „*Preussische Kirchengeschichte*" p. 175, item in libro „*Preussische Sammlung*" T. I. p. 371, et in novo Codice Pomeraniae p. 39 Nro 17. Semper tamen, uti quidem nunc constat, ex exemplari mendoso erat descripta, quo factum est, ut de fide ejus nonnullis historicis scrupuli injicerentur: doctissimo autem editori operis „*Preussische Sammlung*" oblata sit occasio callidissime conjiciendi de ipsa bulla; conjecturae etenim illius viri, detecto bullae archetypo, approbantur. Quae omnia colligere licebit ex notis sequentibus.

(²) In indice episcoporum Cujaviensium ad annum 1148 nullum episcopum Warnerum (minus recte ab omnibus historicis Wernerum dictum) animadvertimus, verum tantum Svidgerum insignis *Grzymala*. Damalevicio tabula haec aliquam difficultatem attulit, quam, arte critica destitutus, neutiquam expedivit. Errorem itaque, quem invenit repetit; conjiciensque tempus, quo bulla scripta esset, falso adscriptum fuisse, sequitur Dlugossium, in serie chronologica ad annum 1171. episcopo Warnero duodecimum locum assignando: ipse enim haec profert p. 131 „Rudgerum secutus est Vernerus, ut vult Dlugossius a. 1171, sed cum in privilegio Vladislaviensis ecclesiae nomen expressum Verneri exstet a. 1148, in altiora tempora omnino ipsius episcopatus referendus est." Doctissimus auctor operis „*Preussische Sammlung*" hunc nodum ferme expedit his verbis: „ist die Urkunde richtig, so würde Werner im Jahr 1148 oder 1147 Bischof geworden seyn." Cum autem, ut nostra fert opinio, bullae hujus fides sit indubia, certo itaque affirmare possumus Warnerum nonum ex ordine episcopum fuisse, eamque dignitatem anno 1147, non vero 1171 adeptum esse. Alii fontes indicabunt, in aliis quoque episcopis recensendis peccatum esse.

(³) Vlotizlavia, Wladislavia (Włocławek, Władysławów, Leslau) urbs a Wladislao II. inter 1139 — 1148 a. condita. Sedes episcoporum Crusviciensium circa a. 1159 hic translata est, ex

Quociens illud a nobis petitur, quod ratjoni et honestatj convenire dinoscitur, animo nos decet libentj concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Quacirca, venerabilis frater, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, et *Vlotizlavensem* ecclesiam, cui, Deo auctore, preesse dinosceris, sub beati Petri et nostra protectjone suscipimus, et presentis scriptj privilegio communimus. Statuentes, ut terminos tuj Episcopatus, quemadamodum (sic) a bone memorie Egidio Tusculano Episcopo tunc apostolice sedis legato, et a Bolezlao nobili eiusdem terre duce statuti sunt (4), absque diminutione aliqua, tu et tuj successores in perpetuum possideatis. Quascumque preterea possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatjone fidelium, seu aliis iustis modis, deo propitjo, poterit adipisci, firma tibj tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec specialiter duximus exprimenda: castrum videlicet *Woibor* (5) cum omnibus suis appendiciis: ecclesiam sancte Marie in *Zavichozt* (6) cum castro *Lagou* (7) et decima eius, aliisque suis appendiciis. Nonum nummum de omnibus que soluuntur ecclesie sancte Marie de *Zondomir* (8) secundum polonicam iustitiam: prepositoram sancti Michaelis in *Cracouia* cum omnibus ad eam pertinentibus. Castrum *Kdanzc* (9) in Pomerania cum decima tam annone, quam omnium eorum,

quo tempore episcopatus Crusuiciensis, dici coeptus est Wladislauiensis v. Cujaviensis. Vide notam ad hanc vocem in indice Tomi I. nostri Codicis.

(4) De Egidio Cardinali et Legato vide quae disseruit Lelevelius in notis ad tabulam a. 1105 (1124) in opere „*Początkowe Prawodawstwo Polskie*" ab eodem Egidio episcopatui Cracoviensi datam. Attamen in illa tabula neque ecclesiae Cujaviensis, neque Crusviciensis, ulla fit mentio. Aliud itaque statutum ab eodem legato in rem ejusdem ecclesiae Wladislaviensis profectum fuisse necesse est, quum Papa tam diserte illud afferat. Idem apparet ex bulla Innocentii II. anni 1133 quae typis descripta est in novo Codice Pomeraniae p. 25 N^ro^ 12. In qua bulla Papa subjiciendo episcopatum Wladislaviensem potestati archiepiscopi Magdeburgensis, inter cetera de veteribus quoque suorum antecessorum ordinationibus hac in re promulgatis, mentionem facit.

(5) *Wolborz* oppidum et castrum regionis Petricoviensis.

(6) *Zawichost* oppidum regionis Sandomiriensis.

(7) *Łagow* castrum et oppidum palatinatus Sandomiriensi, regionis Opatoviensis. Dlugossius narrat: Wladislaum Hermanum, deprecante uxore ipsius Judita, castellaniam lagoviensem cum suo districtu ecclesiae cujaviensi dono contulisse a. 1085. Elisabeth regina Poloniae et Hungariae privilegio anni 1375, villam Lagow in oppidum permutavit.

(8) *Sandomierz* (Sandomiria) urbs, provinciae ejusdem nominis caput.

(9) *Gdańsk* (Gedanum) germanice Danzig.

que de nauibus soluuntur. Decimam partem de moneta et de iudiciis totius episcopatus. Nulli ergo hominum liceat prefatam *Vlotizlauensem* ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, uel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestijs fatigare. Sed omnia conseruentur eorum, pro quorum sustentatione et gubernatjone concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salua sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non presumptjonem suam congrua satisfactjone correxerit: potestatis, honorisque suj dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultjoni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax domini nostri Jesu Christi: quatenus et hic fructum bone actjonis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. AMEN. AMEN. AMEN.



Ego Eugenius Catholice Ecclesie Episcopus (*„Bene valete"* in monogrammate).

† Ego Imarus Tusculanus Episcopus ([10]). † Ego Hubaldus Presbiter Cardinalis tituli Sancte Praxedis. † Ego Aribertus Presbiter Cardinalis tit. S. Anastasie ([11]). † Ego Julius Presb. Cardinalis tit. S. Marcelli. † Ego Bernardus Presb. Cardinalis tit. S. Clementis. † Ego Jordanus Presbiter Cardinalis tit. S. Susanne. † Ego Oddo Diaconus Cardinalis S. Georgii ad velum aureum. † Ego Octavianus Diac. Card. S. Nicholai in Carcere

([10]) Apud Damalevicium et in opere: *„Preussisch. Samml."* est Linarus. Perperam Muratori vocat eum Jòmarum. Apud Harduinum P. IV. T. VI. Conciliorum col. 124 sqq. in duabus tabulis ejusdem aetatis, vocatur, uti et in nostra tabula, Ymarus.

([11]) Rymerus in opere suo. *„Foedera"* (T. I.) afferens bullam ejusdem Papae a. 1147 in qua omnes fere, qui in nostra, recensentur Cardinales, legit Ariticus, quae tamen lectio nobis non videtur esse approbanda.

Tulliano. † Ego Gregorius Diac. Card. S. Angeli. † Ego Guido Diac. Cardinalis S. Marie in Porticu. † Ego Jacintus Diac. Cardinalis S. Marie in Cosmydyn.

Datum Remis ([12]) per manum Guidonis Sancte Romane Ecclesie Diac. Cardinalis et Cancellarii, II. Nonas Aprilis ([13]), Indictione XI., Incarnationis dominice anno M. C. XLVIII. Pontificatus vero domini Eugenii III. Pape anno IIII.

([12]) Apud Damalevicium, et alios auctores, qui eum secuti, hanc bullam typis descripserunt, legitur *Romae*. Hic error, longe maximus, plurimum contulit, ut de fide hujus bullae addubitaretur. Siquidem Baronius in „*Annalibus Ecclesiasticis*" T. XII. p. 429 affert: a Papa Eugenio anno 1148 concilium Rhemos in Gallia convocatum fuisse, idque initium cepisse XI. Kalend. April. videlicet d. 21 Martii, et usque ad Pascham (11 Aprilis) celebratum, ibique Papam continuo praesentem affuisse. Quomodo potuit igitur huic bullae d. 3 Aprilis publicatae, vox *Romae* apponi? Auctorem operis „*Preuss. Samml.*" non fugit ea res, itaque conjicit, aliquem errorem commissum esse incuria librarii, qui haerens in voce *Rhemis*, quam fortasse expedire non potuit, apposuit vocem *Romae*, uti melius sibi notam. Archetypon nunc repertum omnem dubitationem eximit, probatque hic Rhemos urbem Galliae, sedem Archiepiscopi, intelligi. Minime dubitari potest, quin in concilio ibidem celebrato, de rebus Poloniam tangentibus ageretur, praesertim quum eodem episcopi e diversis gentibus convocati fuissent. Ipse Baronius loquitur p. 431 Nro VII.: „Venerunt ad praedictum concilium cum bulla aurea nuntii Junioris Romanorum Regis Heinrici, tam de sublimatione sua ad imperium romanum Pontifici Romano significantes, quam de tribus fratribus ducatus Poloniae, qui ejecto quarto et seniore, ducatum inter se diviserant, ac de episcopis illius provinciae, qui super hoc patri ipsorum juramentum praestiterunt, quaerimoniam facientes." Quis negare ausit, ipsum Warnerum Episcopum ibidem non affuisse?—Quodcunque demum sit, bulla haec eo majoris est momenti, quod tempore concilii celebrati est promulgata; fidesque ejus maxime confirmatur testibus, qui eidem concilio praesentes affuerunt, quique omnibus aliis tabulis aequalibus sunt appositi.

([13]) Apud Damalevicium aliosque legitur nona Aprilis, in archetypo II. nonas Aprilis videlicet die 4 Aprilis, hanc igitur diem, et non 9 Aprilis, uti est in opere „*Preuss. Samml.*" apposuimus. Minime operae praetium esse duximus variantes lectiones tabulae a Damalevicio descriptae hic afferre, quum textus ille scateat erroribus, qui librarii incuria sunt commissi.

II.

Sine loco, anno 1185 d. 20 mensis Januarii.

Lesco Dux (Masoviae) Ecclesiae B. V. Mariae et Canonicis in oppido Veteri Wladislavia constitutis castrum Slonense, capellam Gniewkoviae sitam nec non villas *Kowale* et *Kurow* donat (1).

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Lesco Dux notum facio omnibus Christi fidelibus, me contulisse domino (2) et beate virgini Marie, et canonicis in *veteri Wladislavia* (3) pro remedio anime mee perpetualiter (4) castrum *Zlonense* (5) cum omnibus appendiciis eius, in super capellam in *Gniewco* (6), et hoc salvo concambio *Cruswiciensis* Monasterij Beati Petri Apostoli addimus (7), et ecclesiam cum villa in *Kowale* (8) et aliam que dicitur *Curov* (9) cum omnibus ad eas pertinentibus. De foro eciam in *novo Wladislaw* (10) annuatim de moneta decem marcas argenti, de cellario eciam in *veteri Wlodislaw* (11) omni anno decem urnas mellis. Hec prescripta contuli Deo meo, et sanctissime genitrici eius inconvulse (12). Qui autem hoc datum

(1) Tabulam hanc, quamvis jam in Damalevicii opere: „*Vitae Vladislauiensium Episcoporum*" p. 144 typis descripta sit, in hoc volumine repetendam esse duximus, tum quod apographum nobis oblatum, nonnullas variantes lectiones exhiberet, tum quod tabulae huic, maximi momenti, in volumine documenta Cujaviam tangentia continenti, merito locus assignandus esset. Damalevicius narrat: archetypon hujus tabulae in archivo ejusdem ecclesiae cujaviensis asseruatum fuisse: ubinam nunc sit, ignoratur.—Apographon nostrum perscriptum est e libro manu scripto Naruszewiciano, Com'tis Rzyszczevii proprio.

(2) In opere Damalevicii superius laudato, legitur pro „domino" Deo.

(3) veteri Vladislavia.

(4) specialiter.

(5) Castrum Zlonsse, hodie *Slonsk* oppidum et castrum ad fluvium Vistulam in palatinatu olim Juniwladislaviensi situm; unius trium regionum terrae Dobrinensis caput.

(6) Gniewkow apud Damalevicium, opp. territ. Bydgostiensis.

(7) addidimus.

(8) Kowal'a, villa Kowale ad Kowaliensem decanatum pertinens in palatinatu Brestensi regione vero Kowaliensi sita.

(9) Kurow, villa ejusdem regionis.

(10) nowo Wloclaw, idem quod Juniwladislavia.

(11) Wloclaw.

(12) in eviternum.

Deo minuere, aut auferre, aut aliqua temeritate violare voluerit, perpetuo anathematis vinculo subiaceat, et in extremo examine coram iusto judice Deo mihi respondeat. Anno Dominice incarnacionis M° C° LXXX° V° Epacta. XVII. concurrente prima XIII. Kalendas Februarii, collata sunt hec.

III.

Juniwladislaviae, anno 1218 die 10 mensis Augusti.

Conradus Dux Cujaviae et Masoviae donationem subditorum, ab avo suo Boleslao cuidam *Bucr* dicto factam, confirmat (1).

In nomine patris et filii et spiritus sancti, amen. Quoniam ea que aguntur in tempore, non decent (sic) in obliuionem mjgrare cum tempore. Inde est, quod ego C. (2) Dux quyauie et Mazovje factum memoria dignum presenti pagina in futura transmisi tempora. Notum igitur facio, quod Martinus grabihc nepos feljcjs memorje hugonjs qui cognominatus est *bucr* homines quosdam judicjo ujnctos in antjcum seduxit serujcjum, quod dicitur *spudounjcj*, in quo principibus tenebantur polonje, quos ecjam auus meus prefato h. intujtu probitatis contulit et posteritatj ipsius. Unde ego donacjonem predictj auj mej Bolezlauj ratam habens, ecjam iudicjum tempore mej actum presentj pagina confirmauj. Actum coram pincerna meo Zuentozlauo filjo pribizlauj et subjudice meo Petro filio Gostizlauj Golegeuje. Sub testibus talibus videlicet: Laurencjo subcamerario, Alardo preposito de ecclesia

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario ecclesiae Vladislauiensis asseruato. Huic tabulae appensa erant tria sigilla: horum duo, quae adhuc restant, filis sericis coloris rubei sunt appensa: alterum minoris formae penitus destructum, alterum majoris formae exhibet equitem equo insidentem. Interpungendi signa, minus apte exarata, literarum ductus, argumentum ipsum perplexum, hanc tabulam aliqua ex parte suspectam reddunt; vim tamen juris eam habuisse, notae in externa ejus parte appositae nos convincunt.

(2) Conradus Dux Cujaviae, ducatum hunc obtinuit in colloquio anno 1207 Sandomiriae celebrato, tunc quum hereditatem paternam cum fratre suo Lescone dividebat; agebat tum sextum decimum aetatis annum: annus itaque 1218 minus recte uti XIX. ejus regni affertur, siquidem erat XI. Ea quoque res movet nos, ut tabulam hanc spuriam esse credamus, etiamsi errores chronologici saepius iis saeculis occurrunt. Tabulam hanc nibilominus inserendam nostro volumini duximus, quum nomina propria hic contenta maximi momenti nobis viderentur.

sancti Michaelis, Wlostone filio Gozlauj, Lasota subagazone, Wencezlauo filio Tuardozlaj, qui hoc uolumen scripsit, Niculone filio Voyzlauj, Thoma sacerdote et alio Gismaro, Lausone filio vencezlauj, Jacobo capellano domine, Burcardo filjo aronjs, Gotpoldo uero et Sarcone camerarjo. Formam sub qua fides prestanda fujt dictandj commisimus Crjuosudo pedagogo ducjs Bolezlauj, Bosejone altero pedagogo ducjs Zemouitj, Albrico et Rosdalone filijs Predzlauj, Zuentozlauo et Predzlauo filiis Boguzlauj, Velizlauo filio Adlardj, Johanne filjo Zulizlauj, Obezano filio Paulj, Bosejone filio Bosej, Alberto filio Johannis de Halin, Abraam filjo Menere subtezuirario (sic) domauyone, Vito camerarjo, Petro aljo camerarjo, Mirenta aljo camerarjo, Johanne diujte cum filjo, Herborto filio Viczconjs, Nendricho toljma judjce pacozlauj. Nomina autem horum rustjcorum hec sunt, quos de ecclesia predicta M. eduxit: Bratos et Vogen filjj Posdorconjs, Gostek filius Zulence, Nedabis filius Piruosonis, Saloba et Boley filii Strosonjs, Zuliuy filius Zeouelic, Mirogneus et Gostal filii, Jarogneus, Bogumilus filius Lubaue. Pouira et Unoss filii Mecosonis, Malostric et Delis filij Brudonjs, Raduanus filius Zulestrinusi. Kloz cum filiis. Nomina autem aliorum sunt hec, quos Bolerius suo judicio antjco, quos tempore ducjs Kazimirj iudicauerat, eos eodem tempore fide sua damnauit, piuona cum filijs, Rospuchj cum fratre filii Nesebudj, Kadzouym et draconem cum filiis, Johannem filium Radosonjs, Buzam filius gugaronis. Actum in Wladizlau nouo, duce egrotante anno ab incarnacjone dominj M. CC. XVIII. quarto idus augustj, principatus nostri anno XIX.

IV.

Sine die et loco anno 1223.

Ziemomyslius Dux Cujaviae, filius Conradi Ducis Masoviae villanis trium pagorum, *Marulewy*, *Batkowo* et *Szropsko* privilegium, quod dicebatur juris Teutonici, confert.

Tom. I. hujus Codicis p. 29 Nro XVII.

V.

Sine loco anno 1227 XI. Kalend. Februarii (die 21 mensis Januarii).

Swiętopelcus Dux Pomeraniae Michaëlis Episcopi Cujaviensis precibus adductus, ecclesiam Sancti Nicolai Gedani sitam, fratribus Praedicatoribus ordinis Sancti Dominici confert.

Preussische Sammlung etc. T. I. p. 326.

VI.

Laterani anno 1227 III. Nonas Maji (d. 5 m. Maji).

Papa Gregorius IX. Episcopo Cujaviensi dat facultatem concedendi aliquando peccata iis, qui in convertendis ad verum dei cultum Prussorum animis acres et industrii sint.

Voigt. Cod. dipl. Prussicus T. I. p. 17 Nro 18.

VII.

Sine loco anno 1227 in octava Jacobi et Philippi Apostolorum (die 8 mensis Maji).

Michaël Episcopus Cujaviensis donationem ecclesiae Sancti Michaëlis Gedani sitae, a Swiętopelco Duce Pomeraniae fratribus Praedicatoribus ordinis Sancti Dominici factam, ratam esse jubet.

Preussische Sammlung etc. T. I. p. 327.

VIII.

Scariszoviae anno 1228 mense Martio.

Grimislava vidua, olim Lesconis Albi Cracoviae et Sandomiriae Ducis uxor, jus venandi in silvis Castellaniae Wolboriensis Michaëli Episcopo Cujaviensi restituit (¹).

(¹) Apographo huius tabulae jam typis descripto p. 31 Nro XIX. Tomi I. nostri Codicis, nacti sumus archetypon in archivo ecclesiae Vladislaviensis asseruatum. Quum in eo recensendo, variantes lectiones deprehendissemus, nostrum esse duximus easdem hic afferre. Sunt vero sequentes: *Linea* 25 *pro* Grimislava *legitur* Grimizlava; — *l.* 26 Sandomirie, Sudomirie; — *l.* 27 fratrem, patrem; — *l.* 28 Castellanie, Castellature; — *l.* 28 Volboriensis, Voyboriensis; — *p.* 32 *l.* 1 Sraba, Graba; — Volborica, Voyborica; — Jesni, Tesni; — villa Bielevicze, Belevice; — quod, que; — *l.* 3 solenniter, sollempniter; — *l.* 7 Scarozovia, Sgarozovia; — *l.* 8 anno incarnacionis domini, anno gracie; — *l.* 9 Masovie, Mazovie; — Boleslao, Bolezlavo; — *l.* 10 Prussie, Pruscie; — *l.* 11 Pacoslao, Pacozlavo; — Sandomiriense Palatino, Sudomirie Palatino.

IX.

Gombini 1230.

Boleslaus Dux Sandomiriae ecclesiae B. V. Mariae in villa *Lagow* existenti, nec non episcopo Cujaviensi Michaëli, patrono illius ecclesiae, quemdam Chyrnam cum fratribus donat (¹).

Notum sit universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod ego Bolezlaus divina clemencia dux *Sudomirie,* testificante patre nostro duce Conrado Mazovie, cum baronibus Dobesio, Dyrsicrao et Badricho, Chyrnam cum fratribus ecclesie beate Marie de *Lagov* et domino Michaheli (sic) Cuyaviensi Episcopo ipsiusque successoribus pristine mancipavi servituti, ut nullus ad prefatum Chirnam (sic) cum fratribus respectum habeat nisi successio Cujaviensium Episcoporum. Ne igitur propter humane

(¹) Ex archetypo nobis a doctissimo Stronczyńscio liberaliter concesso. Funiculis sericis coloris rubri duo erant appensa sigilla, quorum unum adhuc superstes mediocris formae penitus deletum.

fragilitatis condicionem a memoria hominum excidat, appensione sigilli patris mei et meo decrevi roborari. Hec autem acta sunt in *Gubyn* (²), anno dominice incarnacionis M° CC° XXX°.

(²) *Gombin* oppidum in palatinatu Masoviae, regione vero Gostinensi situm.

X.

Zgiersii anno, 1231 die 23 mensis Martii.

Michaël Episcopus Cujaviensis, villam *Barkowice* ad ecclesiam suam cathedralem Wladislauiensem pertinentem cum villa *Lubotyń* coenobii Cisterciensium Sulejoviensis propria commutat, praesente et assentiente Duce Conrado Masoviensi.

Vide Codicis hujus T. I. p. 32 Nro XX. — Themis Polska T. VI. p. 419.

XI.

Lanciciae anno 1232.

Michaël Episcopus Cujaviensis inito cum Sulejoviensi Cisterciensium coenobio, de commutanda villa *Lubotyń* cum villa *Barkowice* pacto, de singulis quibusdam et quidem de commodis dicti coenobii stipulatur.

Cod. T. I. p. 34 Nro XXI.

XII.

In oppido Wyszogrod, anno 1232 VII. Kal. Decemb. (die 25 mensis Novembris).

Michaël Episcopus Cujaviensis una cum Swiętopelcone Duce Pomeraniae profitentur: Cruciferorum ordinem pro decima eidem ex villa *Orłowa* assignata, tres marcas ecclesiae Vissegrodensi soluturum promisisse.

Dreger Cod. dipl. Pomer. p. 156 Nro 92.

XIII.

In oppido Serock, anno 1233 die 6 m. Januarii.

Casimirus Dux Cujaviae et Lanciciae donationem terrae Culmensis a patre suo Conrado Cruciferorum ordini factam, ratam esse jubet.

Dreger Cod. dipl. Pomer. Nro 93 p. 157 (ed. pr.).—Acta Borussica p. I. p. 420. Cas. Stronczyński: „Wzory pism dawnych" p. 7 Nro VIII.

XIV.

Crusviciae anno 1233.

Casimirus Dux Cujaviae villam *Chelmce* **a filiis cujusdam** *Sasini*, **Michaëli Episcopo Cujaviensi venditam, eidemque ablatam, restituit** (1).

In nomine patris et filii et spiritus sancti, amen. Ego Kazmerus (sic) Dux Cuiauie, omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis, salutem. Proborum et sapientum uirorum adinuenit discrecio, ut ea, que fiunt huius labentis temporis spacio, ne simul transeant cum tempore, scripture commendantur (sic): ut, dum processu temporis a memoria recesserint, inspectione littere ad eandem reuocentur. Ea propter dignum duximus hec, que coram nobis acta sunt, presenti pagine inserere: uidelicet cum castellum de *mazouia* nomine *unezir* hedificaretur, uir illustris nomine Olto, uillam nomine *helmci* (2), pro c. marcis, filijs Sasini uendidit, et uendicionis sue pactum ordine debito in nostra presentia, et nostrorum baronum, et patris nostri ducis Cunradi eiusque militum roborauit: his ita peractis, comes Pacuslaus et comes Misciuuij, uolentes consulere dampno sue cognate et uxoris Oltonis, contradixerunt pacto uendicionis: quod uidens Olto, pro uilla de qua lis erat, contulit propriam uillam nomine *samagostiam* (3), cum

(1) Ex archetypo in tabulario ecclesiae Vladislaviensis asseruato descriptum. Sigillum deest, restat nonnisi funiculus sericus coloris rubri.

(2) *Chelmce* villa ad decanatum Radziejoviensem pertinens circa lacum Goplo.

(3) *Samogoszcz* villa in Podlachia in territorio Lucoviensi regione Zelechoviensi sita.

suis omnibus pertinencijs, et sic cessauit contencio super uilla prephata; deinde post annum et dimidium uel amplius, filij Sasini uendiderunt eandem uillam, quam quiete possederant M. (ichaëli) episcopo cuiauie, pro c. et x. marcis, ecceptis (sic) rebus alijs, et eodem modo quo talis uendicio roborari consueuit, sicut iam dictum est coram nobis, et coram patre nostro duce Conrado, nostrisque baronibus, nullo contradicente, prout debuit confirmauit: cuius vendicioni omnium nostrum consensus non defuit. Igitur iam dictus episcopus dominio uille usus, merito debuit dici possessor uille et dominus, et ecclesia debebat gaudere de eiusdem uille quieta possessione. Verum quia iustus sepius pro iusticia peccatis exigentibus persecutionem patitur, per dominam matrem nostram uxorem ducis curradi uiolenter est eiectus de uilla memorata, non semel sed aliquociens, et multas alias sustinuit iniurias. Volentes itaque huic lesioni finem imponere, ab ipsa, prout potuimus, dominium uille nostris usibus adduximus, et pro remedio nostre salutis memoratam uillam, iam dicto episcopo et ecclesie beate uirginis et beati petri, sine spe reuocacionis, contulimus, et presentem paginam, cui talis donatio intitulata est, sigilli nostri appensione communimus. Si quis autem hoc nobile factum uiolare attemptauerit, anathema sit, et uindictam dei omnipotentis se incursurum noverit. Amen.

Actum *Crusuicie* anno M° CC° XXX° III°. Testes autem hij sunt: comes Johannes, Albertus, Miroslaus, Cesslaus, Albertus decanus Crusuicie, Paulus scolasticus, custos Albertus, Johannes scolasticus Wladizlauienses, Sthephanus canonicus.

XV.

Anno 1233.

Fulco Archiepiscopus Gnesnensis attestatur, villam *Chelmce* a Casimiro Duce Cujaviae ecclesiae cujaviensi jure hereditario collatam esse (¹).

F(ulco) diuina miseracione sacrosancte Gneznensis eclesie humilis minister omnibus hominibus tam presentibus quam futuris, quibus presens scriptum

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Cujaviensis asseruato. Sigillum appensum funiculo serico coloris rubri penitus est destructum. Licet privilegium hoc sine anno

oblatum fuerit, salutem in eo, in quo est salus. Quoniam usus ueterum, ipsaque racio usu prestancior veraciter edocet scriptis facta comendare, et in posterum firmiter obseruare, ut statute (sic) non in obliuione ducantur, nec inconwlsa teneantur, sed insurgens fomes discordie iusto iudicio decidatur. Quo circa notum facimus uniuersis nostro testimonio confirmantes, quod dux Kazimirus cuiauie coram nobis et baronibus suis cognouit et confirmauit villam de *Helmc* iure ereditario beate Marie cujauiensi tradidisse, quod factum ne quispiam in dubium ducat, nostri sigilli munimine roborauimus.

apposito sit datum, tamen quum contineat simplicem et aequalem confirmationem privilegii proxime praecedentis, tempus itaque, quo datum est, facile asscribi potest.

XVI.

Spoleti, a. 1234 V. Idus Septemb. (d. 9 m. Septemb.).

Papa Gregorius IX. Masoviensi et Cujaviensi Episcopis committit, ut Cruciferorum ordinem in Prussia adjuvent, neque eundem a quopiam in ipsius possessionibus turbari sinant.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. I. p. 38 Nro 39.

XVII.

Junivladislaviae, anno 1236 die 17 mensis Martii.

Michaël Episcopus Cujaviensis una cum Swiętopelcone Duce Pomeraniae descendunt ad conditionem propositam a Cruciferis, qui pro decimâ ex villa *Zedlitz* ecclesie Vissegradiensi pendenda, tres marcas eidem ecclesiae se soluturos esse polliciti erant.

Lucas David. T. III. p. 6.

XVIII.

In villa Groze, anno 1234 Idus Decembris (die 12 mensis Decembris).

Conradus Dux Lanciciae liberat villas Episcopi Poznaniensis in districtu Serinensi sitas, ab omnibus solucionibus et servitiis.

Raczyński Cod. dipl. Major. Pol. p. 12 Nro VII.

XIX.

Circa 1234.

Conradus Dux Lanciciae testatur Michaëlem Cujaviensem episcopum incolas villae *Sarinziz*, **ad eandem ecclesiam pertinentes, a seruitute vulgo** *Nastawa* **dicta, redemisse** (1).

Notum sit omnibus, quod venerabilis pater Michaël Cuiaviensis episcopus homines Wladizlauiensis ecclesie in villa ipsius ecclesie que Sarinziz nuncupatur residentes, a quadam seruitute que Nastaua vulgariter appellatur, in qua nobis Conrado duci lancicie fuerant condempnati redemit, obtinens eis plenam et perpetuam libertatem. Quod ne cuiquam ueniat in dubium, presens scriptum sigilli nostri munimine iussimus roborarj.

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Vladislauiensis. Sigillum quo vulgo Dux Conradus utebatur, exhibet virum equo insidentem. Tempus, quo haec tabula scripta est, non facile indicari potest, quum episcopus Michaël, 40 annos dignitate episcopali fungeretur. Idcirco hanc tabulam hic inserimus, quia privilegium hoc argumento suo proxime accedit ad privilegium praecedens, in quo Conradus etiam Dux Lanciciae vocatur.

XX.

In villa Dankow, anno 1236 die 2 mensis Julii.

Conradus Dux Masoviae et Cujaviae, hereditatibus filiorum suorum, videlicet Boleslai Ducis Masoviae et Casimiri Ducis Cujaviae, limites constituit (¹).

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, amen. Cum omne tempus motu continuo moueatur, et acta ipsius cum suo tempore permutentur, iuris equitas utriusque statuit et honestas: ut humana gesta, scripture testimonio perhennentur. Notum ergo sit presentibus et futuris, presentem paginam inspecturis, quod nos s.(enior) C.(onradus) miseracione diuina dux Mazouie et quyauie, illud epithalamic (sic) spirituum beatorum afectu auido complectentes, quo exultantes gloriam in excelsis deo, et in terra pacem bone uoluntatis hominibus cecinerunt, paci non solum presentis temporis sed et futuri pro nostro modulo prouidentes, inter filios nostros, B. ducem Mazouie, et K. ducem quyauie, in terris ipsorum dominio collatis, eam fecimus diuisionem, et eandem per ipsos perpetuo uolumus obseruari. Conferimus igitur domino K., ut de cetero in ius terre ipsius, uidelicet *quyauie* pertineat, quodcumque est ultra aquam *Wizlam* pertinens ad castrum *Wladizlauiense* usque in *Chelmniciam* (²), et castrum quod uocatur *Kychol* (³) cum omni sui territorio pertinenti usque ad locum qui dicitur *Kamen,* et ab inde usque ad lacum

(¹) Ex archetypo in charta pergamena scripto in tabulario ecclesiae Vladislaviensis asservato. Tabulae buic erant quinque sigilla in cera communi expressa funiculis sericis appensa. Horum quatuor tantum supersunt, appensa funiculis sericis coloris rubri. Primum eorum figurae oblongae, repraesentat episcopum sinistra manu lituum tenentem, dextra vero benedictionem, quam vulgo vocant, inpertientem. Ex literis legi possunt... „tri.... ecclesie"... Alterum sigillum abruptum. Tertium rotundum exhibet ducem equo insidentem, tenentem hastam et scuto armatum. Verba in ambitu sunt haec: „Boleslai Ducis Mazovie Sandomirie". Quarti sigilli fragmentum, quod superest, exhibet figuram episcopi sedentis. Literae in ambitu penitus deletae. Quintum denique repraesentat ducem equo insidentem, cum capite nudato, laeva scutum aquila ducali ornatum, dextra vero manu vexillum cum tribus laciniis tenentem. E verbis in ambitu videre licet tantum:.... „† Sig...... Cuiavie".

(²) Chelmnicam fluuium frustra quaesiueris in charta geographica, sed conjicere licet eundem circa castrum Kikol fluere. Villa Chelmica vero est in decanatu Bobrovnicensi. Vid. Damalewicz.

(³) *Kikol* olim castrum et districtus in terra Dobrinensi, hodie vero in territorio et regione Lipnensi.

Ruzouscho, deinde inferius iuxta fluuium *Ruz* (4) qui de lacu profluit supradicto usque in Orciancham, ita quod litus fluuij *Ruz* sit limes castrorum iam dictorum et aliud sit limes castri *dobrinensis;* cum hac tamen adiectione, quod si alique uille castri *Dobrin* fuerint in *Wladizlauiensi* aut in *Kycholensi* districtu, non ob hoc castro subtrahantur memorato; similiter si predicta castra aliquas uillas habuerint in territorio *Dobrinensi,* non idcirco ad iam dicta castra pertinere prohibeantur. Acta sunt autem hec anno gracie M° C° C° XXXVI. Indictione quinta, littera dominicali e. In die Martirum Processi et Martiniani. In colloquio de *Danchov* (5). Et quoniam triplex funiculus difficile rumpitur, ad obseruationem huius statuti et ordinacionis nostre, per filios nostros B. ducem Mazouie, et K. ducem quyauie precepimus iuramenta nobis presentialiter exhiberi. Huius eciam rei sunt testes P. Mazouiensis et M. quyauiensis episcopi, J. cancellarius et B. palatinus Mazouie, J. palatinus quyauiensis, B. plocensis et P. Wladislauiensis prepositi, V. castellanus spicimiriensis, S. pincerna cum fratre Stp. Comes Stiborius, Urbanus, Mironegus subcamerarii, M. thesaurarius quyauie, L. thesaurarius domine maioris, J. subcamerarius quyauie, ha. pincerna Mazo. B. thezaurarius Mazo. Mirō. castellanus de *Cirnsk* et alij plures, quos longum est numerare.

(4) *Ruziec* fluvius influit Drwęcam non procul ab urbe Dobrzyń.
(5) Sine dubio villa *Dankow* in provincia Masoviensi regionis Ravensis. In eo colloquio, finis impositus est bello civili inter Duces Poloniae, scilicet: Henricum barbatum Silesiae, Boleslaum Pudicum Cracoviae et Conradum Masoviae et Cujaviae exorto. Quo autem firmior pax esset, duae filiae Ducis Henrici matrimonio junctae sunt cum duobus filiis Conradi, Boleslao et Casimiro, inter quos pater hanc divisionem hereditatum facit.

XXI.

Crusviciae, anno 1238 die 13 mensis Januarii.

Casimirus Dux Cujaviae, donationem villae *Karsko* a nobili quodam Eustachio ecclesiae Vladislauiensi factam, ratam esse jubet (1).

In nomine sancte trinitatis, amen. Contra temporis instabilitatem et fluxus rerum temporalium, que cum ipsius temporis decursu defluunt et

(1) Ex archetypo in tabulario ecclesiae Vladislauiensis asseruato descriptum. Sigilli abrupti nonnisi funiculus sericus coloris flavi superest.

uanescunt, utillimum est et cautum, ut quod temporaliter agitur, testimonii seu littere memorie commendetur. Nos igitur Kazimirus dux quyauie, tam presentibus quam posteris presentem paginam inspecturis, notum facimus, quod nobilis uir dominus Eustacius, transcendens de morte ad uitam, idem monachalem asumens habitum: accedente consensu fratris sui domini Mauricii: totam partem suam ereditatis (sic) in *Karszco* (²) Andree nepoti suo, quamdiu uixerit, iure ereditario possidendam contulit: finitis vero diebus uite prefati Andree, ecclesia beate uirginis de *ueteri Wladizlauia* totam partem illam memorate ereditatis, ereditario iure perpetuo possideat. Verum ne processu temporis res acta in tempore, sicut plerumque contigit uel solet contigere, in aluo obliuionis demergatur: dignum duximus huius rei contentum presentis scripti priuilegio et nostri sigilli munimine roborare. Acta sunt hec in octaua epiphanie domini in castro *crusuicie* anno gracie M. CC. XXXVIII. Presentibus probis ac nobilibus uiris: domino Michaële episcopo quyauie, Blaseo et Laurencio canonicis Wladizlauie, Volimiro preposito Crusuicie, Martino subcancellario curie, Mauricio, Ottone, Mirozlauo iudice, Geszlauo, Bolco, Nemiro.

(²) Villam *Karsko* frustra in propinquo Vladislaviae quaesiveris. Neque index villarum ad diversos decanatus diocesis Vladislaviensis pertinentium, in opere Damalevicii p. 44 ullam ejus nominis villam affert.

XXII.

In villa Piskowe, anno 1238 III. Kal. Julii (die 29 mensis Junii).

Pactum Casimiri Ducis Cujaviae cum Fratribus de domo Teutonica, quo ille nullam pacem, vel inducias sine ipsis se facturum, justitiamque in mutuis controversiis administraturum promittit, idque sub poena excommunicationis D. Papae per Episcopum Cujaviensem publicandae, quem in judicem quoque pro transgressionibus pactorum sibi constituit.

Dogiel. Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 13 Nro XX. — Stronczyńscii „Wzory pism dawnych" p. 8 Nro IX.

XXIII.

Junivladislaviae, anno 1238 d. 30 m. Novembris.

Lites et discordiae inter episcopum Cujaviensem et dominum Gedanensis territorii exortae, per certos arbitros dirimuntur (1).

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Nos arbitri P. Episcopus Mazouiensis, J. Abbas Plocensis, Gregorius et Voyzlaus fratres predicatores, Nicolaus, Godefridus, Vincencius de ordine fratrum minorum, Nicolaus canonicus plocensis, communi consensu parcium electi in causa, que uertitur inter dominum Episcopum Cuiauiensem et dominum de *Gdanzc*, de dampnis et iniuriis illatis ecclesie Wladizlauiensi ab eodem, habito consilio sapientum, et auditis rationibus utriusque partis: communi consensu, talem contra dominum de *Gdanzc* proferimus sentenciam. Et in primis precipimus sub pena compromissa, ut satisfaciat domino Episcopo pro eo, quia non permisit eum intrare dyocesim suam: scilicet ut eum a modo non prohibeat, ei ut patri omnem custodiam adhibendo. Item precipimus, ut predicatoribus de *Gdanzc*, secundum quod promisit, satisfaciat. Item precipimus, ut decimas prediales istius anni in tota terra sua integre faciat persolui. Item precipimus de decimis capelle de *Grodesno*, ut, sicut in priuilegio eiusdem continetur, sibi non subtrahat ullos, uel ampliet redditus predialium decimarum. Precipimus insuper, ut decimam monete, nauium, judiciorum, theloneorum, reddere teneatur Episcopo suo, iuxta tenorem priuilegiorum, que in Wladizlauiensi ecclesia continentur. Item uolumus, ut decima (sic) thelonei, clausure, taberne in *Vissegrot* (2) plenarie sibi faciat persolui. Uolumus etiam, ut officiales suos coherceat, ne eum inpediant vendendi et colligendi decimas (sic). Item uolumus, ut libertatem det villis ecclesie, secundum quod ecclesia statuit. Nec instituat, nec destituat sacerdotes, nisi cum consensu eius. Item causas matrimoniales non iudicet, et uxores pro delictis maritorum non puniat, et,

(1) Ex archetypo in tabulario ecclesiae Vladislaviensis asseruato descriptum. Quinque erant taeniolis pergamenis appensa huic tabulae sigilla: quorum duo reliqua penitus sunt destructa.
(2) *Wyszegród.*

que tenentur, uolumus, ut in continenti dimittantur. Preterea uolumus, ut de capella sancte Marie de *Sueze* [3] judicio disceptent. Item uolumus et precipimus, ut pro preda, quam fecit de centum septuaginta septem ęquis, centum reddat. De ducentis viginti nouem jumentis reddat ducenta. De sexaginta nouem poledris, reddat quadraginta. De quingentis septuaginta quinque bobus, reddat trecentos. De mille centum septuaginta sex uaccis, reddat quingentas. Vitulos relaxamus. De tribus milibus centum septuaginta quatuor ouibus, reddat mille quingentas. De mille ducentis sexaginta porcis, reddat quingentos. Ducentos truncos apum relaxamus. De rebus ualentibus trecentas quinquaginta quatuor marcas, et de trecentis aceruis annone igne consumptis, soluat quingentas marcas. Precipimus etiam, ut curiam Episcopi de *Parchan* [4], secundum quod prius fuit, reedificet, et familiam omnem sine contradiccione ubicumque fuerit reddi faciat abductam de *Cuiauia*. De debitis uero fratrum predicti domini de *Gdanzc,* in quibus tenebantur domino Episcopo, quia terram eorum possidet, Episcopo satisfaciat. Precipimus eciam ut, de quadraginta octo equis, quos abduxit, domino Mazouiensi Episcopo, reddat triginta. De quinquaginta bobus, reddat triginta. De pecoribus centum, reddat quinquaginta. De quadringentis quadraginta quatuor ouibus, reddat ducentas. Preposito *Strelnensi* [5], reddat quatuor boues, duas uaccas, viginti oues, decem sues. Etiam volumus, ut in octauis beate Lucie soluat iumenta et boues et centum marcas in villa *dobrogostouici* [6], et tunc in loco, in quo condixerit, uel per Episcopum, uel per personam interpositam absoluetur. Si uero supradicta citius exsoluerit, citius absoluetur. In secundo uero termino, scilicet in purificacione in predicta villa reddat equos, poledros, vaccas, oues, porcos et centum marcas. In penthecosten vero reddat trecentas marcas et debitum fratrum, et usque ad festum assumpcionis curiam de *Parchan* reedificet. Etiam uolumus, quod

(3) *Swiecie* (Svece, germanice Schwetz) ad ostium rivi *Czarna* in Vistulam influentis. Idem Swiętopelco Dux Pomeraniae quinque annis postea exstruxit ibidem arcem siue castrum. Demum urbs et caput unius regionum provinciae Pomeraniae.

(4) *Parkane* villa in decanatu Gniewcoviensi.

(5) *Strzelno* villa ad decanatum Crusviciensem pertinens, postea oppidum et quidem unum e majoribus provinciae Junivladislaviensis.

(6) Fortasse villa *Dobrogosty* in palatinatu Masoviensi territorio et regione lanciciensi sita vel *Dobrogoszcz* territorii Wielunensis, regionis vero Ostrzeszoviensis.

in eisdem terminis domino Mazouiensi Episcopo et preposito de *Strelna* uniuersa persoluat. Etiam uolumus, ut in predictis terminis, secundum quod taxamus, plenarie soluat. Alioquin nos arbitri predictum dominum de *Gdanzc* in eandem sentenciam excommunicacionis et penam, qua per Episcopum Cuiauiensem ligatus erat, reducimus. Precipimus etiam sub eadem pena et vinculo excommunicacionis, ut tale quid contra quamlibet ecclesiam de cetero nullo modo presumat attemptare. Etiam notum facimus adhuc omnibus idem scriptum inspecturis, quod in dictum dominum de *Gdanzc* talem sentenciam promulgauimus, pertractata tam causa ipsius et articulis quos Episcopo opponebat, quam etiam grauamine Episcopi, quo grauatus existit per eundem. Huic autem arbitrio assessores affuerunt: B. Gneznensis decanus, P. poznaniensis archidiaconus, G. Plocensis archidiaconus, qui etiam presentem paginam sigillis propriis roborarunt. Acta sunt hec in *juuene Wladizlau* (sic) in domo fratrum minorum, anno ab incarnacione domini M° C° C° XXX° VIII° pridie Kalend. Decembris.

XXIV.

Siradiae, anno 1239 die 15 mensis Junii.

Conradus Dux Lanciciae incolis castellaniam Wolboriensem episcoporum Vladislaviensium propriam inhabitantibus varia priuilegia confert (¹).

In nomine sancte trinitatis, amen. Ego Conradus dei gracia Dux *Lanchicie* predecessorum meorum uestigiis inherens, eorumque cupiens fieri ydoneus imitator, presertim in eis que pietatis officio ad diuinum cultum et ad ecclesiasticam utilitatem fecisse noscuntur; ob reuerenciam beatissime uirginis Marie et in remissionem peccatorum meorum pro me et meis successoribus, venerabili patri Michaëli dei gracia Wladizlauiensi Episcopo, suisque successoribus resigno, dono et confirmo iura seu libertates inferius annotatas in castellania de *Voybor*. Omnes igitur homines ascripticij dicte castellanie de *Voybor*, cuiuscumque condicionis uel seruitutis siue officij

(¹) E tabula authentica in archivo capituli ecclesiae Vladislaviensis asseruata descriptum. Sigillum deest.

fuerint, omni et plena gaudeant immunitate, liberi ab omni prediali siue personali seruitute, que umquam in eis uel eorum prediis ducibus Polonie competiit, uel competere potuit. Ita quod neque *preuorj*, neque *pouoz*, nec aliquod aliud seruicium uel utilitatem, quocumque uocabulo censeantur, ab eisdem hominibus dux terre expetet. Sed ijdem homines ascripticij cum omni utilitate et seruicio tantum dominis suis subiacebunt. In nullo casu a duce, uel ab alio, de eius mandato, iudicandi; sed tantummodo dominorum suorum audient iudicia, uel eorum, quibus eos domini ipsorum commiserint iudicandos. Prefati eciam dicte castellanie homines, ad nullum exercitum trahentur inuiti, nisi exercitus cogeretur ad terre defensionem. Nullum castrum nouum edificabunt, sed antiqua propter defensionem terre, secundum quod consueuerunt, ab antiquo reficient: hoc tamen adhibito moderamine, quod in huiusmodi refectione, nullum beneficium, quod uulgariter *Suppa* uocatur, ab ipsis hominibus exigetur. Nec omnes ad talem refectionem cogentur, sed quotcumque uoluerint, dummodo opus perficiant competenter. Item dux, qui fuerit pro tempore, non transibit per castellaniam de *Voybor*, nisi semel in anno, et tunc procurabitur et ducetur cum tot curribus, quot erunt in castellania. Aliis autem uicibus, quotienscumque transierit, perticarium ([2]) solummodo deducent, et unum uenatorem procurabunt, nec currus prefati ultra metas castellanie trahentur. In siluis autem de *Voybor* nec dux, nec alius pro ipso uenabitur, nisi cum ipsum inde transire contigerit, et moram ibi non faciet propter uenacionem, nec alias manens, illuc mittet ad uenandum. Homines eciam de *Voybor* in ipsa uilla tantummodo habitantes circa ecclesiam, eo gaudeant priuilegio, quod in ipsa, quo ad iura ducalia, eiusdem sint libertatis et condicionis, liberi cum ascripticiis; et a nemine iudicabuntur preter ducem cum episcopo, uel episcopi tribuno: et hoc tantum in duobus casibus, cum uidelicet solucio se extendit ad LXX. marcas et cum perticarij ducis in eius transitu de eadem uilla depelluntur. Set tunc non citabuntur ad ducem per camerarium, sed per eorum *Supanum*, littera ducis ad eum transmissa. Et in hiis casibus judicatum dux per medium diuidet cum episcopo. Item liberi homines ipsius castellanie ceterarum uillarum a nullo judicabuntur, nisi ab ipso duce. Nullum conductum ducent

([2]) Perticarius, apparitor, a pertica seu virga. Gallice *Bedeau*, *porte-verge*. Vide Ducange.

nisi militarem, ad nullam expedicionem trahentur, preterquam ad prutenicam. Videlicet quando dux publicam fecerit expedicionem, et ad terre defensionem. Item falconarios non recipient, nec pascent falcones. Castorarios capientes castores ducent et procurabunt. Venatores uero ceruorum et aliarum bestiarum in uillis sepefate castellanie, nichil per uim accipient, nisi eis per bonam uoluntatem aliquid conferatur. Ad instanciam eciam venerabilis patris nostri Fulconis, diuina prouidencia Gneznensis archiepiscopi, restituo prenominato episcopo eiusque successoribus villam *Bandcouo* (3), que olim fuerat ecclesie Sancte Marie de *Wladizlau,* perpetuo possidendam.

Datum in *Siraz,* anno dominice incarnationis M° CC. XXX. nono. XVI. Kalendas Julij. Dicti eciam patris domini f.(ulconis) Gneznensis archiepiscopi precibus inclinatus adicio, quod liberi ascripticiis permixti in uillis de *Voybor* usque ad tres, omni et plena gaudeant libertate, sicut in premissis solummodo de ascripticiis fuit expressum. Testes autem, qui fuerunt presentes, hii sunt: Dominus Fulco Gneznensis archiepiscopus, duo filij mei videlicet: dux Mazouie Bolezlaus, dux Semouitus et comes Mstihuy palatinus lanchiciensis, Nicholaus judex curie, Lasota pincerna. Nich.(olaus)

(3) *Bądkowo* villa in palatinatu Cujaviensi regione vero Radziejoviensi.

XXV.

Circa 1240.

Thomas episcopus Vratislaviensis et Gerardus Gracoviensis scholasticus a Summo Pontifice Gregorio nono mandata habentes, Conradum Ducem Masoviae reum necis in Joannem (Czapla) Cancellarium Masoviae, Vladislaviensem et Plocensem scholasticum patratae, anathematis absolvunt, recepta ab eodem Duce condigna satisfactione, nimirum variis privilegiis ecclesiis concessis (1).

Dlugossius Hist. Pol. Ed. Lips. T. I. Lib. VI. p. 666.

(1) Hujus tabulae archetypon in tabulario capituli Vladislauiensis asseruatum, nobiscum a doctiss. Stronczyńscio communicatum, (quod Dlugossius loco laudato se „frequentius vidisse" refert) descripsimus, attamen argumentum ipsius hic tantum tradimus, quum a textu a Dlugossio typis exscripto parum discrepet. Perperam tamen a Dlugossio archiepiscopus Gnesnensis Petrus vocatur, quum in archetypo a nobis laudato diserte Fulco legatur.

XXVI.

Circa 1240.

Conradus Dux Lanciciae varias vicissitudines villae *Ottloczyn* refert, et quomodo tandem ditionis episcoporum Cujaviensium facta sit, narrat (1).

Nouerint singuli et uniuersi sancte matris ecclesie filii, et maxime duces *Cuiauie:* quod nos Conradus dei gracia dux *Lancicie* coram deo, qui consciencias uidet omnium, et coram omnibus testificamur hominibus, quod villa *Otlutsin* Cuiauiensis dyocesis in ripa *Visle* situata (2), fuit olim hereditaria Sassini patris Geteconis, tandem Episcopi *Mazouiensis:* eiusdemque Sassini curia sita erat, sicut adhuc plurima declarant indicia, secus montem, qui *Rienza* vulgariter appellatur: qui mons diuidit iam dictam villam cum pertinenciis suis a villa *Brosci* (3) cum pertinenciis ipsius: eratque uerus heres utriusque vije equaliter cum fluuio in medio discurrente. Qui Sassinus cum diem clauderet extremum, filio suo Geteconi villam reliquit eandem. Postmodum Geteco cum nobili quodam, scilicet Clementa, commutacionem fecit talem: dans illi *Otlutsin* cum omnibus utilitatibus suis, et recipiens villam cum suis pertinenciis que *Latouiz* (4) nuncupatur. Tandem Clementa tradens filiam suam *Strelnensi* monasterio, *Otlutsin* idem obtulit deo cum ipsa. Testamur insuper et iureiurando firmare possemus, quod ad multam collegii *Strelnensis* instanciam, quod absque molendino sustentari non poterat, dominus Stephanus venerabilis *Cuiauiensis* episcopus contulit ipsi molendinum in *Quetsev* (5), quod adhuc idem possidet monasterium, et recepit villam *Otlutsin* cum suis pertinenciis supranominatis. Quam ipse ac successores eius hactenus exigente iusticia quietissime possederunt.

(1) E tabula authentica in archivo ecclesiae Vladislaviensis asseruata descriptum. Unum tantum sigillum appensum huic tabulae funiculo serico viridis et flavi coloris jam admodum laesum, repraesentat virum equo insidentem, a dextra ad sinistram partem sigilli conversum.

(2) *Ottloczyn* villa territorii Kwidzynensis regionis vero Torunensis, inter *Raciąż parvum* (Raciążek) et *Toruniam* sita.

(3) *Brzoza* villa regionis Torunensis.

(4) forsan *Latowice* villa in territorio Posnaniensi, regione vero Ostroviensi sita.

(5) forsan *Kwieciszewo* opp. ad Noteciam reg. Mogilnensis.

XXVII.

In villa Witow, anno 1240 d. 17 m. Septembris.

Conradus Dux Lanciciae villam suam *Borzęcin* **cum villis** *Popień* **et** *Służow* **coenobitarum Czirvenscensium propriis commutat** (1).

In nomine sancte et individue trinitatis, amen. Cum omnia gesta que sub solis circuitu peraguntur, ab humana memoria cum temporis cursu elabuntur, nisi scripture vel proborum virorum testimonio roborentur; cunctis igitur presentibus et futuris hanc paginam inspecturis innotescat. Quod ego Conradus diuina miseracione dux *Lancicie,* annuente uxore mea et filijs meis, cum monachis sancte Marie de *Czyrwensk* (2) quarumdam villarum feci commutacionem, *Borzanczyn* (3) quippe cum omnibus utilitatibus, eique villis attinentibus eis tradens, jure hereditario possidendum, pro duabus villis quarum una *Popen* (4) altera *Sluzow* (5) nuccupatur. Et ne aliquis filiorum meorum, post multorum curricula temporum, hujus pactum comutacionis moliatur irritare, hoc scriptum mei sigilli munimine dignum duxi confirmandum. Acta sunt hec et confirmata in *Vitow* (6) in colloquio, quod primum venerabilis Andreas Ploczensis Episcopus postquam Mazoviam intravit, cum duce Conrado et filijs suis habuit anno gracie domini Millesimo CC. XL. XV. Kalendas Octobris, XIII. indicione, epacta XXV., septimo concurrente. Hospites qui affuerunt sunt hij: Boleslaus dux Mazovie cum fratribus Semovito scilicet Zemovito, Andreas Episcopus Mazowie, et Wyrbeta frater suus, Johannes Abbas sancti Adalberti de *Ploczsk,* Nicolaus Scolasticus ploczensis, Noblus (sic) Canonicus Ploczensis, Przetpelk prepo-

(1) E libro manu scripto privilegia monasterii Czervinscensis continenti, in Bibliotheca Ordinationis Zamojscianae asseruato, et quidem Nro I. signato, cujus in addendis Tomi I. nostri Codicis mentionem fecimus, pag. 26 et 27 descriptum.

(2) *Czerwinsk* opp. territorii Plocensis.

(3) *Borzęcin* villa reg. Varsaviensis.

(4) *Popień* villa in palat. Masov. et regione Brzezinensi sita.

(5) *Służewo* villa territ. Cujaviensis.

(6) Sine dubio villa *Witow* dimidio milliario ab urbe Petricovia sita, coenobio Norbertanorum inclyta.

situs hujus scriptor privilegij, Gomanne (sic) agazo ducis Conradi, Constignyew judex ejusdem ducis, Czrywossand Wlosth cum fratre suo Petro et alij quam plures, quos scribere non potuimus.

XXVIII.

Czersciae 1241.

Conradus Dux Lancicidae, consentientibus filiis ipsius Boleslao et Ziemouito Masoviae, et Casimiro Cujaviae Ducibus, Getardo Comiti, ob victoriam ab eodem de Jadzwingis reportatam villam *Slużewo* **donat** (¹).

In nomine domini, amen. Nos Cunradus *prescriptus* (²) [Dux Lanciciensis cum omni consensu et voluntate nostrorum dilectorum filiorum

(¹) Tabulam hanc, quamvis in opere Bartossii Paprockii „*Herby Rycerztwa Polskiego w Krakowie* 1584" inscripto p. 276 typis vulgata sit, tamen hic denuo exhibendam esse duximus plura ejus tabulae nacti apographa exemplaria, quae nonnullas variantes lectiones offerunt. Namque praeter apographon a doctissimo Joanne Komiérowski descriptum, quod nobis oblatum habuimus, deprehendimus in libris manu scriptis Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae quatuor exemplaria hujus privilegii, videlicet: (a) In libro Metrica Regni dicto N^ro 4 p. 61 literis BB notato, quo continentur privilegia tantum a Ducibus Masoviensibus concessa annis 1446-1454. (b) In libro Metrica Regni dicto N^ro 9 p. 171 litera DD notato aeque privilegia tantummodo a Ducibus Masoviae annis 1470-1499 data continenti. (c) In libro itidem Metrica Regni dicto N^ro 189 p. 731 literis SD signato, continenti privilegia annorum 1643-1648. (d) Denique in libris manu scriptis ejusdem tabularii continentibus: acta judicii olim terrestris et castrensis Varsaviensis, et quidem in libro 12 p. 755, continenti acta annorum 1519-1520. In libris ad (b), (c), (d), allatis, item in apographo Komiérovsciano annus huic privilegio ascriptus est 1261. Jam doctissimus A. S. Helcel in nota prima ad tabulam XXXII. anni 1245 (vid. p. 50 Tomi I. hujus Codicis) recte monuit tabulam hanc annum 1261 falso praeseferre. Conjectura hujus doctissimi Viri certissima redditur non solum superius laudato libro Bartossii Paprockii, sed etiam multo magis libro manu scripto ad (a) allato: quum is liber privilegia nonnisi annorum 1446-1454 contineat, et in privilegio nostro ibidem contento annus „*M° CC° XL° primo*" diserte sit ascriptus. Error ascripti 1261 anni, qui in reliquis libris occurrit, procul dubio inde ortus est, quod numerus denarius (X) librariorum incuria post numerum quinquagenarium (L) positus est, quum ei anteponendus esset. Librum itaque ad (a) laudatum secuti, uti rectum annum exhibentem, ex eodem priuilegium hoc descripsimus, adjicientes varias lectiones in reliquis libris et in Bart. Paprockii opere obvias.

(²) Quum priuilegium hoc junctim cum privilegio anni 1245 omnibus libris sit insertum, et quidem ita, ut posteriorem locum obtineat, vocem itaque *prescriptus* ex privilegio anni 1245 supplevimus, et quidem verbis, quae uncis sunt inclusa.—Paprockius habet: Nos Conradus Dux n. f.—Nos Conradus dei gracia Dux Lanciciensis cum omni consensu et voluntate nostrorum dilectorum filiorum Boleslaj et Semowythy Mazowiensium et Kazymyry Cuyawyensis habent (b), (c) et (d).

B.(oleslai) Mazowie et Semouiti Kazimiri Cuijauien.] notum facimus vniuersis: Quod quadam vice Gotardus (3) Comes filius Luce noster fidelis seruitor, cum Prutenis et Lithphanis et Yaczwagy (sic) (4) viriliter contencionem fecit, suam vitam non curans. Tandem ipse Gothardus (sic) extans inexsuperabilis et vincit (sic) septemque Duces qui dicuntur Yaczwaijgowe incaptiuauit et in captiuitate ipsos retinens ad eundem (sic) deduxit (5). Quos quidem de captiuitate redimerunt (6) (sic) et exemerunt: videlicet pro quolibet Duce, nobis septingentas marcas puri argenti et graues (7) tribuerunt. Pro qua tamen victoria dicti Gotardi, sibi villam *Sluszewo* (8) perpetuis temporibus cum omnibus libertatibus contulimus, ipsam villam ex omnibus exaccionibus, solucionibus, collectis, vecturis et laboribus,.angarijs, preangarijs et vexacionibus vniuersis juris polonicalis, quocumque nomine censentur (9), liberando et penitus exemendo: dantesque sibi et suis successoribus, cum homicidium in dicta villa perpetraretur, caput percipere ex toto; et cum suus kmetho kmethonem alium interimeret, medietatem pene capitalis optinebit (10) (sic). Huius rei testimonij (sic) sigillum nostrum est appensum. Actum et datum ut supra [in Czirskij] anno incarnacionis domini M° CC° XL. primo (11).

(3) Gothardus habent (b) et (c).

(4) Pruthenis, Lythwanis et Yaczwyagy (sic) habet (b). — Pruthenis, Lithuanis et Jadzwyagy (c). — Prutenis, Lythvanis et Jaczwyaczij (d). — Prutenis, Lithuanis et Jaczuingis Papr.

(5) Tandem ipse G. e. i. devicit septem d. q. d. Yaczwyagowye (b). — T. i. G. e. insuperabilis devicit septem d. q. d. Jadzwiagowi e. i. captiuit atemeos reducens ad eandem (sic) d. (c). — T. i. Gotardus e. inexuperabilis devicit s. d. q. d. Jaczwyagovye i. e. i. c. i. r. (d). — T. inexuperabilis deuicit septem Duces q. d. Jaczuingouie i. e. i. c. eos r. ad nos d. Papr.

(6) redemerunt (c).

(7) grauis (c).

(8) *Sluzewo* (b), (c), (d). Gothardi s. v. Sluzeuo Papr.—Doctissimus A. S. Helcel in nota 2 ad tabulam XXXII. (p. 50 Tomi I. h. C.) affert: „Służewo oppidum parochiale est, et eidem vicinus pagus, territorii Cujaviensis, regionis Radziejoviensis." Nonne hic intelligenda est potius villa *Służew* parochialis territorii et regionis Varsaviensis haud procul ab urbe *Czersk* sita, praesertim quum regio Varsaviensis confinis sit provinciae Podlachiae, terrae quondam a populo Jadzwingi dicto occupatae. Ceterum de victoria a Gotardo ex Jadzwingis reportata conferatur Naruszevicius in opere „*Historya Narodu Polskiego*" T. IV. p. 216 ed. Mostovs.

(9) censeantur (b), (c), (d) et Papr.

(10) et cum suus k. k. alienum perimerit m. p. c. obtinebit (b) — et c. s. cmetho perimerit cmethonem alienum m. p. c. obtinebit (c) — et c. s. kmeto kmetonem alienum perimerit m. p. c. o. (d) — suus cmeto cmetonem alienum perimerit, medietatem paenae Capitalis obtinebit. Papr.

(11) Hujus rei testimonium s. n. e. a. A. e. d. u. s. a. i. d. ICCLX. primo (b) — anno Domini millesimo CCC. (sic) LX. primo (c) — a. d. 1261 (d).—In cuius rei testimonium, sygillum nostrum

appensum. Actum et datum Varscheuiae, anno Incarnationis Domini 1241. Papr. — Hic itaque perperam Paproccius posuit Varscheuiae, quum in omnibus libris a nobis laudatis scriptum sit: actum et datum ut supra. Quum autem vox *supra* referatur ad privilegium anni 1245, ibi autem legatur in Czirsky (a)—in Czyrski (b)—in Czyrsk (c)—in Krysk (d)—in Czersk in apographo Komiérovsciano; ideo in nostra tabula describenda *Czersk* oppidum apponendum esse haud dubitauimus: innixi praeterea argumento in nota superiori octava allato. Huc accedit etiam, quod in alio privilegio eidem Gotardo et Stanislao ejus filiastro, a Duce Conrado anno 1231 (Liber Metrices Regni Nro 4 p. 61) dato, Gotardus et Stanislaus heredes de Rakowo dicuntur, quae villa etiam in territorio Varsaviensi sita est; tum quod in opere Bart. Paprockii „*Herby Ryc. Pol.*" p. 276 superius laudato, aliae villae Gotardi posteris concessae, uti *Rusiec, Nadarzin, Skorosze, Stara wieś, Urzqd* (nunc *Urzut*) et *Zabiniec* omnes jacent in terra Varsaviensi, non admodum longo intervallo ab oppido *Czersk* distantes.

XXIX.

Toruniae, anno 1241 die 17 mensis Januarii.

Michaël Episcopus Cujaviae et Pomeraniae et Samborius Dux Pomeraniae lites inter se exortas componunt certis conditionibus adjectis (¹).

Cum questio verteretur inter dominum M(ichaëlem) Episcopum Cujavie et Pomoranie, et dominum Samborium Ducem Pomoranie super decimis et pluribus aliis capitulis, mediante Legato domini Pape, Magistro et fratribus domus tetonice (sic) in Prutia (sic), et fratribus minoribus, et quibusdam aliis bonis viris; talis concordia et transactio placuit inter eos: ut pro omnibus questionibus, que vertebantur inter predictos dominos, daret dominus Samborius Episcopo et ecclesie Wlodizlaviensi XIIII^or villas, cum omni libertate et iure, et alia terra, que remanebat predicto Duci in Pomorania, libera esset a prestatione decimarum. Et ita contulit predictus Dux prefato Episcopo et ecclesie eius infrascriptas villas, cum omni libertate et iuridictione, et cum omnibus pertinenciis earum, piscacionibus, venacionibus,

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario quodam priuato in Gallicia asseruatur, descriptum. Taeniolis pergamenis appensa sunt duo sigilla: unum mediae formae exhibet hominem equo insidentem, ex literis in ambitu exaratis tantum: . . . „*M.* . . . . *Ducis P.* . . ." legi possunt: alterum sigillum minoris formae ex longo rotundum repraesentat episcopum: literae in circuitu hae leguntur: „*S. Mich.* . . . . *javiensis*". Erant adhuc duo sigilla appensa, quae abrupta sunt.

campis, silvis et pratis, pascuis, paludibus, et aquis, et cum omni utilitate que eis posset modo aliquo provenire: ita quod sibi nichil iuris retinuit sepedictus S(amborius), in supradictis villis, et earum pertinenciis. Verum tamen dominus Episcopus convenit eundem (sic) Duci: quod si fuerit necesse pro deffensione terre, faciet homines predictarum villarum cum armis procedere, sicut poterunt, pro terre deffensione. Et si fuerit necesse propter timores inimicorum, liceat domino Episcopo facere municionem inter predictas villas, vel municiones, de predicti tamen Ducis consilio et consensu. Et Dux convenit et promisit adhibere, si opus fuerit, consilium et consensum. Et omnia, que hic scripta sunt, promiserunt sibi adinvicem Episcopus et Dux, per se et per omnes successores suos, rata et firma in perpetuum confirmare. Promisit eciam sepedictus Episcopus, quam cito se facultas optulerit (sic) per se vel per nuncium et litteras ad confirmacionem istius concordie per litteras apostolicas bona fide et cum omni diligencia laborare. Nomina autem predictarum villarum hec sunt: *Ostriche, Goranchino, Vanckovo, Zakonicj, Leessno, Vagnino, Semagnino, Kopino, Karlikovo, Ramikovo, Darganche, Raancj, Mieskovo, Slavcovo* ([2]). Et de omnibus predictis villis constituit se predictus Dux, nomine prefati Episcopi possessorem: ita quod quandocunque placuerit Episcopo per se vel per nuncios suos, apprehendat omnium corporalem possessionem, et in perpetuum possideat pacifice et quiete. Testes autem, qui huic concordie interfuerunt, sunt hij: Venerabilis pater Legatus domini Pape Willermus quondam Mutinensis Episcopus, Poppo magister fratrum domus Teutonice in *Prutia,* Nicholaus custos fratrum minorum in *Wlodizlavia,* Johannes Scolasticus Wlodizlaviensis, Laurentius canonicus ibidem; Rotkerus canonicus Cruxviciensis (sic), Venchesclaus (sic) archidiaconus *Pomoranie,* et quidam alij. Datum in *Thoron,* anno gracie M° CC° XLI, in vigilia cathedre Beati Petri. Et ut hec omnia illibata in perpetuum permaneant, prefati domini: Legatus, Episcopus, Dux, et Magister presentem paginam sigillis suis muniverunt.

(²) De his villis vide notam 2 ad tabulam proxime sequentem.

XXX.

Toruniae, anno 1241 die 21 mensis Februarii.

Samborius Dux Pomeraniae, Michaëli Episcopo Cujaviae et Pomeraniae sedem et domicilium in Pomerania collocature praefecturam sive castellaniam *Gorrenczyn* **cum octodecim villis donat** (¹).

Nouerint uniuersi sancte matris ecclesie filii, quod cum venerabilis pater dominus Mychaël Episcopus *Cuiauie* et *Pomeranie* domicilium habere affectaret in *Pomorania:* quatinus ibi alternatim commorans episcopale officium efficacius et salubrius in clero exerceret, et populo: Ego Samborius dux *Pomoranie* tam laudabili proposito grato concurrens animo, prudentum ac religiosorum virorum communicato consilio, contuli predicto Episcopo et successoribus eius in perpetuum quandam terre mee Castellaniam, que *Goruchino* (²) vulgariter nuncupatur, decem et octo villis utilibus preciosam. Nomina siquidem villarum sunt hec: *Goruchino, Waccouo, Zakonicj, Lesno, Kelpyno, Vazino, Derisno, Karlicouo, Borzce, Sadobardj, Vissecechouo, Semanino, Slavcovo, Borechovo, Rancj, Ranicovo, Darganze, Ostrice* (³). Hanc igitur Castellaniam iam dicto Epyscopo et eius ecclesie, in perpetuum liberaliter donaui cum omni libertate ac jurisdicione, et cum omnibus pertinenciis eius, videlicet: piscacionibus, venationibus, campis, siluis, pratis, pascuis, paludibus et aquis; et cum omni utilitate, que in eadem Castellania

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato descriptum. Sigillum, quod appensum erat taeniolis pergamenis, desideratur.

(²) *Gorrenczyn* in territorio Gedanensi et regione Stargardiensi.

(³) Omnes hae villae sitae sunt in regione Gedanensi, propius vel longius ab ipsa urbe Gedano remotae. Plures earum fortasse nomen mutarunt, aliae excisae et eversae sunt: ideoque non omnes in recentioribus ind cibus villarum, vel chartis geographicis inveniri possunt. Attamen nostris temporibus etiam nonnullae earum recensentur, videlicet: *Gorrenczin*, *Zuckau*, *Leesen*, *Kelpin*, *Warzenow* v. *Warcznau*, *Warcino* apud Damalevicium, *Karlikau (Krolików* v. *Karolków)*, *Bortsch*, *Vissecechovo* apud Damalevicium *Wysleczechowo*, hodie vero *Altweichsel* v. *Weichselmünde*, *Semlin*, *Slawkowo*, *Bork*, *Ramkau*, *Ostritz (Ostrzycz)*, villae ejusdem Gedanensis territorii. Villae hae maximam partem decanatui Mirachoviensi, Wladislauiensis diocesis, adnumerabantur.

potest nunc, et in posterum, modo aliquo prouenire. Ita inquam contuli, quod nichil michi juris in ea retinui, sed nec meis heredibus jus aliquod conseruauj. Liberum igitur est et erit cuilibet Epyscopo Cuiauie, municionem contra hostes in quolibet loco dicte castellature construere, meo vel heredum meorum consensu minime requisito. Pro se tamen et suis successoribus sepedictus promisit Epyscopus, quod pro terre defensione predictarum villarum incole, sub meo debent vexillo militare: ad huiusmodi expedicionem non procedencium pena Epyscopo reseruata. Dictam igitur Castellaniam, cum pleno jure Wladizlauiensi Ecclesie, tali videlicet contuli racione, ut reliqua pars terre mee, quam duobus fratribus meis Spantopolco (sic) scilicet et Ratiborio viuentibus, in *Pomorania* hereditario jure possideo, libera sit in perpetuum, a prestacione predialium decimarum Epyscopo videlicet Wladizlauiensi. Quam libertatem ita supradictus Episcopus cum consensu sui condonauit capituli, ut, si Wladizlauiensis ecclesia, per me vel per meos successores, aliquatenus in sepe dicta ledatur Castellania, memorate decime in Wladizlauiensis Epyscopi potestatem, plenarie reuertantur: castellania cum suis pertinenciis et utilitatibus in Ecclesie possessione nichilominus permanente. Datum in *Thorun* anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo quadragesimo primo. Nono Kalendas Marcij.

XXXI.

Sine loco, anno 1242 die 5 mensis Maji.

Boleslaus Dux Sandomiriae homines *Belejevicos* a ditione ecclesiae Vladislaviensis disiunctos, eidem ecclesiae vult esse restitutos (¹).

In nomine domini, amen. Ne negocia temporalium actionum simul cum tempore defluant, et in aluo obliuionis demergantur, expedit ea testium et littere fulcimento perhenni memorie inculcare. Ego siquidem Bolezlaus

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato descriptum. Sigillum funiculo serico coloris rubri appensum penitus destructum.

Dux *Sundomirie* (sic), notum facio presentibus et futuris: quod homines *Belejeuici* (2) beate Marie Wladizlauiensis ecclesie in *Voybor* pertinentes, temporibus bone memorie Ogerij (3) ob multiformes distractionum et direptionum pressuras, cum nullo penitus tuitionis solacio potirentur, sub umbram protectionis felicis recordationis Ducis Lestconis conuolarunt, sese in officium venatorum subicientes: in quo usque ad tempora uenerabilis patris Michahelis Episcopi perdurarunt. Quos dictos Episcopus M.(ichaël), in colloquio *Gusaua* (4) celebrato, zelum domini zelando, coram Archiepiscopo sancte opinionis Vincentio et suffraganeis eius: Juone Cracouiensi, Laurentio Wratislauiensi, Paulo Poznaniensi, Laurentio Lubucensi, episcopis, Gunthero electo Plocensi, audacter repeciit et meruit optinere a dicto Duce iuratoria caucione accepta, quod eos in pristinum ius et ministerium ecclesie, a qua fuerant alienati, in integrum reformaret; quod ex tunc fecisset, nisi mortis articulo fuisset prefocatus. Quos postmodum relicta dicti Ducis L.(esconis) (5), in colloquio habito in *Scaresou* (6), coram memorato episcopo Cracouiensi Y.(vone), et nobili uiro comite Pacozlo seniore, sollempniter et manifeste uotum uiri sui complens, dimisit (7). Nouissime autem ego, in colloquio facto in *Meduna* (8) ante *Sarnou* (9), restitucionem dictorum hominum in officium ecclesie memorate restitutorum confirmaui, et (sic) coram hiis testibus: Mistiuyone palatino, Crezlauo, Johanne cancellario, Bartone tezaurario, Jazdone, Bodeta, Nicholao, Ottone iudice, Prezlao, Belca, Diuisone, et aliis multis: et ut tam sollempne factum perpetis sit ualitudinis et uigoris, huius priuilegij et sigilli munimine communiui. In eodem uero conuentu, uidelicet ante *Sarnou*, rusticum ante dicte ecclesie, a patruo meo Duce L.(escone)

(2) Homines *Belejeuici*, nimirum incole villae *Bielewice* vel *Bielowice*. Villa haec est in territorio et regione Opocznensi non longe a *Wolboria* distans.

(3) Ogerius, Agerius vel Georgius decimus quintus ex ordine, secundum Damalevicium, episcopus Cujaviensis.

(4) Forsan *Gąsawa* v. *Gonzawa*, oppidum ad Gonzawkam fluvium in palatinatu olim Gnesnensi, territorio vero Bydgostiensi, situm.

(5) Grimislava Dux Russiae.

(6) *Skaryszow* v. *Skarzeszów*, oppidum parochiale in palatinatu Sandomiriensi, regione vero Radomiensi situm.

(7) Vide privilegium anni 1228 Tomo I. hujus Codicis p. 31 insertum.

(8) *Miedzna*, villa in palatinatu olim Sandomiriensi, regione vero Opocznensi sita.

(9) *Żarnow*, opp. parochiale in palatinatu Sandomiriensi et regione Opocznensi situm.

dudum absolutum, coram eisdem testibus a solutione urne mellis, duxi in perpetuum eximendum. Datum anno incarnacionis dominice M° CC. XX. secundo ([10]) III. nonas Maij.

([10]) In ascribendo anno, quo tabula haec scripta fuit, manifestus error deprehenditur. Etenim in contextu hujus documenti Boleslaus commemorat: 1, patrem suum Lesconem jam e vita excessisse, (constat vero eundem anno 1227 in villa Gąsawa interemptum). 2, A matre sua Grimislava in colloquio Scariszeviensi quaedam de eisdem hominibus Belejeuici dictis sancita fuisse: e tabula autem XIX. Tomi I. nostri Codicis p. 31 videre licet, illud colloquium anno 1228 habitum fuisse. Annus itaque 1222 nequaquam uti rectus ascribi potest. Vox *secundo* in hac tabula totaliter exscripta, in eam nos opinionem adducit: errorem tantum in numero denario inesse. Inter testes citatur unus, qui hanc solvit quaestionem, nimirum *Mistiuyon*. Hic laudatur veluti palatinus, procul dubio palatinus Cracoviensis; nam si intelligendus esset palatinus Lanciciensis, tunc vox Lanciciensis diserte addita fuisset. Palatinus Cracoviensis Sulislaus e villa *Ruszcza* oriundus, ornatus insigni Gripho dicto, mortem oppetiit apud urbem Ligniciam anno 1241 (Vide Długossium). Non dubitamus itaque annum 1242 uti verum apponere. Error autem inde ortus esse videtur, quod librarius loco XL. numerum XX. scripserat.

XXXII.

Siradiae, anno 1242 die 16 (?) mensis Junii.

Conradus Dux Cracoviae et Lanciciae, hominibus sic dictis ascripticiis archiepiscopi Gnesnensis, nec non episcoporum Masoviensis, Cujaviensis, aliarumque ecclesiarum, varia privilegia largitur ([1]).

Notum sit uniuersis, quod ego episcopus Wratizlauie, a duce *Lancicie* Conrado, priuilegium libertatis uillarum ecclesie in eodem ducatu positarum, et in ducatibus filiorum predicti ducis, Bolezlaui et Kazimirj, cum consensu eorundem obtinui, quod priuilegium omnes predicti duces, sigillis suis muniuerunt. Cuius tenor talis est:

In nomine domini, amen. Ego Conradus dux Cracouie et Lanchicie predecessorum meorum uestigiis adherens, eorumque cupiens fieri ijdoneus imitator, presertim in eis, que pietatis officio ad diuinum cultum et eccle-

([1]) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asservato descriptum. Sigillum deest. Superest taeniola pergamena unius tantum sigilli, quamvis in tabula mentio fiat de tribus sigillis.

siasticam utilitatem fecisse noscuntur, finemque cupiens inponere laboribus venerabilis patris mei Fulconis diuina disposicione Gneznensis Archiepiscopi, et ipsius successoribus, et similiter Mazouiensi et Cuiauiensi Episcopis et successoribus eorum; iura seu libertates inferius adnotatas, pro me et meis successoribus, in terris, quas nunc possideo uel in futurum deo auctore possidebo, resigno, dono et confirmo. Omnes igitur ascripticij homines beati Adalberti, et Cuiauiensis Episcopatus, ac aliarum ecclesiarum cuiuscujusque (sic) condicionis uel seruitutis siue officij fuerint, per totum ducatum lanchiciensem, et eciam in ducatu Mazouiensi: prout a dilecto nostro filio Bolezlao duce Mazouiensi deuota et humili optinuimus (sic) peticione: omnes ascripticii Mazouiensis Episcopatus, omni et plena gaudeant immunitate, liberi ab omni prediali siue personali seruitute, que umquam in eis uel eorum prediis Ducibus Polonie compeciit: ita quod neque *preuori,* neque *preuod,* neque *pouoz,* neque *naraz,* nec aliquod aliud seruicium uel utilitatem quocumque uocabulo censeantur, ab eisdem hominibus duces Mazouie et Lanchicie expetent: sed idem (sic) homines ascripticij, cum omni utilitate uel seruicio, tantum dominorum suorum subiacebunt potestati: in nullo casu a duce uel ab alio de eius mandato judicandi, sed tantum dominorum suorum audient iudicia, uel eorum, quibus eos domini ipsorum commiserint iudicandos. Prefati eciam homines ecclesiarum ad nullum exercitum trahentur inviti, nisi exercitus cogeretur ad terre defensionem. Nullum castrum nouum edificabunt, sed antiqua propter terre deffensionem, secundum quod ab antiquo consueuerunt, refficient (sic): hoc tamen adhibito moderamine, quod in huiusmodi reedificatione nullum beneficium, quod uulgariter *Supa* dicitur, constituent. Nec omnes ad talem reedificacionem venire cogantur, sed quotcumque uoluerint; dum modo opus competenter perficiatur. Item dux, qui fuerit pro tempore, non transibit castellaniam de *louich,* et aliam de *vogbor,* nisi semel in anno: et tunc procurabitur et deducetur cum tot curribus, quod (sic) erunt in predictis castellaturis, qui (sic) ibi homines suos non habet. Aliis autem uicibus quocienscumque transierit, perticarium deducent, et unum procurabunt venatorem, nec currus ultra metas trahent utriusque castellanie. In siluis autem de *louich* et *vogbor,* nec dux, nec alius pro eo, venabitur: nisi cum ipsum modo transire contigerit, et moram ibi non faciet propter venacionem, nec alias manens illuc mittet ad uenandum. Quatuor

autem uille, in quibus Archiepiscopus mansionem consuevit habere, videlicet: *Louich*, *Slup* (²), *Uneyou* (³) et *Suaraua* (⁴), et uilla de *Vogbor*, que circa ambitum ecclesie est collocata, eo gaudeant priuilegio libertatis, quod in ipsis, quo ad iura ducalia, eiusdem sint libertatis et condicionis liberi cum ascripticiis. Et a nemine iudicabuntur preter Archiepiscopum, uel eius tribunum. Et similiter dicte ville de *vogbor* homines preter episcopum, uel eius tribunum, a nullo debent judicari. In duobus autem tantum casibus, videlicet: cum solutio se extendat ad septuaginta marcarum solutionem, et cum perticarij ducis in eius transitu de eisdem uillis depelluntur: dux cum archiepiscopo, uel eius tribuno, dictarum uillarum homines judicabit, et tunc non citabuntur ad ducem per camerarium, sed eorum suppanum, littera ducis ad eum transmissa; et in hiis casibus dux cum archiepiscopo per medium diuidet iudicatum. Cum vero inter homines sepe dicte ville de *vogbor* et ducales in iudicio fuerit litigatum; si contra Episcopales iure fuerit sentenciatum: Dux cum episcopo Cuiauie per medium diuidet iudicatum. Item liberi homines in villis archiepiscopi et canonicorum seu capellanorum ipsius sedentes, a nemine iudicabuntur nisi tantum a duce; et simili (sic) in ducatu Mazouie homines liberi tam in villis Episcopalibus, quam eciam in villis degentes canonicorum seu aliarum ecclesiarum, gaudeant priuilegio libertatis. Nullum conductum ducent nisi militarem. Ad nullam expedicionem trahentur preterquam ad prutenicam, tunc cum dux publicam fecerit expedicionem, et ad defensionem terre contra quemlibet invasorem. Item liberi homines in villis Archiepiscopalibus, et in *Voybor*, et similiter in Mazouiensi episcopatu, ascripticiis permixti, usque ad tres familias, eadem qua et ascripticii libertate fruantur. Item ville ecclesiarum falconarios et falcones non recipient, neque pascent. Castorarios capientes castores ducent et procurabunt. Preterea uenatores ceruorum et aliarum bestiarum in villis ecclesiarum, nichil per uim extorquebunt, nisi eis aliquid per bonam voluntatem exhibeatur. Et hec omnia contemplatione salutis eterne, et ob

(²) Est villa *Slup* in provincia Masoviae, regione vero Gostinensi sita. Attamen incertum est, an haec villa intelligatur, plures enim sunt ejusdem nominis villae. *Łowicz* postea oppidum territorii et regionis Sochaczeviensis.

(³) *Uniejów* postea oppidum territorii Calissiensis.

(⁴) Forsan *Swarowy* villa in palatinatu Plocensi, territorio vero Lipnensi sita.

amorem et reuerentiam venerabilis patris mei, Fulconis Gneznensis Archiepiscopi, Beato Adalberto, et ecclesie ipsius, et Mazouie et Cuiauie Episcopatibus, cum consensu filiorum meorum, Bolezlaui Ducis Mazouie, et Kazimiri Ducis Cuiauie, donaui perpetuo possidenda. Ut autem hec mea donatio robur sorciatur perpetue firmitatis, et a meis posteris in perpetuum inviolabiliter observetur, presentem paginam mei sigilli, ac sigillorum supradictorum meorum filiorum, munimine duxi roborandam. Datum in *Syiraz* anno gracie M. CC. XL. secundo, vi (sic) x (sic) Kalendas Julij (5), Venerabilis patris mei fulconis pontificatus anno decimo.

(5) Forsan sexta decima Kal. Julii.

XXXIII.

Sine die et loco, anno 1242.

Conradus Dux Lanciciae et Cujaviae testificatur, abbatem Sulejoviensem villas *Lubotyń* **et** *Zakrzewo* **cum villa** *Barkowice* **episcopi Vladislaviensis propria commutasse** (1).

1262. Notum sit omnibus presentem paginam visuris. Quod nos Kazimirus dei gracia Dux Lancicye et Cuiauie, patris nostri Ducis Conradj felicis recordacionis litteras vidimus et audiuimus, scriptas in hec verba:

1242. Conradus dei gracia Dux Lancicye et Cuiauie, vniuersis presens scriptum inspecturis, salutem in domino. Nouerint omnes, ad quos presens scriptum peruenerit: Quod nos, ob reuerenciam omnipotentis dei, et in remissionem nostrorum peccaminum, Abbati totique conuentui de *Suleyow* (2), eorumque successoribus, in perpetuum contulimus libertatem in villa eorum, que *Lubothin* (3) wlgariter dicitur, cum alia villa, que *Zakrewo* (4) nuncupatur, locandj jure theuthonico ciuitatem, ita videlicet, quod predictorum locorum incole ab omni seruicio et solucione et exactione qualibet, quocumque vocentur nomine, sint perpetuo liberi et inmunes; ac in nostro

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato descriptum. Sigilli abrupti restat funiculus sericus rubri coloris.
(2) *Sulejow* oppidum regionis Petricoviensis.
(3) *Lubotyń* villa regionis Brestensis Cujaviensis.
(4) *Zakrzewo* villa regionis Brestensis parochiae vero Lubotinensis.

dominio, per terram et aquas, ab omni theloneo liberi jidem incole pertransibunt. Prefatas igitur villas, cum omni libertate iam prefata, prenominatus Abbas et suus conuentus, venerabilj patrj domino Michaēlj Wladislauiensis ecclesie episcopo, ac suis successoribus, permutauerunt et dederunt pro villa, que *Barchouicj* (5) wlgariter nuncupatur, jure hereditario in perpetuum possidendas: et hanc permutacionem et donacionem, de nostro consensu et voluntate bona, esse factam protestamur. In cuius rei testimonium, hanc paginam nostro sigillo fecimus roborarj. Datum anno domini M° CC° quadragesimo II°.

Nos itaque predictam libertatem patrjs nostrj ratificamus, confirmamus, et presentibus innouamus. Insuper multa seruicia venerabilis patris nostrj Wolimirj predicte Wladislauiensis ecclesie Episcopi respicientes, sibi et suis successoribus concessimus duas villas antiquas suas, vel Canonicorum suorum, locare eodem jure theuthonico, quas prefate ciuitatis omnino gaudere volumus libertate. Huiusmodi factum ut perpetuum robur optineat firmitatis, presentem paginam nostri sigilli munimine fecimus roborarj. Datum in *Choual* (6) anno domini M° CC° LX° II°. Presentibus: Boguslao castellano de *Juuene Wladislauia,* Ubislo (sic) judice, Mauricio subcancellario, Johanne preposito, Lyphardo archidiacono Crusuiciensibus, Jacobo sacerdote, et alijs quam pluribus fide dignis.

(5) *Barkowice* villa regionis Petricoviensis.
(6) *Kowal* oppidum territorii Cujaviensis.

XXXIV.

Radomscii, anno 1243 die 12 mensis Maji.

Conradus Dux Cracoviae et Lanciciae, villam *Siedlce* episcopi Cujaviensis propriam ab omni praestatione et exactione immunem esse vult (1).

1253. In nomine domini, amen. Nouerint uniuersi sacrosancte matris Ecclesie filij presencium inspectores: quod nos Kazimirus Dux Lanchicie

(1) E tabula authentica membranacea in tabulario capituli Vladislaviensis asseruata descriptum. Sigillum abruptum, restat tantum funiculus sericus, quo appensum erat, coloris flavi.

et Cuyauie, anno domini M° CC° L° tercio, in crastino octaue Petri et Pauli apostolorum, secunda videlicet feria, in villa nostra, que *Cloba* (²) uulgariter appellatur, exhibente nobis venerabili patre Volimiro, diuina vocacione Ecclesie Wlodislauiensis Episcopo, priuilegium sigillo patris nostri C.(onradi) pie recordacionis quondam Ducis Lanchicie roboratum: quod a nobis et nostris successoribus perhenniter et inconuulse volumus obseruari: vidimus sub hac forma:

1243. In nomine sancte et indiuidue trinitatis, amen. Quia longinquitate temporis sepe fit, ut non pateat condicio originis: quod nos Conradus dei gracia Dux Cracouie et Lanchicie diligencius precauentes, notum facimus presentibus et futuris: venerabilem patrem nostrum Dominum M.(ichaëlem) Cuyauiensem Episcopum villam quandam sitam in districtu Lanchiciensi, que *Sedlce* uulgariter appellatur: quam quidam miles Henricus nomine, ob remedium anime sue fratribus ordinis predicatorum de *Ploczk* noscitur contulisse; ab eisdem predicatoribus pro XXX^ta^ marcis argenti, sub nostro testimonio et baronum nostrorum, comparasse. Cum autem villa predicta speciali priuilegio libertatis ab antecessoribus nostris olim fuerit decorata: ut videlicet homines in ea commorantes *pouoz* et *preuod* non ducant, nisi sit militale, et *naraz* non soluant; item ad expediciones et castrorum edificaciones ire non teneantur; nec citati ad audienciam cuiuslibet judicis, siue palatini, siue castellani, astare compellantur; et si astiterint, minime tamen respondeant: Nos, easdem libertates ratas habentes et confirmantes, concedimus et volumus, ut jam dicta villa, ab omni prestacione et exactione penitus sit immunis. Et ad peticionem prenominati patris nostri, tam super hijs libertatibus, quam super empcione ville sepius nominate, priuilegium nostrum eidem Episcopo concessimus; facientes ipsum, sigilli nostri munimine et adnotacione subscriptorum testium, perhenniter roborari. Huius autem rej hij sunt testes: Dominus Volimirus cancellarius curie nostre. Msciuuy Palatinus Cracouiensis (³). Chcibor palatinus Lanchiciensis. Dobeslauus curie nostre judex. Domicianus tesaurarius. Lasota pincerna. Mrochek

(²) *Klobia* villa regionis Cujaviensis.
(³) Falso itaque Niesieccius et Nakielscius affirmant hunc Mscivuyum dignitate palatini Cracoviensis anno 1242 se abdicavisse.

subcamerarius. Urbanus agazo. Thomas dapifer. Datum in *Radomska* (4) anno gracie M° CC° XL° III. Per manum Cancellarij nostri domini Johannis hungari, in die sanctorum martyrum Nerey et Achilley.

(4) *Radomsko* oppidum regionis Petricoviensis.

XXXV.

Junivladislaviae, anno 1243 IV. Kal. Septembris (die 29 Augusti).

Foedus inter Henricum de Wida Magistrum Ordinis Teutonici cum Casimiro Duce Cujaviae atque Samborio et Ratiborio Pomeraniae Ducibus contra fratrem ipsorum Swiętopelconem ictum.

Lucas David B. III. p. 7.

XXXVI.

Laterani, anno 1244 XIV. Kal. Junii (die 19 Maji).

Innocentius IV. Papa significat Casimiro Duci Cujaviae, se durante bello equitum rei Christianae propugnatorum contra ethnicos Prussos, bona illorum et familias, aeque ac ipsum Ducem Casimirum in suam fidem recipere.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. I. p. 57 Nro 60.

XXXVII.

Laterani, anno 1244 XII. Kal. Junii (die 21 Maji).

Innocentius IV. Papa significat Wratislaviensi et Lubusensi episcopis, se in fidem sedis apostolicae recepisse Casimirum Ducem Cujaviae et equites rei Christianae contra ethnicos Prussos depugnatores; iisque injungit, ut videant, ne illi a quopiam detrimentum capiant.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. I. p. 58 Nro 61.

XXXVIII.

Krisci, anno 1245 die 28 mensis Aprilis.

Conradus Dux Lanciciae villam *Służewo* Gotardo Comiti donat.

T. I. hujus Codicis p. 50 Nro XXXII.

XXXIX.

Lugduni, anno 1245 II. Idus Octobris (d. 14 Octobr.).

Innocentius IV. Papa injungit Abbati coenobii Mezanensis, ut lites inter episcopum Cujaviensem, Ordinem Teutonicum et duces Poloniae ab una, et inter Ducem Pomeraniae ac Prussos ab altera parte exortas dirimat, alioqui omnes partes ad sedem apostolicam dimittat.

Lucas David B. III. p. 11. — Raynaldi annales ecclesiastici a. 1245 Nro 90.

XL.

In villa Mierzyn (? Mirano), anno 1248.

Casimirus Dux Cujaviae Spitigneum Palatinum Lanciciensem, optime de civitate meritum praemio remuneraturus, villam *Screpseuo* eidem confert, aliaque privilegia a patre suo Conrado data, rata esse jubet.

Paprocki in opere „Herby Rycerztwa Polskiego" p. 363.

XLI.

Kowaliae, anno 1248 die 7 mensis Maji.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae vendit cantori ecclesiae Vladislauiensis lacum dictum *Lempno majus,* **una cum fluvio dicto Lompnica, eaque ecclesiae Vladislauiensi alienandi concedit potestatem** (1).

Nouerint uniuersi presens scriptum inspecturi: Quod nos Kazimirus dei gracia Lancicie et Cuiauie dux uendidimus Boguzlauo, cantori ecclesie Wladizlauiensis, lacum qui dicitur *lempno majus,* cum toto fluuio dicto *lompnica,* qui inde egreditur, cum castoribus et omnibus suis utilitatibus: dantes ei potestatem molendinum construendi ibidem, et locandi molendinarium, uel hominem alium in nostro territorio, quod predicto lacuj et fluuio adiacet. Ita quod de eodem territorio habeat, quod ei ad unam aream sufficiat, habeat et usum lignorum borre nostre adiacentis, dum tamen illa uendere non presumat. Castores uero per totum lacum, et eciam per totum fluuium, dicti cantoris erunt usque ad molendinum, et non ulterius. Et quoniam eidem cantori placuit, omnia supradicta ecclesie Wladizlauiensi conferre: ipsam collacionem ratam habentes et gratam, eam liberaliter confirmamus. Adicientes ut tam ipse, quam dicta ecclesia, omnia supradicta libere, pacifice, et absque omni exactione, jure hereditario, in perpetuum possideat. Actum in *couaile* (2) anno domini M° CC° XLVIII° II° nonas Maij.

(1) Ex tabula authentica membranacea in tabulario capituli Vladislaviensis asseruata. Sigillum, quod deest, appensum erat funiculo serico rubri coloris.
(2) Kowal.

XLII.

Gedani, 1249.

Michaël episcopus Cujaviensis cum coenobio Olivensi de quibusdam decimis paciscitur, quod pactum a Mestwino Duce Pomeraniae sancitur a. 1279.

Leop. v. Ledebur Neues allg. Archiv für die Geschichte Preussens T. II. P. III. p. 206.

XLIII.

Junivladislaviae, anno 1250.

Casimirus Dux Cujaviae Abbati coenobii Lendensis urbis ibidem jure teutonico locandae dat potestatem.

J. L. „Początkowe Prawodawstwo Polskie" p. 187.

XLIV.

Sine die et loco, anno 1250.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae Nicolao praeposito Vladislaviensi confert potestatem villam *Sobota* jure teutonico locandi (¹).

In nomine domini, amen. Ne res gestas aboleat processus temporum, confirmat illas sollempnis titulus litterarum. Nos igitur Kazimirus dej gracia dux Lanchicie ac Cuiauie notum facimus uniuersis presentibus quam futuris, presens scriptum inspecturis: Quod nos, ad honorem dej et beate Marie, damus et liberaliter concedimus, et presenti scripto confirmamus Magistro Nicholao phisico preposito Wladizlaujensi, capellano nostro, villam que *Sobota* (²) dicitur cum suo districtu prepositure Wladizlauiensi pertinentem, disponere jure theutonico et locare, ipsi et suis successoribus cum omnibus utilitatibus, que ibidem poterunt procurarj, cum libertate plenaria, perpetuo possidendam. Volumus autem et firmiter promittimus Solteto (sic), quam omnibus in terminis jam dicte ville locatis, ipsis et eorum successoribus jus theutonicum, quo utuntur jncole de *Bresce* (³) plenarie et jntegre

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Vladislaviensis. Sigillum penitus destructum appensum est funiculo rubri coloris.

(²) Oppidum ad *Bzuram* fluvium in Palatinatu olim Lanciciensi territorio vero Brzezinensi situm.

(³) *Brześć Kujawski.*

conseruari, jn nostram eosdem suscipientes protectionem, et nollentes (sic) ab aliquo penitus molestarj. Ut autem hujus nostre donacionis gracia simul et libertas, jn posterum et perpetuo permaneat jnconcussa, presentem paginam nostrj sigillj munjmine dignum duximus roborare. Huius uero rej testes sunt: Wolimirus noster cancellarius, Mauricius subcancellarius, Bugizlauus, Suentozlauus filius Vircisirj, Cristinus subcamerarius, Albertus subiudex, Johannes subpincerna, Sbilutus subdapifer, Curardus et Michaël. Actum anno domino (sic) M° CC° quinquagesimo.

XLV.

In oppido Raciążek, anno 1250 mense Januario.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae decedit de jure suo instituendi praepositos ecclesiae Vladislaviensis, illudque episcopis Vladislaviensibus confert (¹).

Cum mencium bonarum sit ibi culpam agnoscere, ubi culpa minime reperitur; et ideo nos Kazimirus dei gracia Lanchicie et Cuiauie dux cauentes, ne nostra propter hoc consciencia lederetur, et tandem hoc ipsum nobis uergeret in interitum salutis eterne, quod collacionem seu presentacionem prepositure ecclesie Wladislauiensis per quoddam instrumentum, (quod in bonis patris nostri, pie recordacionis quondam ducis Conradi, cum apensione sigilli Episcopalis et eciam capituli Wladislauiensis, repertum fuisse dicebatur) nobis vendicabamus; omni juri collacionis seu presentacionis eiusdem prepositure, quod exinde nobis competere credebamus, plene pro nobis et nostris successoribus, in manibus venerabilis patris nostri Michaëlis Wladislauiensis episcopi, per dominum Volimirum nostre curie cancellarium et prepositum ecclesie crusuiciensis, et Nicholaum fratrem ordinis minorum taliter renunciamus: quod de cetero dictus Episcopus et sui successores, prepositure supradicte in perpetuum, sine omni concussione, jus habeant conferendi: omnibus penitus instrumentis super dicta prepositura, pro

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato. Sigillum appensum funiculo serico coloris rubri, penitus deletum.

iure nostro quoquo modo confectis, per nos adnichilatis, ac in irritum reuocatis. In cuius rei recordacionem, presens instrumentum munimine sigilli nostri fecimus roborari. Actum in *Radcis* (²) infra octauas Epiphanie anno domini M° CC° quinquagesimo.

(²) Sine dubio oppidum *Raciążek* regionis Radziejeviensis non procul a Vistula situm. Hoc oppidum non est confundendum cum oppido *Raciąż* in palatinatu olim Plocensi territorio et regione Mlavensi sito.

XLVI.

Klobiae, anno 1250 die 10 mensis Augusti.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae, villam *Niemojewo*, de qua controversia orta erat, Alberto et Burgardo fratribus hospitalis S. Joannis adjudicat (¹).

In nomine domini, amen. Ne res gestas aboleat processus temporum, confirmat illas sollemnis titulus literarum. Nos igitur Casimirus, Dei gratia Dux Lanciciae et Cuiauiae, notum facimus universis tam praesentibus, quam futuris: Quod cum vir nobilis Comes Janusius a fratribus de Hospitali S. Joannis, videlicet Alberto et Burgardo, haereditatem *Niemoyewo* (²), coram nobis et quam pluribus nostris Nobilibus requireret; Nos rei veritate diligenter inuestigata; prefatis fratribus et eorum successoribus, jam dictam haereditatem adjudicauimus jure haereditario perpetuo possidendam. In cujus facti testimonium, praesentem paginam saepe dictis fratribus contulimus, sigilli nostri munimine roboratam. Hujus vero facti testes sunt: Budislaus, Swientoslauus filius Virciseri, et ejus frater Polubon, Cristinus Subcamerarius, Sbilutus Subdapifer, Johannes Subpincerna, Mauritius Subcancellarius, Eurardus, Albrachtus et Elias. Actum in *Cloba* in die Beati Laurentij anno Domini MCC. quinquagesimo.

(¹) E libris manu scriptis Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae, et quidem e libro Metrica Regni dicto Nro CLXXVII. p. 255 descriptum.
(²) Villa territorii Cujaviensis regionis vero Kowaliensis.

XLVII.

Kovaliae, anno 1251.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae, Prandota episcopo Cracoviensi deprecante, villam *Cesemino* capitulo Cracoviensi restituit.

Gładyszewicz „Żywot błogosławionego Prandoty" p. 258. — Wiszniewski „Historya literatury polskiéj" T. II. 473.

XLVIII.

Cramscii, 1251.

Casimirus Dux Cujaviae et Lanciciae priuilegium Ducis Casimiri cognomine Justi, avi sui, Lądensi coenobio a. 1150 impertitum renovat, et ratum esse jubet.

Tom. I. hujus Codicis p. 56 Nro XXXVI.

XLIX.

Kovaliae, anno 1251 die 9 mensis Septembris.

Casimiri Ducis Cujaviae et Lanciciae decretum, litem de villa *Łęczna* inter Petrum Abbatem coenobii Sulejoviensis et Misliborium quemdam nobilem, dirimens.

Tom. I. hujus Codicis p. 58 Nro XXXVII.

L.

Junivladislaviae, anno 1251 die 5 mensis Octobris.

Michaël episcopus Cujaviensis, decimas de villis *Byszewo*, *Saltno*, *Wiązowno* et *Trzyszczyno* ad ecclesiam Byszeviensem attinentes, monasterio Cisterciensium Byszeviae, munificentia (ut apparet) Ducis Casimiri Cujaviensis et Lanciciensis exstruendo, concedit.

Tom. I. hujus Codicis p. 60 Nro XXXVIII.

LI.

Anno 1252.

Casimirus Dux Cujaviae et Lanciciae coenobio Olivensi portorii immunitatem in suis terris largitur.

Leop. v. Ledebur neues allg. Archiv für die Geschichte Preussens T. II. P. III. p. 214.

LII.

Kowaliae, anno 1252 die 24 mensis Martii.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae fratribus Lazaro, Bartholomaeo et Vincentio villam *Łęczno*, jure hereditario donat (1).

In nomine domini, amen. Ea que aguntur in tempore, simul cum labenti labuntur tempore, nisi testimonialis littere munimine perhennentur. Quam ob rem nos Kazymirus dei gracia Lanchicie ac cuyauie dux, notum facimus nacionibus posteris et modernis: quod nos fratribus tribus, videlicet Lazaro, Bartholomeo, Vincencio, hereditatem que *Lansyno* (2) dicitur, et prefatorum fratrum posteritati contulimus iure hereditario ac inuiolabili in perpetuum possidendam; hoc dumtaxat modulo gracie superaddito, ut fratres iam sepius nominati a custodia, que *strosa* uulgariter nuncupatur, sint penitus liberi et inmunes. Ut igitur hec nostra donacio rata et inperpetuum permaneat illibata, presentem paginam nostri sigilli appensione et testium adtitulacione fecimus communiri. Testes autem hij sunt: Florianus thesaurarius lanchicie, Johannes subpincerna, Semyradus, Ewrardus, Michaël, Johannes, Conradus, Mirozlauus, Mauricius, Jacobus. Actum in *Cowale,* in ramis palmarum anno gracie domini M° CC° L° II°.

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato descriptum. Sigillum, quo Dux Casimirus vulgo utebatur, appensum est funiculo serico nigri coloris.
(2) *Łęczno* villa reg. Petricoviensis parochiae vero Sulejoviensis.

LIII.

Sine loco, anno 1252 die 25 mensis Maji.

Casimirus Dux Cujaviae et Lanciciae villam ecclesiamque *Dobroviensem* cum aliis ad eandem pertinentibus bonis, a Christiano episcopo Prussiae monasterio Sulejoviensi Cisterciensium restitutas, eidem monasterio addicit, et a variis, quae tum in Polonia in usu fuere, angariis, immunes reddit.

Tom. I. hujus Cod. p. 62 Nro XXXIX.

LIV.

Junivladislaviae, anno 1252 VII. Kal. Augusti (die 26 mensis Julii).

Foedus a Casimiro Duce Cujaviae cum militibus Teutonicis in Prussia versantibus, ictum.

Voigt Cod. dipl. Pruss. T. I. p. 84 Nro 90.

LV.

Dobrini, anno 1252 die 29 mensis Septembris.

Casimirus Dux Cujaviae et Lanciciae castris *Rus* et *Swece*, tum et aliis villis episcopatus Plocensis propriis varias libertates et privilegia largitur (¹).

J. L. „Początkowe Praw. Pol." p. 197.

LVI.

Circa 1252.

Samborius Dux Pomeraniae fratris sui Swętopelconis superbia in exsilium pulsus, a Michaële Cujaviensi et Pomeraniae episcopo hospitaliter exceptus, de nonaginta marcis mutuo sumtis eidem cavet (¹).

Ne temporales actiones pariter cum tempore effluant et euanescant, utilissimum est et cautum, ut seria rerum actio litere et fulcimento silgilli (sic) fulciatur. Ego igitur Samborius dux Pomoranorum, presenti scripto notum facio presentibus et posteris: quod cum fuissem per uiolenciam fratris mei Suantopelconis redactus in exilium, et circa beniuolenciam venerabilis patris mei domini Michaëlis Cuiauiensis et Pomoranie episcopi, cum uniuersa familia domus mee conuersarer: quod in articulo necessitatis mee, ab prefato domino nonaginta marcas argenti, sub pacto huius condicionis accommodaui, quod uel quantitatem eiusdem pecunie in sinum ipsius deberem plenarie refundere, uel eandem collacione meorum patrimoniorum integraliter redimere. Ne autem promissio mee super hoc obligacionis friuola et irrita uideatur, presens scriptum munimine mei sigilli mandaui roborare. Hec autem acta sunt in presencia uxoris mee, et filii mei Sobozlaui. Huic eciam negocio hi testes affuerunt: Comes Vilih, Cesigor, Vurec, Nicholaus, Cristinus, Rodgerus decanus Crusuiciensis, et Stephanus eiusdem ecclesie canonicus, Blasius et Gozuinus vladiziauienses canonici, Alberus et Sudizlauus capellani domini episcopi (²).

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Vladislaviensis. Sigilli taeniola pergamena appensi restat tantum media pars, exhibens, uti conspici licet, ducem equo insidentem ad dextram sigilli partem conversum. Ex vocibus in ambitu inscriptis haec solum legi possunt: „.. *II Ducis Pomoranorum.*"

(²) Anno 1248 mense Novembri composita est demum inter Ducem Swiętopelconem, Milites Teutonicos in Prussia, atque Casimirum Ducem Cujaviae pax, quae ad tempus continuis incursionibus et depopulationibus, quibus terra Cujaviae erat obnoxia, finem imposuit. Pax vero icta est hac conditione, ut Samborius suo hereditario ducatu exueretur. Eodem anno filiam suam Margaretham Christopho Danorum Duci in matrimonium tradidit. (Cf. Sell „Geschichte Pommerns" T. I. p. 331). Huitfeld in opere „Danmarkis Krönike" Pars I. p. 216 affert: „ihr Vater (Samborius Dux Pomeraniae) befand sich seit ihrer Verheirathung, dieser Unruhen wegen

vielleicht auch, weil er um diese Zeit von seinem Bruder vertrieben war, fast immer im Norden". Tabula haec itaque non pertinet ad primos annos exsilii Samborii; nam ex testibus allatis videre licet eam in Cujavia scriptam fuisse. Notum est ex historiographis nostris, Samborium extremis vitae suae annis Junivladislaviam incoluisse, ibique mortuum esse: annus tamen mortis ejus non indicatur. In nostra collectione diplomatum est quoddam ab eodem Duce Samborio, episcopo Wolimiro anno 1253 datum; hoc quoque circa eundem annum conscriptum fuisse videtur: etenim jam tunc eum in Cujavia habitasse apparet. Sed cum in diplomate anni 1253, proxime sequenti, sermo sit primum de Wolimiro episcopo Cujaviensi: hic autem adhuc Michaël laudetur, itaque annum 1252 huic diplomati apponendum esse duximus.

LVII.

In oppido Raciążek, anno 1253 d. 14 m. Februarii.

Samborius Dux Pomeraniae Wolimiro Episcopo Vladislaviensi omne patrocinium promittit (1).

S.(amborius) (2) dei gracia dux pomeraniae. Uniuersis, ad quos presens lyttera peruenerit, salutem in domino. Vestra nouerit universitas, quod nos venerabili patri nostro domino W.(olimiro) (3) Wladislauiensi episcopo omnem fidelitatem, assistenciam, deffensionem omnium ad eum pertinencium, in rebus et personis, et maxime in iurisdicione, que ad episcopum dinoscitur pertinere: de institucione et destitucione clericorum et cognitione inter eos

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislauiensis asseruato descriptum. Sigillum deest.

(2) Hanc tabulam a Duce Samborio, non autem a Duce Swiętopelcone datam fuisse ideo credimus, quod eodem ipso anno bellum inter Swiętopelconem, ordinem teutonicum ejusque socios Casimirum Cujaviae Ducem, et fratres ejusdem Swiętopelconis de integro est restauratum. (Vide Sell's „Gesch. Pommerns" T. I. p. 332). Sine veritatis specie esset itaque, si a Swiętopelcone Episcopus Cujaviensis obtineret privilegium, quum et ipse e numero hostium esset.

(3) Hoc loco est tantum litera W. apposita, in tabula vero sequenti totum est exscriptum nomen *Wolimiri* episcopi Cujaviensis ad a. 1253. Attamen Niesiecius, Długossius et Damalevicius affirmant Michaëlem anno 1256 supremum diem obiisse, Wolimirum vero ad dignitatem episcopalem evectum esse. Imo Damalevicius affert p. 181—184: „tamen quia privilegia Vladislavianae ecclesiae pleraque exstant a. d. 1258 nomen Michaëlis continentia, credibile est, magis hunc ipsum annum esse obitus illius in quo etiam Wolimiri mentio, ut videtur non tarde succedentis, habetur." In permultis archetypis Cujaviensibus, quae nobis ad manus erant, nusquam vidimus mentionem Michaëlis post annum 1253, quum contra haec utraque Wolimiri anno 1253 mentionem faciat; hic itaque, ut saepius, Damalevicius et alii historici minus accurate res gestas tractasse deprehenduntur.

nos nullatenus intromissuri, excommunicatis eius non [communica]turi, qui per annum in excommunicatione sorduerint, bona eorum confiscaturi: ipsius mucronem spiritualem nostro materiale (sic), ut patronum condecet, adiuturi per totam terram nostram in eius diocesi constitutam, bona fide promisimus liberaliter et benigne. In cuius rei testimonium, hanc paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum in *Radcos* ([4]) anno gracie M° CC° L° tercio, in die beati Valentini.

([4]) Vide annotationem 2 ad tabulam XLV. a. 1250.

LVIII.

Crusviciae, a. 1253 XII. Kal. Maji (d. 20 m. Aprilis).

Gerhardus coenobita a Legato Apostolico missus significat, se praesente pacem inter episcopum Cujaviensem et Ordinem Teutonicum compositam fuisse.

Voigt Cod. dipl. Pruss. T. I. p. 91 N[ro] 94. — Baczko T. I. p. 394.

LIX.

Assisii, anno 1253 IV. Kal. Junii (die 19 Maji).

Innocentius IV. Papa Casimiro Duci Lanciciae et Cujaviae injungit, ut incolas Podlachiae ad Christianam fidem transeuntes tutetur, ejusdem provinciae possessionem ipsi addicens.

Raynaldi annales ecclesiastici T. I. p. 630. — Laudatur a Naruszevicio in opere „Hist. Nar. Pol." T. V. p. 361.

LX.

In villa Zgłowiączka, anno 1253 die 11 mensis Junii.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae, Wolimiro episcopo Vladislaviensi deprecante, dimidiam partem villae *Parvum Chelmce* dictae, ecclesiae Crusviciensi restituit (1).

Nouerint uniuersi sacro sancte matris ecclesie filij, presentem paginam inspecturi: Quod nos Kazimirus dux Lanchicie et Cuyauie, venerabilis patris Wolimiri dei gracia ecclesie Wladislauiensis episcopi justis peticionibus jnclinati, medietatem ville de *paruo Chelmec* (2), quam Pribislauus filius Cesslaui tenuit, ecclesie restituimus *Crusuiciensi* jure hereditario possidendam. Et, ne procedente tempore de possessione medietatis eiusdem ville, prefata ab aliquibus possit ecclesia jnpediri, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum in *Zgouendia* (3) anno gracie M° C° C° quinquagesimo tercio, in die Barnabe apostoli.

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislauiensis asseruato. Sigillum ducis taeniola pergamena appensum penitus destructum.
(2) *Chelmce* villa regionis Juniwladislaviensis.
(3) Forsan *Zgłowiączka* villa territorii Cujaviensis regionis vero Brestensis.

LXI.

Klobiae, anno 1253 die 25 mensis Julii.

Casimirus Dux Cujaviae et Lanciciae testatur, Nicolaum Thesaurarium villam *Bysovio* nuncupatam aliasque nonnullas, pro erigendo monasterio, fratribus ordinis Cisterciensis contulisse.

T. I. h. C. p. 67.

XLII.

Vladislaviae, anno 1253 Kal. Octobr. (d. 1 Octobris).

Legatus Apostolicus testatur se legisse privilegium Casimiri Ducis Cujaviae, quo idem donationem terrae Culmensis a patre ipsius Conrado Ordini Teutonico factam ratam esse jussisset, idemque privilegium ad verbum affertur.

Acta Borussica T. I. p. 420

XLIII.

Crusviciae, anno 1254 die 19 mensis Augusti.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae donationem villarum *Slawsko, Dziarnowo* **et** *Trebacowo,* **Vladislaviensi ecclesiae factam ratam esse jubet** (1).

In nomine domini, amen. Quoniam omnis ortodoxus, in fauorem sancte matris ecclesie tenetur negocia legitima, pro ipsa et eius specialibus ministris facta, fideli confessione roborare: Nos Kazimirus dei gracia Dux Lanchicie et Cuyauie, coram uniuersis sancte matris Ecclesie filiis protestamur: Nobilem virum Sdeslaum Castellanum de *Wladislauia antiquo* (sic) pro anime sue ac suorum parentum remedio, tres villas suas patrimoniales, videlicet: *Slausco* (2), *Darnouo* et *Trebacouo* (3), accedente sue uxoris pio consensu, Wladislauiensi Ecclesie, in nostra et venerabilis patris Wolymiri eiusdem Ecclesie Episcopi, nec non subscriptorum baronum nostrorum presencia, perpetualiter contulisse. Ita quod ad solius Episcopi et successorum suorum arbitrium, ipsarum villarum utilitates conuertantur. Cui donacioni cum frater

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato. Duo sigilla appensa sunt funiculis sericis coloris rubri: a dextra tabulae parte majus, a sinistra minus, utrumque destructum.

(2) *Slawsko* villa regionis Juniwladislaviensis, decanatus vero Crusviciensis, *Dziarnowo* ejusdem regionis.

(3) Forsan *Trzebuchowo* regionis Brestensis.

eius uterinus, Bogusslauus scilicet Castellanus de *Bidgost* ([4]), in nostra et dicti Episcopi contradiceret presencia, asseuerans non posse quemquam nobilium siue militum villam patrimonialem alicui ecclesie perpetualiter donare absque coniuencia suorum consanguineorum: Nos uolentes predictorum fratrum altercacionem iusticia dirimi; barones nostros videlicet Spicigneuum palatinum *Lanchicie* ([5]), Stephanum castellanum de *Siraz*, Urbanum castellanum de *Lanchicia*, Pancezluum ([6]) (sic) Castellanum de *Spicimir* ([7]), Florianum castellanum de *Rospra* ([8]), ad nostrum conuocauimus consistorium, quatinus, auditis utriusque partis racionibus, causam iusticia mediante sentencialiter diffinirent. Qui prefatorum fratrum proposicionibus magna cum sollercia inter sese ventilatis: tandem hanc sentenciam unanimiter in pleno promulgarunt consistorio. Quod cuilibet nobili siue militi liceat possessiones suas mobiles et immobiles perpetualiter quibuslibet ecclesiis inter uiuos donare, uel in testamento legare: non obstante consanguineorum quorumlibet contradictione. Quorum sentenciam racione preuia latam, libenti animo ratam habentes, donacionem dicti nobilis ecclesie Wladislauiensi taliter factam confirmamus: saluo iure nostro et nostrorum successorum, quod nobis in eisdem villis hactenus compeciit. Et ne super hoc in posterum aliqua dubietas emergat, presentem paginam nostro, Cancellarij nostri Janussij ([9]), et aliquorum baronum nostrorum tunc presencium, sigillis ducimus roborandam. Actum *Crusuicie,* anno domini M° CC° quinquagesimo quarto ([10]) feria IIII^a^ post assumpcionem beate Marie virginis mense Augusto. Presentibus baronibus supradictis et bogussa palatino Cuyauie, Mistignewo iudice Curie, Setheco agazone Lanchicie, Semiano Gladiario Lanchicie Sbiluto agazone Cuyauie, Benico tribuno de Spicimir et multis aliis ([11]) clericis et laicis.

([4]) *Bydgoszcz (Bromberg)* urbs in M. D. Posnaniensi.
([5]) In altero archetypo est adhuc: „Bogussiam palatinum *Cujauie.*"
([6]) In altero archetypo: Pancezlauum.
([7]) *Spicimierz* opp. in palatinatu Siradiensi.
([8]) *Rozprza* oppidum et castrum reg. Petricoviensis.
([9]) In altero archetypo haec leguntur post vocem Janussij: „Spitigneui palatini Lanchicie, Bogusse palatini Cuiauie, et Urbani castellani Lanchicie tunc presencium sigillis" etc.
([10]) In altero archetypo „mense Augusto XIV. Kalendas Septembris. Presentibus non tantum baronibus, sed et Mistigneuo iudice curie nostre, Setheco" etc.
([11]) In altero archetypo: „Alijs tam clericis quam laicis".

LXIV.

In villa Męka, anno 1255.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae Martino et Vilkino civibus Siradiensibus villam *Warta* locandam concedit (1).

In nomine domini, amen. Quoniam mundus est caducus, et diuersis quotidie casibus variatur: idcirco necesse est actiones legitimas, quae memoria indigent, per scripti continentiam in noticiam transmitti posterorum. Quapropter nos Kazimirus dei gratia Dux Lanciciae et Cuiauiae notum facimus vniuersis praesentibus et futuris: Quod Voluramo solteto (sic) de *Vartha* (2), quae in theutonico *Libewarde* appellatur, ob culpam suam eandem villam et omne ius, quod sibi et posteris eius ratione villicationis in eadem villa competebat, in manus nostras resignante: nos eandem villam locandam Martino nec non Vilkino ciuibus de *Siradz* et posteris ipsorum perpetuo contulimus possidendam, sub eisdem conditionibus et iure, sub quibus eam memorato V. contuleramus, videlicet: quod dicti Martinus et Vilkinius (3) tenentur *Vartham* hominibus implere et facere locum ibi magnum et populosum; ita quod de singulis curiis praeter tres nobis debent dari sex denarii, et de singulis artificibus cuiuscunque artificij siue negociationis, siue sint carnifices, siue vini (4), medonis seu ceruisiae (sic) venditores, similiter sex denarii praeter fullones, fabros et textores. Denarii autem tales esse debent, quorum talentum valet marcham argenti ponderis terrae istius. Statuimus etiam in eodem loco cum ipsis, quod de omni judicii prouentu tertium denarium percipient super illos, quos ibidem et in villis ad locum pertinentibus locauerint. Item praedictis (5) loci habitatoribus concessimus omnimodam

(1) Ex apographo librorum manu scriptorum Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae et quidem e libris „*Wyroki Trybunału Koronnego Piotrkowskiego*" dictis Nro L anni 1579 p. 517 sqq. descriptum.
(2) *Warta* hodie opp. territorii Calissiensis, regionis caput.
(3) In alio exemplari eidem libro inserto *legitur:* „Vilkinus."
(4) In altero exemplari *add.* siue medonis.
(5) Praedicti.

libertatem, jus (6), consuetudinem Noui fori; sed hoc excipimus: quod si Polonus Theutonicum, vel Theutonicus Polonum occiderit, tres marcę argenti in pondere polonico persoluantur. Sed si Theutonicus Theutonicum, theutonicali iure soluatur: ubi nobis debentur decem marcę, quanquam (7) ex eis relaxabimus. Statuimus enim (8) etiam, ut si aliquis hospes loci praenominati, ad forum cuiuscunque castri peruenerit, et causa inter eum et alium hospitem cuiuscunque loci emerserit; per soltetum (sic) loci illius, in quo causa orta fuerit, diiudicetur; si vero inter hospitem et Polonum, causam judex castri judicabit. Sed et (9) in loco supranominato, et villis eis pertinentibus Poloni degentes et hospites inter se certauerint; soltetus ciuitatis inter ipsos cognoscet et causam decidet. De eodem autem denario judicia, de quo et census solui debent. Item si inter duos Polonos causa fuerit in loco ipso, judices iidem erunt, et accepto solummodo, quod dicitur polonice *Tresczne* (10), secundum quod qualitas exigit esse (11) judicatos, cum poena solutionis ad illos remittant (12), quorum pertinent jurisdictioni. Quamcumque vero causam terminare non poterint, ad nostram audientiam transmittant. Iidem Martinus autem et Vilkinus (sic) in districtu supranominatę villae *Varthae*, absque praeiudicio aliorum quodcunque (sic) molendina, si voluerint, poterint (13) construere. Eidem loco praeterea dedimus viginti mansos ad-pascua porcorum et siluas, in quibus pascent porcos, et arbores incident sine eorum detrimento, nec non nostro. Insuper omnes intrantes et exeuntes pro rebus suis aut familia theloneum in nostra terra Lanciciensi non soluant: exceptis hiis, qui mercari voluerint et quicumque repatriare venditis bonis voluerint, saluo iure nostro siue theloneo, exeant. Collaudauerunt etiam hoc homines praelibati vnanimiter a nobis habere mansos flaminginnos de *Luszicz*, et quantum de campo habuerint, tantum de silua excollere (sic) debent tali conditione, ut omnes mansi liberi sint a pensione debita, a festo beati Adalberti proximo

(6) jus et.
(7) pro quanquam *est* quinque.
(8) enim *deest*.
(9) si.
(10) Trescne.
(11) pro esse *legitur* causae.
(12) remittantur.
(13) poterunt.

per quatuor annos, et extunc quilibet mansus soluet fertonem argenti in pondere Polonicali, et archiepiscopo Gnesnensi tres modios, scilicet: duas mensuras tritici, quatuor siliginis, sex auenae: sed semper omnis mansus quintus erit liber, tam a Ducis quam ab archiepiscopi solutione. Omni autem praetaxate solutioni de curijs, artificibus et mansis, terminum constituimus in festo sancti (14) Adalberti. Statuimus eciam hoc concedentes: quod parentibus non solum filij, verum etiam et filiae succedant in omni utilitate et jure paternatus. Praeterea sepius nominatis M. et W. et posteritati eorum contulimus transeundi libertatem perpetuo in terra Lanciciae sine telonei exactione. Dedimusque ipsis tres mansos cultae terrae, viginti sijluae, de quibus nobis nihil soluent. In cuius rei perpetuam memoriam, ipsis (15) contulimus nostri sigilli caractere roboratam. Datum in *Manka* (16), mediante Vitto thesaurario Lanciciensi, anno gratiae millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, indiccione XIII. Praesentibus: Budislao judice curiae, Sandiuogio Venatore Lanciciensi (17), Jaroslao filio Augustini, Lupo subpincerna, Thoma subdapifero Lanciciensibus, Allexio capellano de *Sger*, Nicolao capellano de *Crampsk*, Semirado subthesaurario, Jozeph scriptore eiusdem priuilegii, et aliis quam pluribus (18).

(14) beati.
(15) Hic aliquid ommissum esse videtur velut: praesentem literam.
(16) *Męka* villa provinciae Kalissiensis territorii Sieradiensis regionis vero Szadkoviensis.
(17) Lanciciensibus.
(18) *Zgierz* opp. territorii Lanciciensis, *Kramsko* villa territorii et regionis Coninensis.

LXV.

In villa Sidlow (Szydłów), a. 1255 d. 1 m. Januarii.

Boleslaus Pudicus dictus Dux Cracoviae et Sandomiriae villam *Mytlenice* ecclesiae Vladislaviensi confert.

J. L. „Początk. pr. pol." p. 196.

LXVI.

Junivladislaviae, anno 1255.

Conventio inter Casimirum Ducem Cujaviae et Magistrum Ordinis Teutonici, qua medietatem terrae Lubaviae idem Magister praefato Duci cedit, et certus injuriarum judicandarum modus praescribitur.

Cod. dipl. Reg. Pol. Dog. T. IV. p. 25 Nro 26. — Acta Borussica T. III. p. 138. — Baczko T. I. p. 395. — Voigt Cod. diplom. Prussicus T. I. p. 98 Nro 102.

LXVII.

Neapoli, anno 1255 VII. Idus Maji (die 9 Maji).

Alexander PP. IV. mandat episcopo Culmensi, ut conventionem inter Casimirum Cujaviae Ducem et Magistrum ac Ordinem Cruciferorum de terra Lubaviae factam, curet inviolabiliter observari.

Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 26 Nro 28. — Acta Borussica p. 142 (non integra tabula).

LXVIII.

Kramsci, anno 1255 die 15 mensis Augusti.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae, ecclesiae Vladislaviensi quandam civitatem teutonicalem et molendinum in fluvio *Zglowiączka* constructum donat; praeterea villis *Wieniec* et *Łopacino* certa privilegia confert (1).

In nomine patris et filii et spiritus sancti, amen. Licet acta hominum noticie subiaceant singulorum, processu tamen temporis, testibus deficientibus

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato. Tria sigilla huic tabulae sunt appensa: in medio sigillum ducis majoris formae, et hujus particula tantum

legitimis, hominum actibus consuevit calumpnia nouercari, nisi litterarum testimonio uel testium subscripcione lucidius roborentur. Nouerint igitur uniuersi tum presentes, tum futuri hanc paginam inspecturi: quod nos Kazimirus dei gracia dux Lanchicie et Cuiauie, ad preces et instanciam venerabilis patris domini Wolimiri sancte Wladizlauiensis Ecclesie Episcopi, in nostrorum remissionem peccatorum, eidem Ecclesie ciuitatem theutonicalem ibidem sytam, et molendinum vicinius ciuitati super fluuium, qui *Sgoventka* (2) uocatur, constructum contulimus cum omnibus utilitatibus, attinencijs et iuribus in perpetuum pleno iure; adicientes castores in utroque fluuio *Wizla* uidelicet et *Sgouentka,* infra terminos Ecclesie nec non ciuitatis prenotate: salua tamen hereditate hominum nostrorum ibidem degencium, qui wlgariter *Corabnicy* (3) nuncupantur. Contulimus insuper, ad peticionem supradicti patris, duabus uillis Ecclesie: *Winzu* scilicet et *Lopacynu* (4) plenum ius in omnibus the(utonicorum): ponentes in arbitrio sue vol(untatis, sive civitati) tali sepedicte agriculturam in eis adiciendi, seu per se iure (thewtonico) populandi: nichil iuris (nobis excipiendo. Ut autem) hec donacio solempnis per nos facta robur perpetue (firmita)tis obtineat, presentem paginam (in huius rei testi)monium nostro et venerabilium patrum: domini Fulconis Gneznensis Archiepiscopi et Wolimiri Cuia(viensis Episcopi) sigillis duximus roborandam. Acta autem sunt hec in *Crampsco* (5) in die dedicacionis Ecclesie (6), anno gracie M. C° C° quinquagesimo quinto, indiccione tercia decima. Presentibus: predicto domino Fulcone Archiepiscopo, Comite Bogussa palatino Cuiauie, Comite Bogusa (sic) Castellano Crusuicye, Comite

superest; a lateribus ejusdem sigilli pendent ex altera parte sigillum archiepiscopi, ex altera vero episcopi. Quae ob rimas tabulam nostram laedentes legi non poterant, ea uncis inclusa explevimus ex transsumpto ejusdem privilegii anno 1270 conscripto.

(2) *Zgłowiączka* rivus praeterfluit Brestiam, et intrat Vistulam haud procul a Wladislavia.

(3) Ab iisdem hominibus sine dubio, villa quam inhabitant Wladislaviae proxima, *Korabniki* nomen sumsit.

(4) *Winzu* (forsan *Wieniec*) villa parochialis vix uno milliario a Wladislavia distans. Villam *Łopacino* in hac Brestensi non invenimus regione; est quidem villa *Łopatki* dicta, parochiae Smiełovicensis, regionis finitimae Covaliensis; quam, quum duobus vel tribus milliariis a Wladislavia distet, non facile eam, de qua hic agitur, esse crederemus.

(5) *Kramsko* villa parochialis Coninensis territorii regionisque.

(6) Ecclesia cathedralis Wladislaviensis vota erat B. Virgini Mariae. Dies festus dedicationis ecclesiae erit itaque fortasse dies 15 mensis Augusti.

Strescone Castellano de Spicimir, Matheo subcamerario Cuiauie, et aliis quam pluribus.

LXIX.

In villa Sadkow, anno 1256.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae, res mobiles et immobiles cujusdam Viti, qui quemdam clericum vita privaverat, aufert (1).

In nomine domini, amen. Veritatis igniculo refrigescente, falsitatis autem curriculo inualescente, in nostri temporis articulo humanum genus ita est deprauatum, quod rem certam pocius in sinistram, quam ad partem laborat diuertere meliorem. Nos igitur Kazimirus dei gracia dux Lanchicie ac Cuyauie notum facimus uniuersis tam presentibus, quam futuris: quod cum Vitus filius Oskonis, timore domini postposito, olim in quemdam clericum usque ad vite priuacionem manus iniecerit temere violentas, et idem Vitus magis ac magis in sua pertinacia perseuerans; de suorum monicione patrum spiritualium, prout decet christianum, minimum voluit penitere: venerabilis pater noster dominus Fulco Gneznensis Archiepiscopus videns per spiritualem gladium contra tantum maleficum se non posse preualere: seculari brachio, videlicet nobis, factum tam enorme commisit emundare: res dicti Viti uniuersas nobis, tam mobiles quam immobiles, assignando. Et cum eiusdem Viti priuinj (sic) bona sua cum eodem Vito reseruarent, ministri nostri, cum ipsum Vitum de mandato nostro spoliarent, priuinorum predictorum substanciam per ignoranciam acceperunt. Unde cum sepedicti priuini super suis rebus coram nobis facerent mencionem: nos pro sepe nominatis rebus quatuordecim marcas argenti sibi reddidimus, et hereditatem *Smensco* (2) prefati Viti Nicholao filio Bartholomej pro peccunia vendidimus sibi et sue posteritatj hereditario iure perpetuo possidendam. In cuius facti testimo-

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato. Sigilli abrupti superest funiculus sericus coloris viridis.
(2) Villam hanc frustra quaesivimus.

nium, eidem Nicholao presentem paginam contulimus, sigilli nostri munimine roboratam. Testes vero huius facti sunt: Dominus Jaroslauus filius Constantini, Budislawus Judex, Witus thezaurarius, Zbilutus filius Vneslay, Lupus subcamerarius, Dirsicragius subagazo, Budiuogius filius Wnorj, Albertus filius Jacobi, Paulicus Auca cum tribus filiis: Gregorio, Sbroslavo et Wenceslauo, Potrec filius Kochanj, Pacoslaws filius Dobeslay, Karnis, Albertus filius Budiuogij, Sulislauus filius Yarandj. Actum in *Sadkow* (3) anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto.

(3) Plures sunt villae hujus nominis *Sadkow* vel *Sadkowo* in variis territoriis. De qua hic sit sermo, non liquet.

LXX.

Laterani, anno 1256 Nonis Januarii (d. 5 Januarii).

Alexander IV. Papa concordiam inter Casimirum Ducem Lanciciae et Cujaviae atque Ordinem Teutonicum constitutam ratam esse jubet.

Naruszewicz „Hist. Nar. Pol." T. V. p. 371.

LXXI.

Anagniae, anno 1256 XV. Kal. Aug. (d. 18 m. Julii).

Alexander IV. Papa injungit episcopo Cujaviensi, ut omne studium in eo ponat, ne concordia inter Ordinem Teutonicum ac episcopum Plocensem constituta turbetur.

Voigt Cod. dipl. Pruss. T. I. p. 101 Nro 104.

LXXII.

Anno 1257 pridie Id. Maji (die 14 Maji).

Concordia inter Gerhardum officio magistri Ordinis Teutonici in Prussia fungentem, et Casimirum Ducem Cujaviae de terris *Polexia* et *Galandia* composita.

Voigt Cod. dipl. Pruss. T. I. p. 105 Nro 106. — Hennig Comment. de rebus Jazygum p. 40.

LXXIII.

Wladislaviae, anno 1257 pridie Non. Augusti (die 4 mensis Augusti).

Conventio Casimiri Cujaviae et Lanciciae Ducis cum fratribus Ordinis Teutonici in Prussia, de non impetendis eorum possessionibus, praecipue vero Terra *Sausin* nuncupata, item de villa *Rogow*, pro qua sexaginta marcas argenti dictis Fratribus, persolvit.

Dogieli Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 27 Nro XXX. — Stronczyńscii „Wzory pism dawnych" p. 11 Nro XI.

LXXIV.

Circa fluvium Wel, anno 1257 XVI. Kal. Septembr. (die 17 mensis Augusti).

Casimirus Dux Cujaviae, Ecclesiae S. Trinitatis in *Culmensche* donat mediam partem Terrae Lubaviae.

Dogieli Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 28 Nro XXXII. — Acta Borussica T. III. p. 141.

LXXV.

Crusviciae, anno 1258 die 29 mensis Junii.

Comes Sdeslaus fatetur, se villas *Slawsko, Trzebuchowo?* et *Zagajewice* ecclesiae Wladislaviensi contulisse, attamen easdem villas veluti praedia fiduciaria ab episcopo Wladislaviensi ad vitae suae terminum accepisse (¹).

Nouerint uniuersi, ad quos presens scriptum peruenerit: quod ego Comes Sdeslauus, frater comitis Boguslai castellani in *June Wladislauia,* anno domini M° CC° L° VIII°, in die apostolorum Petri et Pauli, in ecclesia *Crusuiciensi* et conuocacione predicacionis populorum, coram omnibus ibidem existentibus protestatus sum, et tenore presencium protestor iteratǫ: me villam *Slausco, Trebatouo* et *Zagaieuici* (²), cum omnibus attinenciis, venerabili patri domino W(olimiro) Wladislauiensi episcopo et ecclesie sue, pure et mera liberalitate contulisse et assignasse, et easdem hereditates de manibus predicti episcopi in feodum me recepisse, quoad uixero possidendas. Ita uidelicet, quod post vitam meam de predictis hereditatibus, nullus aliquem habeat respectum; sed memoratus episcopus et sui successores, in eis plena possessione gaudeant et quieta. Eodem loco, die et hora, uxor mea Woycecha nomine, surgens protestata est in publico: se nullum respectum, vel prolem eius, si quam habuerit, ad predictas hereditates, post uitam meam, habere; sed si quid ei de mobilibus bonis impensum fuerit, in (sic) graciarum reciperet actione. In cuius facti testimonium, presens scriptum sigilli mei duxi munimine roborandum. Acta sunt hec presentibus: A. decano, Stephano archidiacono, Sandislao custode, Andrea et Johanne Canonicis Wladislauiensibus, Johanne preposito, Rodgero decano, Henrico scolastico, Lyphardo archidiacono, Mathia, Menrico (sic) et Jacobo Canonicis Crusuiciensibus, Boguslao Castellano Wladislauiensi, Bogumilo filio B.

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asservato. Sigillum appensum funiculo serico coloris rubri penitus deletum.

(²) *Slawsko* et *Trzebuchowo* de his villis vide Indicem II. *Zagajewice* villa territorii Cujaviensis, regionis vero Radziejeviensis.

Cuiauie palatini, Conrado bauaro, Rincone, Johanne Albo ciuibus Wladislauiensibus, et aliis quam pluribus fide dignis.

LXXVI.

Crusviciae, anno 1258 die 30 mensis Junii.

Argumentum hujus tabulae idem, quod proxime praecedentis (1).

Nouerint uniuersi, ad quos presens scriptum peruenerit: quod ego Comes Sdeslauus, frater comitis Boguslai castellani de *iune Wladislauia* cum uxore mea Voycecha nomine, publice iterato protestatus sum: me *Slausco, Trebatouo* et *Zagaieuici* villas cum attinentiis, domino W.(olimiro) episcopo Wladislauiensi et eius ecclesie liberaliter contulisse; et ab eodem predictas hereditates me recepisse in feodum, quoad uixero possidendas. Unde cum supradicta uxor mea et proles, si quam habuerit, de immobilibus bonis meis nichil percipere debeant; omnia bona mea mobilia memorate uxori mee, ad peticionem predicti episcopi, dedi et assignaui: ut post vitam meam, omnia residua in mobilibus, eius deputare ualeat utilitati. In cuius facti testimonium, presens scriptum mei sigilli duxi munimine roborandum. Actum et datum anno domini M° CC° L° VIII° in crastino apostolorum Petri et Pauli. Presentibus: prefato domino episcopo, Sandizlao custode, Andrea et Johanne canonicis Wladislauiensibus, Johanne preposito, Lyphardo archidiacono et Sandiuoyo Canonicis Crusuiciensibus, et aliis quam pluribus fide dignis.

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato. Duo sigilla appensa funiculis sericis coloris rubri jam destructa. Licet tabula haec sit ejusdem argumenti, uti proxime praecedens, tamen quum nonnihil discrepet, diesque alia sit ascripta, inserendam esse duximus.

LXXVII.

In villa Parchanie (Parchau), anno 1258 XII. Kal. Decemb. (die 20 Novembris).

Concordia inter Andream Episcopum Plocensem et Ordinem Teutonicum composita, a Wolimiro Episcopo Cujaviensi pronunciata.

Acta Borussica T. III. p. 262.

LXXVIII.

Sine loco, anno 1259 die 29 mensis Januarii.

Clemens Canonicus Wladislaviensis una cum patruo suo Mlodeyone haereditatem suam *Zbląg* ecclesiae Wladislaviensi donat (1).

Anno gracie M° CC° quinquagesimo nono, quarta feria proxima ante purificacionem, Clemens canonicus *Wladyslauiensis,* cum patruo suo Mlodeyone, in presencia venerabilis patris Wolimiri dei gracia Wladyslauiensis Episcopi comparentes, hereditatem de *Stiblandz* (2), que ad eorum ius et proprietatem pertinebat, ecclesie Wladyslauiensi in perpetuum iure hereditario contulerunt. Et ut hec donacio perpetue robur obtineat firmitatis, presens scriptum predicti venerabilis patris domini W., Alberi decani, Stephani archidiaconi, Sandyzlai custodis Wladyslauiensium sigillis pecierunt communiri. Cui collacioni hii presentes interfuerunt: Albertus cantor Crusuiciensis, Wyllelmus Canonicus Wladyslauiensis, Magister Hegbertus, Radzlaus Canonicus Gneznensis, Vincencius plebanus de *Petrcow,* Gostco

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato. Huic tabulae quatuor erant sigilla appensa, ut ex taeniolis pergamenis videre licet.

(2) In aversa parte hujus tabulae est *Sdblancz* hodie *Zbląg* villa territorii Cujaviensis, regionis Radziejeviensis.

et Laurencius capellani de *Luban* (3), Sandyuoyus Canonicus Crusuiciensis, Joseph Canonicus sancti Viti, Rodgerus et Wrouinus Capellani Curie, Chamus, Stephanus, Gostisius dyacones (sic). Ego Drogosius compater cognominatus notarius episcopi prenominati.

(3) *Piotrkowo* villa decanatus Radziejeviensis, hodie oppidum, *Lubanie* villa decanatus Nieszaviensis, ambae territorii Cujaviensis regionis vero Radziejeviensis.

LXXIX.

Anagniae, anno 1259 die 29 mensis Aprilis.

Alexander IV. Papa omnes donationes, quas Comes Bogussa ecclesiae Wladislaviensi fecerat, ratas esse jubet (1).

Alexander Episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri Episcopo et dilectis filijs, Capitulo Wladislaviensi salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desiderijs dignum est nos facilem prebere consensum, et vota, que orationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum igitur, sicut vestra petitio nobis exhibita continebat, quondam Baussa (2) Comes Palatinus, Wladislaviensis diocesis, nonnulla de bonis suis pro anime sue salute, vobis et ecclesie vestre, deliberatione pia et provida, prout spectabant ad eum in ultima voluntate donavit: sicut in litteris inde confectis plenius dicitur contineri: Nos vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem comite pie ac provide factum est, ratum habentes et gratum, illud auctoritate Apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario quodam privato in Regno Galliciae asseruatur, descriptum. Sigillum deest.

(2) Procul dubio Bogussa Comes Palatinus Cujaviae occurrens in Tomo I. hujus Codicis, uti testis 1251 et 1253 a. vide ibid. p. 58 et 69.

Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum *Anagnie* (3) III. Kalendas Maij, pontificatus nostri anno quinto (4).

(3) *Anagni* oppidum in Campania Romana, sedes episcopi.
(4) Alexander IV. Papa Anagniae natus die 21 Decembris 1254 electus, quintus itaque Pontificatus ejus annus est 1259.

LXXX.

Nieszaviae (Nessau), anno 1260 VII. Idus Maji (die 8 Maji).

Magister Ordinis Teutonici emptionem tertiae partis terrae Lubaviensis (Löbau), quam episcopus Culmensis a Duce Cujaviae acquisiverat, ratam esse jubet.

Acta Borussica T. IV. p. 143. — Baczko Gesch. Preuss. T. I. p. 398. Laudatur a Naruszevicio „Hist. Nar. Pol." T. I. p. 543 not. 202 ed. Czac.

LXXXI.

Tuszyni, anno 1260 die 13 mensis Junii.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae privilegium Vladislai filii Odonis Ducis Poloniae Majoris, quo nimirum hic Dux villam *Straszkówek* coenobio Cisterciensium Sulejoviensi donaverat, confirmat.

T. I. h. C. p. 83 Nro XLVIII.

LXXXII.

Casimiriae, anno 1261 die 6 Februarii.

Casimiri Ducis Lanciciae et Cujaviae decretum, monasterio Sulejoviensi villam *Baldrzychów*, de qua eidem monasterio nonnulli nobiles Poloni litem intenderant, addicens.

T. I. h. C. p. 84 Nro XLIX.

LXXXIII.

In oppido Blonie, anno 1261 die 24 mensis Junii.

Ziemovitus Dux Masoviae et Cirnensis donationem villae *Powsino* a Bogussa Palatino Lanciciensi ecclesiae Wladislauiensi factam ratam esse jubet (1).

In nomine patris et filii et spiritus sancti, amen. Ne gesta publica, que perpetuo disponuntur permansura, processu temporis evanescant, litteralis prodicionis caucione sapientum sagacitas curavit provide precavere. Inde est, quod nos Semovitus dei gracia dux Mazovie et Cirnensis provincie, universis tam presentibus quam futuris Christi fidelibus insinuanter declaramus: Quod ad peticionem venerabilis patris nostri, domini Volemiri Episcopi Wladizlaviensis ecclesie, donacionem ratam habemus, quam comes Bogussa Palatinus *Lancicie* (2), ad honorem dei, et suorum peccaminum remissionem: cum in extremis diebus vite sue laboraret: contulit Wladizlaviensi ecclesie Kathedrali; videlicet villam existentem in dominio nostro, que *Povsino* (3) wlgariter appellatur, cum omnibus utilitatibus ad eandem villam pertinentibus, iure hereditario possidendam. Ut autem hec donacio predicti comitis rata permaneat, et stabilis perseveret ecclesie prefate, presentem paginam in testimonium damus, nostri sigilli munimine roboratam. Testantibus militibus et capellanis curie nostre: Martino tezaurario nostro, Strachota subcamerario, Blasco (sic) subagazone, Martino subpincerna filio Viti, Gerardo subdapifero, Bartoldo filio Michaëlis, Jacobo filio Gotardi, domino Balduino preposito ecclesie sancti Michaëlis, domino Johanne Rava, domino Procesio (sic) et domino Andrea, canonicis de *Blon*. Acta sunt hec anno gracie millesimo CC° sexagesimo primo. Datum in *Blon* (4) octavo Kalendas Julii in die sancti Johannis Baptiste.

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario quodam privato in Galliciae oris asseruatur, descripsit doctissimus Sławiński. Sigillum deest.

(2) Vox *Lanciciae* in archetypo correcta apparet. Antea, ut videre licet, scriptum erat *Cujaviae;* correctio tamen aequalis esse videtur.

(3) Villa *Powsino* territorii Varsaviensis.

(4) *Blonie* oppidum territorii et reg. Varsaviensis.

LXXXIV.

Petricoviae, anno 1262 d. 26 m. Augusti.

Lesco Dux Lanciciae concordiam inter Wolimirum episcopum Wladislaviensem, atque Pacoslaum, Scarbimirum et Mscigneum comites de *Lubatów*, de molendino in eadem villa construendo factam, firmam esse jubet (1).

Nos Lestco dei gracia Dux Lanchicie, notum facimus uniuersis presens scriptum inspecturis: quod cum venerabilis pater Wolymirus, dei gracia ecclesie Wladislauiensis Episcopus, Pacozlaum, Scarbimirum et Mscigneum, comites de *Lubatow* (2) pro edificacione molendini, quod in eadem villa super fluuium *Woyboram,* inconsulto prefato Episcopo, edificare nitebantur, coram nobis in iudicium euocasset: nominati milites, in nostra constituti presencia, sepedicto Episcopo humiliter supplicarunt, ut, quod de iure non poterant, de gracia ipsius molendinum in prefata villa et fluuio edificarent tam diu ipsorum usui permansurum, quamdiu Episcopus et sui successores uellent, inspectis eorum seruiciis, sustinere. Et ut, procedente tempore, nulla super hoc dubietas oriatur, presens scriptum sigilli nostri munimine roboramus. Actum in *Potrcow* anno gracie M° CC° LX° secundo. Sabbato proximo post diem beati Bartholomei.

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato. Sigillum deest; superest tantum funiculus sericus coloris viridis et rubri.
(2) Hodie *Lubaty* territorii Cujaviensis regionis vero Kowaliensis.

LXXXV.

Junivladislaviae, anno 1263.

Casimiri Lanciciae et Cujaviae Ducis compromissum cum Magistro Ordinis Teutonici Hanno de Sangerhausen in arbitros mutuarum controversiarum.

Dogieli Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 29 Nro XXXIV. — Stronczyńscii „Wzory pism dawnych" p. 12 Nro XII.

LXXXVI.

Junivladislaviae, anno 1263 XI. Kal. Martii (die 19 mensis Februarii).

Arbitrium a Samborio Duce Pomeraniae et ab episcopis Culmensi et Cujaviensi in lite inter Casimirum Ducem Cujaviae et Ordinem Teutonicum orta, latum.

Voigt Cod. dipl. Pruss. T. I. p. 148 Nro 145.

LXXXVII.

Siradiae, anno 1264 die 9 mensis Septembris.

Lesco Dux Siradiae, villam *Boryszow*, de cujus proprietate lis orta erat inter Wolimirum episcopum Wladislauiensem atque Nedabilium, filiumque ipsius Vojslaum, episcopo adjudicat (1).

Lesco dei gracia dux de *Siraz,* uniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in eo, qui est omnium uera salus. Uniuersitati uestre tenore presencium innotescat: quod orta controuersia inter Nedabilium et filium suum Woyzlauum ex una parte, et venerabilem patrem dominum Wolimirum Episcopum Wladislauiensem ex altera, super possessione et proprietate uille castellanie de *Woybor,* que *Boriscouo* (2) nuncupatur; dictus N. et filius suus W. coram nobis in iudicio agendo proposuerunt, quod prefata uilla, *Boriscouo* uidelicet, ad eorum de iure pertineret proprietatem: quod dominus Episcopus eam teneret et possideret minus iuste, dicentes, quod ipsam uillam a patre nostro rite emissent; quod optulerunt (sic) se instrumento super hoc confecto legitime probaturos. Quo instrumento ibidem in publico porecto (sic), prefatus dominus Episcopus idem de falsitate

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato. Sigilli abrupti superest taeniola pergamena. Tabula ipsa negligentius scripta.
(2) *Boryszow* villa territorii et regionis Petricoviensis.

multipliciter arguit et eiusdem instrumenti falsitatem debite probauit; oferens (sic) nobis aliud instrumentum sigillo patris nostri roboratum, non cancellatum, nec abolitum, nec aliqua parte sui uiciatum: per quod exstitit coram nobis legitime probatum: quod prefata uilla pertinet de iure ad castellaniam de *Woybor;* et per patrem nostrum, uidelicet dominum K. ducem, predicto Episcopo est restituta: quam indebite abstraxerat, ad quorumdam hominum suggestionem. Nos auditis et intellectis hinc inde propositis, predictam uillam memorato domino Episcopo et suis successoribus sentencialiter adiudicauimus: sepedicto N. et filio suo W. super eadem perpetuum silencium inponentes. Actum in *Siraz* anno domini M° CC° LX° IIII, in crastino natiuitatis sancte Marie. Presentibus: Mistiuugio cancelário, Seteo palatino Siradiensibus, Sandislao Custode Wladislauiensi, Lifardo Archidiacono Crusuiciensi, Boxa castellano de Spicimir, Floriano castellano de Rospra, Ubislao iudice curie, Zauisa uenatore curie, Paulo tezaurario, Mirozlao agazone, Suentozlao tribuno de Spicimir, et aliis quam pluribus fide dignis.

LXXXVIII.

In villa Wesselowo, anno 1264 d. 29 m. Decembris.

Anselmus episcopus Warmiensis causam Episcopi Quidzynensis, qui insulam *Solow* nuncupatam, episcopi Wladislaviensis propriam, ad suam dioecesim usurpaverat, capitulo plocensi dijudicandam committit (¹).

Anshelmus dei gracia Episcopus *Warmiensis,* Apostolice sedis Legatus, viris discretis, . . (sic) preposito et Archidiacono *Plocensi* salutem in domino. Venerabilis frater noster Episcopus et honorabiles uirj . . prepositus . . Decanus et Capitulum ecclesie Wladislauiensis, sua nobis querimonia monstrarunt: quod venerabilis frater noster *Quidinensis* (²) Episcopus, terminos Wladislauiensis dyocesis perturbat; magnam partem eiusdem dyocesis,

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asservato. Sigillum deest.

(²) *Kwidzyn* urbs, germanice *Marienwerder* haud procul a Vistula inter oppida Marienburgum et Graudentiam sita.

totam uidelicet insulam, que *Solovo* nuncupatur, ad suam dyocesim usurpando, et iura Episcopalia ibidem exercendo: in Wladislauiensis dyocesis preiuditium et grauamen. Ideoquo discretioni uestre, auctoritate sedis apostolice, qua fungimur, districte precipiendo mandamus, quatinus, conuocatis partibus, audiatis causam, et eam iure canonico terminetis: facientes, quod decreueritis, per censuram ecclesiasticam firmiter obseruarj. Testes autem, qui nominati fuerint: si se gracia, odio uel timore subtraxerint: cogatis censura simili perhibere testimonium ueritati. Datum in *Weslouia* (3) anno anno (sic) domini millesimo CC° sexagesimo quarto, IIII. Kalendas Januarij.

(3) Procul dubio hodie villa *Wesselowo*, territorii Kwidzynensis sive Marienwerderensis, regionis vero Lubaviensis.

LXXXIX.

Wladislaviae, anno 1266 die 13 mensis Aprilis.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae villas suas *Drwalewo*, *Korabniki* et molendina *Wieniecense* et Wladislaviense commutat cum villis *Sokołow*, *Guzlin*, *Markowo* ecclesiae Wladislaviensis propriis (1).

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, amen. Nouerint uniuersi sancte matris ecclesie filii: quod inter inclitum principem Kazymirum ducem Lanchicie et Cuyauie, et venerabilem patrem Wolymirum Wladislauiensis ecclesie episcopum, cum consensu sui capituli, talis facta est permutatio: Dominus dux cessit in perpetuum domino episcopo et capitulo eius, ac eorum successoribus, de *Drawl* et *Corabnic* (2) in ripa *Wizle* sytuatis. Cessit, imquam (sic), cum agris, pratis, paludibus, pascuis, borris, saltibus, siluis et uenacionibus, aquis, piscationibus, castoribus et quibuslibet aliis

(1) Ex transsumpto membranaceo anno 1270 confecto, in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato.

(2) *Korabniki* villa territorii Cujaviensis, regionis Brestensis ad Vistulam sita: villa *Drawl* a Damalevicio *Drwal* vocata, hodie *Drwalewo* regionis Brestensis.

utilitatibus et iuribus, que predicto duci competebant, uel competere poterant in futurum; ita quod in omnibus fundis et locis circa ecclesiam kathedralem sytis, et in ambabus villis predictis, nichil sibi penitus iuris obtinuit. Idem insuper dux cessit episcopo et capitulo de molendino suo, quod locauerat inter molendinum de *Winz,* et molendinum ciuitatis *Wladislauiensis.* Preterea uille, que *Clothno* (3) uulgariter nuncupatur, prefatus dux eandem contulit libertatem, quam cetere uille antique gaudent ecclesie memorate. Prefatus quoque dux concessit liberaliter: quod dominus episcopus et eius successores, predictam ciuitatem fossatis circumuallare, ac munire ualeant lapidibus, lateribus siue lignis. Dominus vero Episcopus, cum consensu sui capituli, cessit domino duci in perpetuum de *Socolow* et de sorte quadam in *Marchowic* (4), quam Johannes *sycula* ex parte ipsius possidebat. Ita quod incole de *Socolow* et de *Gozdlino* (5) et de sorte in *Marchowic* hac gaudebunt libertate: quod decimas manipulatas non soluent; sed de quolibet manso paruo, qui *flandrensis* wlgariter nuncupatur, episcopo et canonicis soluentur singulis annis in festo beati Martini due mensure tritici, sex siliginis, et quatuor auene: mensure scilicet usuales. Acta sunt hec in *antiqua Wladislauia* anno domini M° CC LX° sexto, Idibus Aprilis. Per honorabilem uirum dominum Sthephanum Abbatem domus sancte Marie Wratislauiensis, et custodem Phillyppum eiusdem domus magistrum, Milonem, dominum Raphaëlem cancellarium ipsius ducis. Presentibus: Vito preposito, Albero decano, Stephano Archidyacono, Sandislao custode, Benedicto, Andrea, Nicolao et Johanne canonicis Wladislauiensibus, Henrico scolastico, Lyphardo Archidyacono, Alberto cantore et Alberto custode crusficiensibus, et aliis quam pluribus fide dignis.

(3) *Klotno* villa territ. Cujaviensis regionis vero Kowaliensis, *Winz* idem quod *Wieniec* villa territorii Cujaviensis, regionis Brestensis.

(4) *Sokolowo* et *Markowo,* villae territorii Cujaviensis regionis Brestensis.

(5) *Guźlin* villa territorii Cujaviensis regionis vero Brestensis, Damalevicius perperam nominat eam *Gerdlino.*

XC.

Wladislaviae, anno 1266 die 13 mensis Aprilis.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae testificatur litem inter se et Wolimirum episcopum Wladislaviensem de damnis ecclesiae illatis ortam, dijudicatam esse (¹).

Venerabili in Christo patri . . (sic) dei gracia Episcopo Wladizlauiensi Philippus miseracione diuina Firmanus episcopus, apostolice sedis legatus, salutem et sinceram in domino caritatem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum; tam uigor equitatis, quam ordo exigit racionis, ut id per sollicitudinem nostri officij ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis uestra peticio continebat: quod olim bone memorie Kazmerius (sic) dux Cuyauie pro satisfaccione et emenda quorumdam dampnorum et iniuriarum ecclesie uestre illatarum per ipsum, quasdam donaciones, concessiones, libertates et bona contulit et dedit uestre ecclesie supradicte: prout in ipsius ducis litteris, quarum tenor de uerbo ad uerbum inferius anotatur, plenius uidimus contineri. Nos igitur uestris iustis peticionibus inclinati, huiusmodi donaciones, concessiones, libertates, exempciones et bona prefate ecclesie uestre per ipsum ducem collatas (sic), quia racionabiliter facte sunt, ratas habentes et gratas: eas auctoritate, qua fungimur, confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmacionis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc atemptare (sic) presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Tenor autem literarum ducis prefati talis est:

In nomine domini, amen. Nouerint uniuersi tam posteri quam moderni hanc paginam inspecturi: quod cum inter venerabilem patrem dominum Wolimirum ecclesie Wladizlauiensis episcopum ex una, et nos Kazimirum dei gracia Lancicie et Cuiauie ducem ex altera parte, fuisset super diuersis

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asseruato. Sigillum figurae ex longo rotundae, jam saepius descriptum, exhibens episcopum stantem, dextra manu lituum tenentem, appensum est funiculo serico coloris rubri.

articulis suscitata materia questionis: tandem per honorabiles viros Abbatem scilicet et custodem sancte Marie domus Wratislaviensis ordinis beati Augustini, quibus dicta causa per Venerabilem patrem dominum Gydonem tituli sancti Laurencij in Lucina presbyterum Cardinalem, apostolice sedis legatum commissa fuerat, taliter est sopita: quod nos videlicet amicabili composicione mediante, ducentas marcas usualis argenti, pro dampnis illatis in tribus terminis persoluendas promisimus episcopo memorato. Quorum primus est in Pentecosten quinquaginta marcas, secundus in die beati Jacobi apostoli quinquaginta marcas, tercius in natiuitate domini proximo uentura, in quo centum marcas persoluemus eidem. Promisimus eciam dicto Episcopo ciuitatem in *antiqua Wladislauia* fossatis et plancis munire; quod si non fecerimus, centum marcas usualis argenti, in Epiphania domini proximo uentura, memorato Episcopo persoluemus. Item incolas antiquarum villarum Wladislauiensis et Crusuiciensis ecclesiarum, tam Episcopi, quam Canonicorum, a Ciuitatum et Castrorum omnium edificacione, et expedicione omni, preter defensionem *Cuyauie* tantum, et ab omni exaccione et seruitute qualibet, quocumque nomine censeantur, absoluimus, et in perpetuum liberas esse uolumus. Insuper nullus palatinorum uel Castellanorum, seu aliorum quorumlibet iudicum secularium, incolas supradictarum villarum unquam iudicare uel citare presumat: preterquam nos in *Cuiauia* existentes, et eorum dominos, qui eos in omnibus causis iudicabunt, tam capitalibus quam minutis, non obstante priuilegio in *Syracz* optento (sic), per quod Castellanis fuerat id permissum. Si uero per diuisionem terre, alique ville predicte libertatis in dominium filij nostri Zem.(omislii) deuenerint, promisimus libertatem eandem euincere. Alioquin in totidem villis nouis equipolentibus in nostro dominio, eandem libertatem obligauimus nos daturos. Preterea villam de *Scotnic* iunctam ville de *Peccouo* (²), contulimus Episcopo et ecclesie Wladislauiensi iure hereditario in perpetuum possidendam. Hec omnia bona fide, iunctis manibus in manibus supradicti Abbatis promisimus taliter adimplere. Ut si, quod absit, omnia prefata et singula non adimpleuerimus, uoluntarie nos subiecimus excommunicacionis sentencie, per sepedictum Abbatem in nos canonice, monicione premissa, ferende,

(²) *Skotniki et Pieczew*, villae territorii et regionis Lanciciensis.

et usque ad satisfaccionem congruam obseruande. Idem uero Episcopus huiusmodi satisfaccione recepta, a sentencia excommunicacionis, quam in nos canonice tulerat, nos absoluit. Ut autem hec omnia rata et inconcussa omni evo permaneant, nec a nobis, nec a quoquam successorum nostrorum valeant disturbari: presens instrumentum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Actum et datum in ecclesia Wladislaviensi anno domini M° CC° LX° VI. Idus (sic) Aprilis. Presentibus: Raphaële cancellario nostro, Alberto decano, Stephano archidiacono, Stephano sacerdote, Sandizlao Custode, Benedicto, Andrea et Johanne canonicis Wladislauiensibus, Henrico Scolastico, Lyphardo Archidiacono, Alberto cantore, et Alberto custode Crusuiciensibus, et aliis quam pluribus fide dignis.

In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, presentes litteras fieri fecimus, et sigilli nostri appensione muniri. Datum Wratislauie II. Idus Marcij (die 14 Martii) Indiccione decima, Pontificatus domini Martini pape IIII. anno primo (3).

(3) Martinus IV. Papa anno 1281 die 22 Februarii electus est.

XCI.

Dankoviae, anno 1267 die 16 mensis Octobris.

Janussius Archiepiscopus Gnesnensis, Thomas Wratislaviensis, Paulus Cracoviensis, Wolimirus Wladislaviensis, Nicolaus Posnaniensis episcopi, Mestwinum Ducem Pomeraniae de constitutionibus in synodo Wratislaviensi sancitis certiorem faciunt (1).

Domino suo M.(estwino) dei gracia duci *Pomoranie,* Janusius divina miseracione Gneznensis Ecclesie Archiepiscopus, eiusque Suffraganei, Thomas videlicet Wratislaviensis, Paulus Cracoviensis, Wolymirus Wladislaviensis, Nicolaus Poznaniensis Episcopi, in synodo congregati oraciones devotas in domino Jesu Christo. Licet non dubitemus, constituciones per venerabilem patrem dominum Guidonem tituli Sancti Laurencij in Lucina

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Vladislaviensis. E quinque sigillis, restant duo tantum parva formae ex longo rotundae, funiculis pergamenis appensa, penitus deleta.

presbiterum Cardinalem, apostolice Sedis legatum, in synodo per ipsum in Wratislavia novissime celebrata, publice ac sollempniter editas, ad Vestram devenisse noticiam: tamen, quum in se contra contemptores seu desides gravissimas continent sentencias; ne vel vos sentenciam excomunicacionis per eundem legatum auctoritate apostolica prolatam, velamento cuiusquam ignorantie contingat incurrere, vel nos propter negligenciam in suspensionis sentenciam videamur incidere: que sentencia est periculosissima in prelatos: aliquas de dictis constitucionibus de verbo ad verbum inferius anotantes, serenitati vestre duximus transmittendas, quatenus ipsarum tenore plenius intellecto, nec vos in laqueum excomunicacionis incidatis, nec nos suspensionis sentenciam incurramus: quinimmo vestra pocius devocio et nostra obediencia apud sedem apostolicam, ex observancia earundem constitucionum, non inmerito commendetur. Tenor vero illarum constitucionum talis est:

Frater Guido miseracione divina tituli Sancti Laurencij in Lucina Presbiter Cardinalis, Apostolice sedis Legatus, ad perpetuam rei memoriam et cetera. Excomunicamus principes seculares, qui ecclesias vel ecclesiasticas personas, vel homines Ecclesiarum, seu in Ecclesiarum predijs commorantes, tallijs ([2]) vel collectis aggravare presumant; verum si quando Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem vel utilitatem prospexerit, ut asque (sic) ulla coactione ad relevandas utilitates vel necessitates communes, ubi Laycorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias duxerint conferenda: nullatenus hoc presumant, nisi prius Romanus pontifex consulatur, cuius interest communibus utilitatibus providere. Quicunque vero episcopus vel prelatus in contrarium venire presumpserit: tam ipse, quam illi, qui in hoc facto consilium sibi dederint, quousque per sedem apostolicam absolvantur, suspensi maneant a divinis. Item cum in plerisque locis quorundam iniquitas invaluerit: quod in rebus ecclesie furtum reputatur sagacitas, rapina probitas, et violentia fortitudo; synodali Judicio diffinimus, ut, qui bona ecclesiarum scienter detinent occupata, nisi infra instans Pascha eadem restituerint, et de dampnis ac iniurijs satisfecerint competenter, extunc introitum Ecclesie sibi noverint interdictum, nec ab

([2]) Talliae personales, serviles, liberae, etc. Vide Ducange.

Episcopis aut aliis Ecclesiarum prelatis ad communionem dominici corporis admittantur. Qui vero obstinata mente, dum vixerint, satisfacere non curaverint, nullus clericus secularis vel regularis, sepulture ipsorum interesse presumat. Adicientes, ut singulis annis in synodo illi, qui clericos capiunt, verberant, vel occidunt, aut alias in ipsos manus iniciunt violentas: excommunicati denuncientur; et nominatim illi, de quibus constiterit manifeste. Quicunque vero personam ecclesiasticam enormiter wlnaverit (sic), mutilaverit, vel occiderit, aut captivaverit: nonnisi per sedem apostolicam absolvatur, et ipso facto si quid tenebat ab ecclesia, illud perdat, et in utilitatem Ecclesie convertatur. Adicientes, quod in illa dyocesi, in qua aliquem Canonicum Catedralis ecclesie, vel in dignitate ecclesiastica constitutum capi contigerit, vel captum detineri: usque ad liberacionem ipsius et exhibicionem debite satisfactionis, cessetur generaliter a divinis. Similiter et illa parrochia, in qua res clerici violenter ablatas capi vel detineri contigerit, usque ad restitucionem et satisfactionem condignam, a divinis cessetur. Datum in Synodo celebrata in *Dancow* XVII. Kalendas Novembris, sub anno domini M° CC° sexagesimo VII° (3).

(3) *Dankow.* Constat ibidem Duces Poloniae anno 1236 conuentum habuisse (Vid. tabula e. a.). Hanc tabulam typis descripsit Damalevicius, sed falso et minus accurate: deest prima pars tota, omissae sunt voces *in Dankow*, annus vero appositus est 1260: fortasse ideo quod numerus VII., chartae pergamenae curvatura tectus non poterat conspici. Non solum capitulum Cujaviense diploma hoc tangit, sed quum in tabulario ejusdem archetypum inveniatur, neque constet an typis alicubi sit exscriptum, ideo hic illud inserere non dubitavimus.

XCII.

Circa 1267.

Swantopelcus Dux Pomeraniae, promittit Wolimiro Wladislaviensi episcopo se decimas terrae nunc a fratre suo Samborio possessae, simulac eadem suae ditionis fieret soluturum esse (1).

1282. Uniuersis presentes litteras inspecturis, Philippus miseracione diuina firmanus episcopus, apostolice sedis legatus, salutem in domino.

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Vladislaviensis. Sigilli abrupti tantum taeniola pergamena, qua appensum erat, superest.

Tenorem quarumdam literarum bone memorie Suantopelci Ducis *Pomoranie,* prout sub ipsius sigillo contineri perspeximus, de verbo ad verbum presentibus fecimus anotari. Qui quidem tenor talis est:

1267. Nouerint uniuersi presencium inspectores: quod nos Swantopelcus Dux Pomoranie venerabili patri nostro domino W.(olimiro) Wladislauiensis ecclesie Episcopo bona fide promisimus: quod si terra, quam nunc frater noster Samborius possidet, ad nostrum peruenerit dominium; tocius illius terre decimas dicto patri nostro manipulatim soluemus: villas, quas dictus frater noster felicis memorie Michaëli quondam Wladislauiensi Episcopo pro redempcione dictarum decimarum contulerat, ad nostrum dominium recepturi. In cuius rei testimonium, presentes litteras, ad instanciam et requisicionem venerabilis patris . . (sic) Dei gracia Wladislauiensis episcopi, fieri fecimus et sigilli nostri munimine roborari.

Datum apud monasterium de *henrichov* (²) nonis Julij indiccione decima, pontificatus domini Martini pape quarti anno secundo.

(²) *Henrychow* (Heinrichau), celebre coenobium in Silesia in territorio Vratislaviensi et regione Münsterbergensi situm.

XCIII.

Sine die et loco, anno 1268.

Boleslaus Dux Poloniae privilegia Wladislaviensi et Crusviciensi ecclesiis a patre suo Casimiro et fratre Ziemomyslio data confirmat (¹).

Nouerint vniuersi presentem paginam inspecturi: Quod nos Boleslaus dej gracia dux Polonie, ob amorem dej, et reuerenciam beate Marie virginis, et inspectis multis seruiciis, que nobis venerabilis pater dominus Wolymirus, Wladislauiensis ecclesie episcopus, sepius exhibuit; omnes libertates et

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Vladislaviensis. Sigillum funiculo serico coloris rubri appensum aliqua ex parte destructum: simillimum ei sigillo, quod in opere Raczyńscii: „*Codex diplomaticus Majoris Poloniae*" p. 50 ad N^ro^ L. effictum cernitur.

priuilegia, que illustris princeps patruus noster, felicis recordacionis, dominus dux Kazimirus, et filius suus dominus dux Zemomislius frater noster, Wladislauiensi et Crusuiciensi ecclesiis contulerunt, prout in litteris super hiis confectis continetur, data fide promisimus inuiolabiliter obseruare: et ab omnibus nostris successoribus ea in perpetuum decernimus obseruarj. Predictas igitur libertates et priuilegia ratificamus, approbamus et presentibus confirmamus. Ut autem hec nostra confirmacio perpetuum robur firmitatis obtineat, hanc paginam nostri sigillj munimine fecimus rob(or)arj. Datum anno dominj M° CC° LX° VIII°.

XCIV.

Crusviciae, anno 1268.

Philippus Firmanus episcopus privilegia ecclesiae Wladislaviensi et Crusviciensi a Ziemovito Duce Cujaviae collata confirmat (¹).

1280. Uenerabili in Christo patri . . (sic) dei gracia Episcopo, ac dilectis filijs . . (sic) Capitulo Wladizlauiensi, Philippus miseracione diuina Firmanus Episcopus, Apostolice sedis legatus salutem et sinceram in domino caritatem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut per sollicitudinem nostri offitij (sic), ad debitum perducatur effectum. Ea propter uestris iustis supplicationibus grato concurrentes assensu: libertatem, auctoritatem, et exempcionem, uobis et Ecclesie vestre concessas a Nobili viro Zemomislio Duce *Cuyauie,* de incolis et habitatoribus villarum et locorum uestrorum, et alias super hedificandis ciuitatibus et munitionibus, prout in priuilegio eius sigillo munito cernitur contineri, cuius tenorem de uerbo ad uerbum presentibus fecimus annotari, sicut rite et prouide facte sunt et concesse, ratas habentes

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Vladislaviensis. Sigillum taeniola pergamena appensum exhibet virum vestimentis episcopalibus indutum stantem, laeva manu lituum tenentem, dextram vero manum ad impertiendam, quam vulgo dicunt, benedictionem, sublatam habentem.

et gratas: auctoritate, qua fungimur, confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit: indignationem omnipotentis dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum. Tenor autem priuilegij talis est:

1268. Zemomislyus dei gracia Dux Cuyauie, uniuersis sancte matris ecclesie fidelibus, ad quos presens scriptum peruenerit, salutem in eo, qui est omnium uera salus. Uniuersitati uestre tenore presentium notum esse uolumus: quod nos, ob reuerenciam dei et beate Marie virginis, venerabili patri domino Wolymiro Wladizlauiensi Episcopo, nec non honorabilibus viris .. prepositis .. decanis et alijs prelatis, omnibusque canonicis predicte et Crusuiciensis ecclesiarum, ac eorum successoribus, eorundem seruitia, que nobis multociens et utiliter impenderunt, respicientes; talem imperpetuum, pure et liberaliter dedimus libertatem: videlicet quod omnes villas antiquas et nouas, cum suis pertinentijs, pro uoluntate sua locent iure theutonico siue pollonico. Ita quod omnes incole et inhabitatores villarum et locorum predictorum, liberi sint penitus et immunes ab omnibus collectis et exactionibus et seruitibus (sic), quocumque nomine censeantur, nec per nos, et per nostros Judices citabuntur, uel iudicabuntur; et si citati fuerint, minime comparebunt. Sed omnino dominorum suorum et scolthetorum, seu procuratorum eorum, in omnibus causis capitalibus et minutis parebunt iudicijs et mandatis. Predicti eciam Episcopus, Prelati et Canonici, in omnibus et singulis fundis predictarum villarum et possessionum, ciuitates et alias munitiones edificabunt libere, sine qualibet contradictione, ubi et quando eis uidebitur expedire. Et ut breuiter in hijs omnibus, deo et beate Marie virgini, purum obsequium prestare valeamus: memoratis dominis Episcopo, prelatis et Canonicis, in prefatis villis, possessionibus et fundis, quos nunc in nostro dominio, quod in presenti habemus, et in posterum domino concedente habebimus, possident uel possidebunt in futuro, omne ius, quod nobis competit in presenti, uel competere nostris successoribus posset in posterum, damus et resignamus, nichil in eisdem nobis iuris reseruantes. Eo solo excepto, quod de viginti mansis *flamingis*, unum hominem armatum ad defensionem terre *Cuyauiensis* tantum nobis mittere tenebuntur. Qui si

uenire neglexerit, marcam argenti usualis nobis soluet, si sue abscentie (sic) sufficientem non ostenderit causam: quam scolthetus loci illius, si fuerit, et si non fuerit scolthetus, discutiet procurator. In sepedictis vero locis, moneta nostra curret usualis, uerum tamen menetarius (sic) noster, nullam ibidem cohertionem habebit. Sed si quis inuentus fuerit falsam habens monetam, per scolthetum loci illius causa iudicabitur, ad querelam nostri nuntij. Judicatum quoque inter nos et dominum Episcopum per medium diuidetur. Homines eciam, qui ad beneplacitum domini episcopi, prelatorum et canonicorum, in sepedictis locis et villis fuerint locati, per terras nostras et aquas cum mercimonijs transeuntes, ab omni thelonei exactione liberi erunt penitus et immunes. Non obstantibus priuilegijs omnibus et instrumentis patris nostri et aliorum progenitorum nostrorum, sub eorum sigillis confectis: que omnia et singula in presentibus reuocamus, et decernimus non optinere (sic) roboris firmitatem; non obstantibus eciam statutis et constitucionibus factis, uel per nos, uel nostros successores imposterum faciendis; et non obstantibus omnibus auxilijs iuris Canonici et Legalis, per que presentis facti donatio et renuntiatio ualeat impediri. Actum in *Crusuicia* anno domini M° CC° LX° VIII°. Presentibus: domino Samborio Duce Pomoranie, Matheo palatino, Wirthoslao Judice curie nostre, Petro thezaurario, Prebislao et Paulo fratribus dictis Wysselicz, Raphaële eciam nostre curie cancellario, Vito preposito, Albero decano, Stephano Archidiacono, Sandislao Custode Wladislauiensibus, Johanne preposito, Goslao decano, Lyphardo Archidiacono, Alberto Cantore, Wenceslao, Michaële, Albero, Johanne [canonicis?] Crusuiciensibus et alijs quam pluribus fide dignis. Ut autem hec omnia et singula in perpetuum roboris optineant (sic) firmitatem, presentem litteram nostri sigilli munimine duximus roborandam.

In cuius rei testimonium, presentes litteras fieri fecimus, et nostri sigilli appensione muniri. Datum in Castro *Strigoniensi* (²) anno domini millesimo CC° LXXX° V. Kalendas Junij (28 Maji) VIII. Indictione, Pontificatus domini Nicolai pape tercij, anno tercio.

(²) *Strigonium* (Gran) oppidum et castrum situm ad Danubium, in quem fluvius *Gran* se effundit, in comitatu Strigoniensi in inferiori Hungaria situm, sex milliaribus ab oppido *Comorra* distans. Archiepiscopus Strigoniensis, qui suam sedem Tyrnaviae habebat, erat Primas Regni Hungariae.

XCV.

Wladislaviae, a. 1268 III. Kal. Maji (d. 29 m. Apr.).

Wolimirus Episcopus Cujaviensis donationem decimarum villarum *Niessaviae* **et** *Orloviae* **ab antecessore suo Michaële Ordini Teutonico factam, ratam esse jubet.**

Dreger Cod. dipl. Pomer. p. 541 Nro 43 (ed. pr.).

XCVI.

Junivladislaviae, anno 1268 die 12 m. Decembris.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae villam *Topole* **injuste a se civibus Lanciciensibus donatam Albero Decano Wladislaviensis ecclesiae restituit** (1).

Nouerint uniuersi Christi fideles presens scriptum inspecturi: quod nos Kazimirus dei gracia Dux Lanchicie et Cuiauie, deum habentes pre oculis, villam *Topole* (2) wlgariter nuncupatam, quam Burchardus noster ciuis *Lanciciensis,* cum consensu sui fratris domini Alberi decani Wladislauiensis, pacifice quoad uixit tenuit, et quam nos, indebite occupantes, nostris ciuibus *lanchiciensibus* iure theutonico dederamus, eidem domino decano uero heredi, et suis successoribus, liberaliter et deuote in ultima nostra uoluntate restituimus in perpetuum possidendam, cum plena in omnibus libertate, censu solummodo centum glebarum salis, quem de prefata villa percipere singulis annis consueueramus, pro nobis et nostris successoribus reseruato. Et ne de huiusmodi restitucione, in posterum alicui dubium oriatur, presens instrumentum nostri sigilli fecimus munimine roborari. Acta sunt hec *in Juuene Wladislauia,* anno domini M° CC° LX° VIII° XIX° Kalendas Januarii.

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Vladislaviensis asservato descriptum. Sigillum deest.

(2) *Topola* duae sunt villae ejus nominis in territorio et regione lanciciensi sitae: harum altera publica altera vero est privata.

Huius facti testes sunt: venerabilis pater noster dominus W. episcopus Wladislauiensis, frater Heinricus de ordine predicatorum, Raphaël noster cancellarius, Vitus prepositus Wladislauiensis, Johannes prepositus et Lyphardus archidiaconus Cruswicienses, et alii quam plurimi fide dignj.

XCVII.

Syradiae (in synodo), a. 1270 die 20 m. Septembris.

Episcopi Poloniae in synodo Syradiensi congregati, sic dicto transsumpto privilegiorum a Ducibus Casimiro et filio ipsius Ziemomyslio ecclesiae Wladislaviensi annis 1255, 1266, 1268, datorum conscripto, idem ratum esse jubent (¹).

Janusius divina miseratione Gneznensis ecclesie Archiepiscopus, Paulus Cracoviensis, et Thomas Wratislaviensis, Nicolaus Poznaniensis, Willelmus Lubucensis, et Petrus Plocensis ecclesiarum dei gracia Episcopi in provinciali Synodo in *Syrazk* congregati. Universis sancte Matris Ecclesie filijs, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Vniversitati vestre tenore presencium declaramus: nos nobilium principum, videlicet domini Kazymiri, et filii sui domini Zememislii (sic) Cuyavie ducum, litteras audivisse et vidisse sub eorum certis sigillis et veris, non cancellatas, nec in aliqua parte sui viciatas, in hec verba:

(Sequuntur priuilegia: 1, *Kramsci a.* 1255 vid. p. 56. — 2, *Wladislaviae a.* 1266 vid. p. 70. — 3, unum *Crusviciae a.* 1268 typis descriptum p. 78).

Et ne de predictis litteris in posterum aliquibus dubium oriatur, ad habundantem cautelam et futurum dampnum precavendum, ad preces venerabilis fratris nostri, domini Wolymiri Ecclesie Wladislaviensis Episcopi, in

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Vladislaviensis. Quae ex sex sigillis taeniolis pergamenis appensis quinque restant, omnia sunt destructa. Unicuique taeniolae apposita inscriptio denotat, cujus sit sigillum. Prima taeniola inscripta est: „*Lubucen.* tunc aliae eo ordine: „*Cracovien.*, *Gneznen.*, *Wrath.*, *Poznanien.*, *Plocen.*"

eadem Synodo tunc existentis, presens instrumentum nostrorum sigillorum munimine fecimus roborari. Datum in *Syrazh*, in provinciali Synodo, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo, decimo Kalendas Octobris.

XCVIII.

In villa Biała wieś, anno 1273.

Lesco Dux Syradiae testificatur, a Wolimiro Wladislaviensi Episcopo villam *Glupice* **Paulo Judici curiae ducalis collatam esse** (1).

In nomine domini, amen. Nos Lestco dei gracia dux Siradiensis rem gestam in nostri presencia omnibus notam facere cupientes, presentibus et futuris tenore presentis scripti protestamur: Quod venerabilis in Christo pater, dominus Wolymirus Ecclesie Wladislauiensis Episcopus (2), in nostra et baronum nostrorum constitutus presencia, comiti Paulo judici curie nostre, willam ecclesie Wladislauiensis et Woyboriensis Castellanie, que *Glupicy* (3) wlgariter nuncupatur, tenendam concessit, propter seruicia ipsius, que eidem ecclesie fideliter exibuit et frequenter; et ne in posterum pretextu alicuius calumpnie sui obliuionis super hac concessione alicui dubium oriatur: presens instrumentum huius rei in memoriam sui ambiguitatem resecandam editum, sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum et datum in *Bilowiz* (4) anno domini M° CC° LXX° tercio. Presentibus: Seteo palatino, Zauissa Castellano Siradien(sibus), Diuissio castellano rosperiensi, Wito preposito, Sandiuuogio (sic) Cantore, Raphaële Cancellario et Canonico Wladislauiensibus, Goslao decano quisinensi (5), et alijs pluribus fide dignis.

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Vladislaviensis. Sigilli abrupti restat tantum taeniola pergamena.

(2) Damalevicius erronee hunc episcopum anno 1271 obiisse narrat: nam non tantum in hac tabula, sed etiam in sequentibus, etiam anno 1274, Volimiri nomen occurrit. Albertus Episcopus Cujaviensis anno 1276 primum affertur.

(3) *Glupice*, villa territorii et regionis Petricoviensis.

(4) Forsan villa *Biała wieś* territorii Lanciciensis, regionis vero Zgierscensis.

(5) *Kwidzyń* germanico Marienwerder.

XCIX.

Sine die et loco, anno 1273.

Lesco Dux Syradiae privilegia ecclesiae Wladislaviensi ab avo suo Conrado Duce Cracoviae, Lanciciae et Masoviae, tum patre Casimiro, Duce Lanciciae et Cujaviae, demum a fratre suo Ziemomyslo, Duce Cujaviae data, confirmat (¹).

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, amen. Quum propter longi temporis spacium plerumque non discernitur falsitas, gressus suos dirigens indirecte, tenebras in lucem erigit: et sic veritas, que olym claruerat, ignorancie nubilosa caligine inuoluta supprimi assolet et extingui, nisi scriptorum solennium amminiculo suportetur: Notum igitur fiat presentibus et futuris: quod nos Lescco (sic) dei gracia dux Siradiensis, ad instanciam non minus deuotam, quam prouidam venerabilis patris nostri, domini Wolimirj Wladislauiensis Ecclesie Episcopi, nec non ipsius fidelibus seruicijs penes nos et nostros progenitores concurrentibus, ac ob remedium nostrorum peccaminum, omnes et singulas libertates Ecclesie Wladislauiensis, tam in capite, quam in membris donatas, per illustrem principem C.(onradum) auum nostrum, quondam Ducem Cracouie, Lanchicie et Mazouie, et patrem nostrum K.(azimirum) olym bone memorie Ducem Lanchicie et Cuiauie, et fratrem nostrum Zemomislum illustrem Ducem Cuiauie, ad manus premissi domini Episcópi ratificantes confirmamus, promitentes eidem ut, si unquam *Cuiauia* ad nostri ducatus redeat unitatem, premissas libertates non solum, ut ad manus ipsius promiseramus, inuiolabiliter conseruabimus, verum eciam inuasores earum, nostre munificencie dextera curabimus cohercere: quam promissionem ad nostros legitimos transferimus successores. Datum anno domini M° CC° LXX° tercio, Indiccione prima.

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Vladislaviensis. Sigillum in medio hujus tabulae funiculo serico coloris viridis appensum, dimidia parte laesum, simile ei quod in tabula II. operis (J. Lelewel) „*Nauki dające poznawać źródła historyczne*" effictum est. E verbis in ambitu inscriptis superant: . . . . „*is dei gra. ducis syrad.*" Hujus tabulae erat nobis ad manum aliud archetypon, paululum orthographia ab hoc exemplari differens.

C.

Sine die et loco, anno 1273.

Lesco Dux Syradiae commodis ecclesiae Wladislaviensis invigilans civitati *Wolborz*, ac villis adjacentibus *Żarnowiec*, *Psary*, *Młynary*, *Kuznocin* et *Swiątniki* omnimodas libertates largitur (1).

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, amen. Quoniam propter ambiguitatem rei geste, fraudes et calumnie multociens suscitantur: eis obliuione et ignorancia quandoque causam, et pluries occasionem prebentibus: proinde sapientum authoritas instituit [ut?] ea, que rite geruntur, solemnis scripture testimonio roborata, posterorum auribus inculcentur. Igitur nouerint uniuersi: quod nos Lescco dei gracia Dux Syradiensis, atendentes (sic) bona Episcopatus Wladislauiensis Ecclesie, per gentilium incursus in suis prouentibus seu utilitatibus anullarj (sic): pia exortacione venerabilis patris nostri domini Wolimirj, diuina vocacione Wladislauiensis Episcopi inuitati, in conseruacionem et melioracionem bonorum dicte ecclesie in nostro dominio positorum, ut deo et sue matri gloriose virgini Marie gratum seruicium inpendamus, nostrorumque peccaminum veniam mereamur: Ciuitati *Wogbor* cum villis sibi anexis (sic), scilicet *Sarnouica, Psareuo, Molendino, Cusnocino* (2), *ville sanctuariorum* damus plenam ac omnimodam libertatem; nichil iuris nobis in eisdem personalis seu predialis retinentes: aliis villis castellanie de *Wogbor* nostra iura reddentibus, quemadmodum expressum in earum priuilegio continetur. Damus ad hoc potestatem dicto Episcopo, suisque successoribus, predictam ciuitatem cum villis superius expressis, iure locandj theutonico: undecumque et quibuscumque nacionibus aduocatis. Adicientes, ut premissa ciuitas per sepedictum Episcopum suosque successores, muro lapideo vel latereo seu plancis valletur, prout ipsorum sederit uoluntati. Curret autem denarius monete nostre in ciuitate *Wogbor* et suo

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Vladislaviensis. Sigillum deest.

(2) *Żarnowiec*, *Młynary* (Molendinum), *Psary*, *Kuznocin*, *Swiątniki* (videlicet villa Sanctuariorum) villae oppido Wolborz adjacentes, omnes in territorio et regione Petricoviensi sitae.

districtu: non tamen noster Monetarius ibi per se vel süos accedet ad cambium faciendum, aut ad aliquam supam aliam exercendam. Cum ibi nichil iuris nobis nostrisque successoribus uoluimus reseruari, totum in ius et proprietatem Wladislauiensis ecclesie resignantes. Ceterum si falsarius nostre monete in *Wogbor* et suo districtu repertus fuerit, per loci quidem Sculletum iudicabitur; sed nobis cedet cum Episcopo per medium iudicatum. Ut autem hec nostra donacio, perpetue robur obtineat firmitatis, ipsam nostri apensione sigilli fecimus roborari. Datum anno domini M° C° C° LXX° tercio. Indiccione prima.

CI.

In villa Gajkowice, anno 1273.

Wolimirus episcopus Wladislauiensis testatur, quosdam homines ascriptitios villae *Gacov* ab omnibus solutionibus, exceptis duabus mellis urnis praestandis, immunes esse. Id testimonium Wislaus episcopus Wladislaviensis ratum esse jubet (¹).

1292. Nos Wislaus dei gracia ecclesie Wladislauiensis episcopus, ad uniuersorum noticiam volumus peruenire: quod heredum de *Gacov* ascripticiorum ecclesie nostre vidimus literam in hec verba:

1273. Nos Wolimirus dei gracia Episcopus ecclesie Wladislauiensis notum facimus uniuersis presentem paginam inspecturis: quod Rathek, Raden, Gostek, Nezalec et Radik, homines nostri ascripticij, heredes de *Gacov* (²), coram nobis, presentibus domino Sandiuogio cantore Wladislauiensi, domino Johanne plebano de *Chelmecz* (³), Paulo subpincerna curie nostre, Bartosio subdapifero, et alijs quam pluribus militibus nostris et capellanis: testium fide dignorum testimonio et iuramento, ab omnibus solucionibus personalibus seu predialibus se liberos esse comprobarunt; excepto hoc solummodo: quod omnes generaliter viri prenominati et eorum

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Vladislaviensis. Tria sigilla taeniolis pergamenis appensa penitus destructa.
(²) Forsitan hodie villa *Gajkowice* dicta, territorii et regiminis Petricoviensis.
(³) *Chelmce* vid. Index II. T. I.

posteri in perpetuum duas urnas mellis nobis, et nostris successoribus, singulis annis, soluent. Ceterum ad omnia seruicia, ad que omnes ascripticij nostri et ecclesie nostre sunt astricti, nobis et nostris successoribus, ipsi et eorum posteri obnoxij esse tenebuntur. Acta sunt hec in *Gacov*. Data anno domini M° C° C° LXX° II° I°. In huius autem rei testimonium, presens scriptum nostri sigilli munimine fecimus roborari.

Et quod, sicut audimus, quidam eorum iuuenes et *discoli* (4) inter populares se liberos solent asserere; ne tractu temporis eorum assercio videatur esse vera: presentes lectas et expositas sub testimonio nobilium virorum: domini Martini Abbatis de *Witow* (5), Setegij iudicis de Lanchicia, Alberti pincerne, Pacoslay vexiliferi, Scarbimiri venatoris castren., Syradien., Miclonis militis Cuyauie, Clementis cantoris, Johannis Stanislay canonici Crusuiciensis, Sulconis canonici Wladislauiensis, Pauli de *Chlewicz* (6): et cum non omnes eorum sigilla habeant, presentes sigillo dicti Abbatis, Alberti pincerne et Miculonis, fecimus communiri. Scriptum anno domini M° CC° nonagesimo secundo, in octaua Agnetis virginis.

(4) *Discolus* difficilis, morosus. Ducange.
(5) Fortasse villa *Witów* territorii et regionis Petricoviensis.
(6) Villa *Chlewice* palatinatus Cracoviensis regionis vero Jędrzejoviensis.

CII.

Wladislaviae, 1273 die 7 mensis Augusti.

Boleslaus Dux Poloniae testificatur litem inter Ordinem Teutonicum atque Euphrosinam Ducem Lanciciensem filiumque ipsius Wladislaum de homicidiis ortam, intercedente Wolimiro episcopo Wladislaviensi, sopitam esse (1).

Cum sit iuri consentaneum, rationi consonum, tam firmo federe stabilique lege sopire discordias, ne denuo reuiuiscant: Nos Bolislaus dei

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii cujusdam privati in Regno Galliciae exstantis descriptum. Taeniolis pergameneis appensa sunt duo sigilla, unum majoris formae exhibet virum stantem armatum, gladium recta manu tenentem, eoque monstrum quoddam caput equinum,

gratia Dux Polonie scire cupimus uniuersos: Quod inter viros religiosos, videlicet Magistrum ac fratres domus theutonice per *Pruscíam*, et eorum homines ex una parte, nec non dominam Eufrosinam illustrem Ducissam Łanchiciensem (sic) et filium eius Ładizlaum (sic) ac eorum homines ex altera parte, pro homicidijs domini Nyrfridi, sociorumque eius, ac domini Hyldeprandi Burgensis de *Culmine* [2], accedente maturo consilio venerabilis patris nostri domini Volimiri Wladizlauiensis episcopi, ceterorumque sapientum nostrorum, compositionem et pacis perpetue concordiam fecimus in hunc modum: Nepotes et amici domini Nyrfridi dabunt heredibus domini Hyldeprandi sexaginta marcas in tribus anni temporibus: scilicet in festo beati Galli viginti marcas, item in octaua natiuitatis domini viginti marcas, item in quarta feria die Cinerum viginti marcas. Ad hanc vero pecuniam persoluendam predictus Dux juuenis Ladizlaus cum suis militibus, scilicet Lupo palatino, Jacobo, Christono (sic) et Woyzich cautionem huiusmodi compromisit, ut, si predicta pecunia non darentur (sic) statutis terminis suprascriptis; accepto ad hoc nostro nuncio, in terra sua pro tota summa pecunie, pignora capientur. Item statuimus, ut utraque pars cedat omni actioni litis preterite, scilicet de homicidijs, de rebus ablatis, de violatione pacis firmate prioris, seu quibuscumque inter eos prioribus pollicitationibus, siue causis, de quibus oriri posset questio uel moueri: sed dato pacis curriculo (sic) coram nobis, sopitis inimicitijs vniuersis, tam ipsi, quam omnis populus utrarumque terrarum pace perpetua congaudebunt. Insuper promisit iuuenis Dux Ladyzlaus cum prefatis militibus suis, pro omnibus amicis domini Nyrfridi tam presentibus, quam absentibus, huius pacis concordiam inuiolabiliter obseruari. Si quis autem huius pacis per nos firmate transgressor, quod absit, temerarius extiterit, pena centum marcarum debitor effectus parti innocenti irremissibiliter condempnetur, nostra nichilominus indignatione in eundem seuiente graviter et censura. In hujus pacis et concordie robur perpetuum, presentem paginam super hoc confectam

alas et pedes alitis, caudam vero piscis habens caedentem. Inscribitur in ambitu: „*s. boleslai dei gratia ducis polonie.*" Alterum minoris formae ex longo rotundum repraesentat episcopum vestibus pontificalibus ornatum, dextra manu lituum, sinistra vero librum apertum tenentem, in ambitu haec verba leguntur: „*s. wolimiri di. gra. epi. wladislavien.*"

(2) *Chelmno* (Culm), urbs territorii Kwidzynensis.

appensione sygillorum, nostro videlicet, ac venerabilis patris nostri domini Volimiri episcopi Wladizlaviensis, fecimus communiri, cum testibus, qui presentes fuerant, annotatis, videlicet: Duce Primuzlao (sic) Poznaniensi, Petro nostro Cancellario, Johanne preposito, Liebardo Archidyacone (sic) ecclesie Crusficensis (sic), Mathia palatino Cuiauiensi, Bezado, Zwentyslawo Burgrauio Gnezensi (sic), et militibus supradictis de *Breste*, ceterisque quam pluribus fide dignis. Datum anno domini M° CC° LXX° tercio, VII° Idus Augusti in ciuitate *Wlodizlauia* in ecclesia fratrum minorum.

CIII.

In villa Muchy, anno 1274 die 30 mensis Maji.

Lesco Dux Syradiae attestatur, homines clavis Wolboriensis ecclesiae Wladislaviensis propriae in restaurandis pontibus civitatis Syradiae operam suam commodasse, eamque ob causam iis certas libertates largitur (¹).

In nomine domini, amen. Ea, que aguntur in tempore, labuntur cum tempore; propterea sapientum sanxit auctoritas acta principum, fide testium ac scripti memoria confirmare. Nouerint igitur uniuersi tam presentes, quam futuri presentem paginam inspecturi: quod nos Lestcho dei gracia dux Syradiensis, cum de reparacione pontium in *Syraz* cum baronibus nostris tractare cepissemus: qualiter eos bono modo perficere possemus, et quia quantitas operis se in magis extendebat, quam nostra potencia ei operam poterat ministrare; nisi homines beate Marie virginis ecclesie Wladislauyensis, de villis *vogboriensibus* eidem operi insisterent laborantes: quare, baronum nostrorum fretus (sic) consilio, patrem nostrum dominum Volemirum ecclesie Vladislauyensis episcopum, condignis ac honestis precibus emolitum, homines dictos ad opus poncium nobis petiuimus non deesse. Qui non officio seruitutis compulsi, sed voluntate spontanea, nec non nostra necessitate ingruente, nobis affuerunt gratulanter. Preterea facta nostrorum

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigillum taeniola pergamena appensum, destructum.

predecessorum nolentes irritare, domino Volemyro ecclesie Wladislauiensis episcopo, et omnibus successoribus eius, in omnibus villis *vogboriensibus* in nostro dominio collocatis, a renouacione operis noui uel antiqui plenam confirmamus perpetuo libertatem. Pro quo si citati fuerint, coram nobis, nec coram aliquo nostro iudice, tenebuntur comparere. Et quod ea, que fecimus, robur obptineant (sic) firmitatis, presentem paginam munimine nostri sigilli fecimus roborari. Acta sunt hec presentibus hijs: Comite palatino Sethegyo Syradihensi (sic), Thoma castellano, Dyuisio castellano de *Rospra*, Judice Myroslao, Domino Cancellario Raphaële, Swtoslao (sic) castellano de *Svyeimir* (sic), et alijs pluribus, qui huic negocio affuerunt. Datum in *Mucha* (²) anno domini M° CC° LXX° IIII°, IIII. Kalendas Junii.

(²) Villa *Muchy* in palatinatu quondam Calissiensi, territorio Wielunensi, regione Ostrzeszoviensi sita.

CIV.

Sine loco, anno 1275 die 1 mensis Maji.

Wladislaus Locticus Dux Lanciciae et Cujaviae, villam *Sokołowo* dictam, Nicolao cuidam nobili vendit, candemque jure Teutonico, quo civitas Brestensis utebatur regi jubet, munus et beneficia sculteti praedicto impertiens Nicolao.

Vid. hujus Cod. Tom. I. p. 95 Nro LVI.

CV.

Wladislaviae, anno 1276 die 28 mensis Aprilis.

Albertus Episcopus Cujaviensis Comiti Simoni Gallico Palatino Wratislaviensi, et Alberto de Stuelna omnes suas possessiones in terra Culmensi sitas vendit.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. I. p. 167 Nro 161.

CVI.

Syradiae, anno 1276 die 28 mensis Octobris.

Lesco Dux Syradiae poenam vulgo *Trescne* dictam in privilegio Martini et Wilkini scultetorum Wartensium occurrentem abolet, eosque scultetos jure Novi fori regi vult ([1]).

In nomine domini, amen. Anno eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo sexto. Nos Lestko dei gracia Dux Siradiensis, notum esse volumus vniuersis: Quod priuilegio Martini et Wilkini, scultetorum de *Wartha*, viso et plenius intellecto, per patrem nostrum foelicis recordationis eis dato: cum poenam inuenissemus, quae polonice *Trescne* vocatur, per nos in terra nostra deletam, de consensu et voluntate memoratorum M. et W., ipsam aboleuimus in perpetuum de priuilegio eorundem; et hoc etiam quod in eodem continetur, videlicet: quod si Teutonicus Polonum, vel Polonus Teutonicum occideret, tres marce argenti nobis debebant dari: quod erat contra jus et consuetudinem *Noui fori*. Sed nos in omnibus ius eiusdem *Noui fori* dictis M. et W. sculletis et eorum posteris obseruare inuiolabiliter promittentes, maxime ne homines essent proniores ad homicidia perpetranda, statuimus: quod si Teutonicus Polonum, vel Polonus Teutonicum, aut Teutonicus alium Teutonicum occideret, decem marcas argenti nobis soluet, de quibus quinque relaxamus. Si vero inter duos Polonos extraneos, vel inter Teutonicum et Polonum causa orta fuerit pro debito vel aliquo alio casu: dicti M. et W. sculteti ipsos non iudicabunt; sed ad illos remittant, quorum pertinent iurisdicioni: nisi forte violentiam vel crimen morte dignum committant. Et sic si Polonus Polonum occidet, tres marcae nostro judicio memorati loci debebuntur. Omnes autem alios articulos in priuilegio patris nostri expressos confirmamus; cuius tenor talis est:

In nomine domini, amen. (Hic sequitur priuilegium Casimiri Ducis Lanciciae et Cujaviae anno 1255. Martino et Wilkino ciuibus Syradiensibus datum, superius Nro LXIV. p. 53 typis descriptum).

([1]) E libris manu scriptis Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae, et quidem e libris: „*Wyroki Trybunału Koronnego Piotrkowskiego*" dictis, Nro I. p. 518 (a. 1579) descriptum.

Ut autem donationes superius annotatae per patrem nostrum et nos factae et concessae in perpetuum M. et W. et eorum posteris, robur obtineant firmitatis, eas nostris scriptis innouamus et nostri sigilli caractere roboramus. Datum in *Siradz*, in die beatorum Simonis et Judae apostolorum. Praesentibus hiis testibus: Comitte (sic) Mistisio subpincerna, Vilelmo aduocato Siradiensibus, Comite Bernardo thesaurario, Joanne clerico, per quem est hoc priuilegium innouatum.

CVII.

Crusviciae, anno 1277 infra octavas Paschae (1).

Alberus Episcopus Wladislaviensis quibusdam Hinzonibus molendinum in villa *Lansk* jure hereditario, certis conditionibus appositis, donat (2).

In nomine domini, amen Nouerint vniuersi presentes et futuri: quod nos Alberus diuina miseracione Ecclesie Wladislawiensis Episcopus, cum consensu capituli nostri, Hinzoni et Hinzoni (sic) molendinum nostrum in *Lansk* (3), et posteris ipsorum, iure hereditario in perpetuum dedimus, sub hac forma. Quod nobis et nostris successoribus, singulis annis in festo sancti Martini, sedecim marcas argenti usualis, ipsi et posteri illorum post eos soluere tenebuntur: molendinum et molas, quocienscumque necesse fuerit, propriis sumptibus reparabunt. Eo tantum excepto, quod si impetus aque violentus superueniens aggerem fregerit, per nostros homines, quotcumque poterimus, ipsos promisimus adiuuare. Porcos insuper tres continue pascere tenebuntur, et molent pro nobis quantum necesse fuerit, sine aliquo precio, et sine ulla contradictione. In cuius rei testimonium, presens scriptum ipsis dedimus, nostri et capituli Wladislawiensis sigillorum munimine roboratum. Actum et datum in *Crusuicia* infra octauas Pasche, anno domini

(1) Festum Paschae hoc anno 28 m. Martii celebrabatur.
(2) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Funiculis sericis coloris rubri duo erant appensa sigilla, quorum alterum deest, alterum penitus destructum.
(3) Sine dubio villa *Łonsk* in territorio Bydgostiensi, regione vero Juniwladislaviensi sita.

Mº Cº Cº LXXº septimo. Presentibus: domino Vito preposito, Liphardo decano, Dobegneo arehidiacono, Hinrico custode Wladislawiensibus, Johanne preposito, Goslao Decano, Teodrico Scolastico, Albero archidiacono Crusuiciensibus, et aliis quam pluribus fide dignis.

CVIII.

Gedani, anno 1277 die 19 mensis Junii.

Mestwinus Dux Pomeraniae centum duo de sexaginta marcis ab Albero Episcopo Cujaviae mutuo acceptis, eidem villas *Scrobotouo* et *Sechotouo* confert (1).

In nomine sancte ac indiuidue trinitatis, amen. Nos Mistungius dei gracia dux Pomoranie omnibus, quos presentes uidere uel audire contigerit, salutem in salutis auctore. Quia gestorum mortalium obliuio, persepe ueritati calumpnias irrogat et infligit, sane prudenter (sic) prouidit autoritas, gesta pretereuncia apicibus autenticis memorie hominum commendare. Proinde presentibus et futuris notum fiat: quod nos pro centum sexaginta marcis minus duabus, quas tenebamur venerabili patri Albero Cuiauie et Pomoranie Episcopo, nomine Wladislauiensis Ecclesie, in Castellania *Gdanensi* villam *Scrobotouo* (2), et in terra *Suetensi* (3) villam *Sechotouo* (4), cum omni suo districtu ab antiquo habito, et cum omni utilitate siluarum, borrarum, lacuum et pratorum, in ius et proprietatem, ac in possessionem Ecclesie Wladislauiensi damus ac transferimus perpetuo possidendas. Promittimus autem et obligamur de euictione predictarum uillarum, si quis de eis uel altera earum Ecclesie mouerit questionem. Ceterum intuitu retribu-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigillum taeniola pergamena appensum penitus destructum.

(2) Damalevicius villam hanc *Serobotowo* vocat, eam tamen neque in Mülleri opere, de quo in praefatione mentionem fecimus, neque in ulla charta geographica invenimus.

(3) In alio exemplari est: in castellania.

(4) In alio exemplari *Secotovo*, certe una villarum sibi adjacentium *Suchau* vel *Schwekatowo* non longe ab urbe Swiecie (Schwetz) sitarum, polonice *Swiękotowo* in decanatu Svecensi.

cionis eterne, predictas villas ab omni seruitute prediali seu personali, ac ab omni iure ducali, quod in eis uel earum incolis nobis unquam compeciit, uel competere potuit, liberas dono nostre munificcencie (sic) in presentibus declaramus. Wt (sic) autem hec inconcussa permaneant, et perpetue robur optineant firmitatis, presentes nostri appensione sigilli mandauimus roborari. Testes uero hij interfuerunt: Uitco palatinus *Gdanensis*, Waysil palatinus de *Tresseu* (5), Uneslaus subcamerarius, Hermannus, Luderus, Jacobus, Gotfridus Capellani curie nostre, Johannes prepositus, Goslaus decanus, Alberus archidiaconus Crusuicienses, Wislaus cantor plocensis, Jacobus archidiaconus Pomoranie, Jacobus dictus Slup Canonicus Wladislauiensis, Teclinus canonicus Lanciciensis, Petrus, Tomislaus, Ffal Capellani Curie domini Episcopi, et alij quam plures fide digni. Actum et datum in *Gdansk,* in ecclesia sancti Nicolay, in die Geruasij et Protasij martirum. Anno domini M° CC° septuagesimo septimo.

(5) Sine dubio hodie villa *Trzechovo,* in praefectura Gedanensi regione Stargardiensi.

CIX.

Gedani, anno 1277 die 19 mensis Junii.

Mestwinus Dux Pomeraniae privilegia a patre Swiętopelcone villis Episcoporum Cujaviae et Pomeraniae in castellatura *Gedanensi*, *Puoensi* et *Novo Warlubensi* sitis data confirmat (1).

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, amen. Ad uniuersorum noticiam orthodoxe fidei filiorum volumus peruenire: quod cum nos Mystiwgius, dei gratia Dux Pomoranie, super libertatibus dubitantes villarum Ecclesie Wladislauiensis, in nostro dominio positarum, in ipsis et earum colonis Jura ducalia ac seruitia, iuxta consuetudinem nostri dominij, peteremus, per Venerabilem patrem Alberum Cuyauie et Pomoranie Episcopum, priuilegijs

(1) Ex transsumpto membranaceo anno 1280 conscripto, in tabulario capituli Wladislaviensis asservato.

non cancellatis, non abolitis, non in aliqua parte uitiatis patris nostri Swantopelci, bone memorie quondam Ducis Pomoranie, nobis exhibitis: summa diligentia per nos et nostros fideles examinantes inuenimus villas inferius annotatas, plenam et omnimodam libertatem habentes; ita quod nobis, domino terre, nulle exactiones, solutiones, seruitia, seu iura ducalia competant in eisdem: sed cum omni iure ac utilitate in dominium seu proprietatem, ac possessionem Wladislauiensis Ecclesie transierunt. In castellatura de *Gdansk* nomina villarum hec sunt: *Gorca, Unemino, Katzco, Warsno* (2), cum lacu quod (sic) tenuit Raduanus. In castellatura de *Putzc: Milostowo, Cetnouo* (3). In castellatura de *Nove Warlube: Comorsco* integraliter, sicut Dux Sobeslaus quondam tenuerat, cum ea parte, quam Naslav ad *Glovno* iunxerat, et paruum *Comorsco* (4), quod nos eidem ecclesie cum libertatibus superius expressis addidimus. Inuenimus insuper in eisdem priuilegijs decimas manipulatas, et decimam de solutione tabernarum, theloneorum, monetarum, nauium, omnium iudiciorum tocius ducatus nostri, in Wladislauiensi diocesi constituti, sepedicte ecclesie, omni remoto dubio, pertinere. Igitur dicto Episcopo una cum Clero suo nobis prouide ac humiliter supplicante, et maxime ob remedium nostrorum peccaminum, et spem salutis eterne, et ut gloriose virgini Marie gratum seruitium impendamus: villas et iura, cum libertatibus superius annotatis, ducali munificentia presentibus innouantes confirmamus. In cuius rei testimonium, presentes nostri sigilli munimine, roboramus. Testes uero, qui interfuerunt, sunt hij: Vitto palatinus *Gdarnensis* (sic), Waysil palatinus de *Tressev*, Vneslaus subcamerarius, Hermannus, Luderus, Jacobus, Andreas, Gofridus Capellani nostri, Johannes prepositus, Goslaus Decanus, Alberus Archidiaconus Crusuicienses, Wyslaus Cantor Plocensis, Jacobus Archidiaconus Pomoranie, Jacobus Canonicus Wladislauiensis, Tomislaus procurator Pomoranie. Teclinus et Petrus Capellani Curie Episcopi, et alij quam plures fide digni.

(2) Nunc fortasse villae *Garczau*, *Katzke* et *Wartsch* in territorio Gedanensi: *Unenino* neque in charta geographica, nec in opere Mülleri invenitur.

(3) *Pucko* oppidum ad mare Balticum infra Gedanum situm. *Mikoszewo* cum lacu pleno piscium. *Cettnau* ambae villae in territorio Gedanensi.

(4) *Warlubien, Kommorsk* (magnum et parvum) et *Glowin* villae in territorio Kwidzinensi (Marienverder).

Actum et datum in *Gdansk* in Ecclesia sancti Nicolai. In die Geruasij et Protasij martyrum. Anno domini M° CC° LXX° VII°.

CX.

Lendae, anno 1278 die 24 mensis Augusti.

Premislai Ducis Majoris Poloniae sententia et arbitrium inter fratres Lesconem Syradiae et Ziemovitum Cujaviae Duces.

Stronczyński „Wzory pism dawnych" p. 17 Nro 16.

CXI.

Wladislaviae, anno 1279 die 16 mensis Augusti.

Albertus Episcopus Cujaviensis concordiam inter praedecessorem suum Michaëlem Episcopum Cujaviensem et coenobium Olivense constitutam, ratam esse jubet.

Leop. v. Ledebur „Neues Allgem. Archiv. für die Gesch." Preussens T. II. Pars. III. p. 208.

CXII.

Sine loco, anno 1279 die 19 mensis Augusti.

Joannes Abbas monasterii Cisterciensium Olivensis pollicetur se Episcopo Wladislaviensi pro decimis ex villis monasterii eidem pendi solitis, quocunque anno sex marcas soluturum (1).

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, amen. Johannes nutu diuino Abbas domus in *Oliua,* Cisterciensis ordinis dyocesis Wladyslauiensis. Uniuersis Christi fidelibus, ad quos presens scriptum peruenerit, salutem in

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigillum deest.

domino Jesu Christo. Uniuersitati vestre tenore presencium declaramus: quod materia dissensionis suscitata, inter procuratores Pomoranie venerabilis in Christo patris domini Alberi Wladyslauiensis ecclesie Episcopi, eiusdem vice ex una parte, et nos et nostrum conuentum ex altera, super solucione decimarum, quam eis soluere denegabamus villarum nostrarum subscriptarum: tandem retroactis temporibus multis et altercacionibus hinc inde habitis; ad preces nostras, omnium videlicet et singulorum fratrum nostri conuentus, dictus dominus Episcopus, habita bona deliberacione, ex pleno consensu dominorum, scilicet: Witi prepositi, Lyphardi Decani, Venceslay Scolastici et Sandiuogii canonici . . . . capituli, talem nobiscum iniuit composicionem: quod . . . . . . villarum, quas nunc possidemus considerata estimacio (sic), que extenditur paulo plus, quam ad sex martas Torunensis monete, decimas nobis dedit et asignauit (sic) libere et quiete in perpetuum percipiendas: et nos ei et suis successoribus, iuxta estimacionem eiusdem temporis decimarum predictarum, propter bonum pacis et concordie, annis singulis in festo beati Martini, prefate monete sex marcas, sine diminucione et dubitacione qualibet, persoluemus, et ad mensam ipsius, et ad suorum procuratorum utilitates, [et ?] necessitatem ibidem existencium in nostris molendinis, ubi eis magis commodum fuerit, annonam ad quamlibet farinam faciendam, et brasium quodlibet eorundem, sine contradiccione, molere gratis tenebimur cum effectu. Quod si, quod absit, nos et fratres nostri, vel nostri successores, prenominatum censum dicto termino persoluere memorato domino Episcopo, vel molere, sicut predictum est, contempserimus: earundem villarum ad mensam ipsius decima reuertatur. Quarum nomina sunt hec: Allodium circa claustrum, quod continet quatuor sortes: *Olyuam, Salicow, Clambouj* et *Sciminov, Polane, Primore, Ciucimeh, Golusdouo, Gransov, Stercov, Baruto* . . . et *Prusecino, Dambogora,* et *Grisca, Rumna, Zelicov* silua, *Scarin* cum villa adiacente eiusdem nominis, et *Mesin, Sarnowz, Pribrodov, Gardelin, Rulicov* . . . . *Vcardov* et *Karlikov* (²). Et ut hec omnia et singula, a nobis et a nostris successo-

(²) *Oliva* oppidum cum monasterio, uno milliario ab urbe Gedano distat. *Salakowo, Clambouj,* fortasse *Klanin, Sciminov,* fortasse *Schiemienau,* in territorio Regiomontano, *Polanken,* omnes villae juxta Olivam sitae. *Prinkowo* sine dubio *Primore* in territorio Gedanensi. Quid sibi velit *Ciucimeh*, difficile est conjectura assequi: utrum *Cissau* in territorio Gedanensi, an

ribus inviolata permaneant, vera eciam et mutua fraternitatis karitas inter nos compromissa persistat, presens scriptum nostri sigilli munimine fecimus roborari. Datum anno domini M° CC° LXX° IX°, XIII°, Kalendas Septembris.

Kikoil ibidem situm, non liquet. *Golusdouo* est *Golzan*. *Gransov*, nulla villa hujus nominis in hac regione apparet, est tantum *Graniszno; Stercov* forsitan villa *Sterkau*, sed haec sita est in territorio Gumbinensi; *Baruto* .... et *Prussecino* fortasse *Bartoschowlasz* (Bartoszowlas) et *Preuschmark* territorii Gedanensis: *Dambogora* et *Grisca*, sine dubio *Dembogorsz* et *Grzybno*, in territorio Gedanensi, est etiam vila *Gristow*, sed in territorio Stettinensi. *Rumna*, forsitan villa *Rumian* in territorio Kwidzynensi, *Runau* in territorio Bydgostiensi. *Zelicov*, fortasse *Zelgoss* in territorio Gedanensi vel *Zelgno* in territorio Kwidzynensi. *Scarin* et *Mesin, Sarnowo*, his nominibus proxime accedunt: *Starzin* (magnum et parvum) in territorio Gedanensi, ibidem *Mierau* (Mierzyn), *Sarnowo, Pribrodov, Gardelin, Rulicov, Vcardov* et *Karlikov*, sine dubio *Przybroda* in Bydgostiensi, *Gardzau* in Gedanensi territoriis: ibidem *Raickau, Wickerau, Vcardov, Wicardow Karlekau*.

CXIII.

Wladislaviae, anno 1280 die 25 mensis Maji.

Alberus Episcopus Wladislaviensis quibusdam Henricis molendinum in villa *Orle* et agros circa adjacentes certis conditionibus appositis jure hereditario possidenda donat (¹).

Alberus dei gracia Ecclesie Wladislauiensis Episcopus, universis presens scriptum inspecturis salutem in domino. Uniuersitati uestre notum esse volumus: quod nos, de communi consensu fratrum nostrorum, Henrico et socio suo alteri Henrico nostris molendinarijs, nostrum in *Horle* (²) dedimus molendinum, et agros circa idem molendinum, quos ibidem prior possedit molendinarius, Dalek dictus, et de inculto duos mansos, si poterunt extirpare, iure hereditario imperpetuum (sic) possidenda, sub hac forma: quod predicti H.(enricus) et H.(enricus) molendinarij, nobis et nostris suc-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Duo sigilla appensa funiculis sericis rubri coloris, penitus destructa.

(²) Villa *Orle* in territorio Cujaviensi et regione Brestensi, in decanatu vero Lubotinensi sita.

cessoribus, singulis annis in festo beati Martini, persoluent unam marcam argenti usualis, duos porcos per annum semper pascent, et quantumcumque nobis et curie nostre necesse fuerit, eo iure et modo, quo in alijs nostris molitur molendinis, nobis molere tenebuntur. Insuper iuxta formam priuilegij de construccione eiusdem molendini, inter nostrum predecessorem dominum Episcopum Wolimirum et milites heredes de *Chalyn* (³), hiniti et confecti: eisdem militibus heredibus de *Chalyn*, LX^a modios annone uniuerse annuatim molere tenebuntur. Preterea sepedicti molendinarij, si quos homines pro se locare potuerunt (sic), rebus propriis et expensis circa supradictum molendinum locabunt, de nostra licencia et fauore; et si sepedictum molendinum, quod absit, aliquo casu destruetur, memorati H.(enricus) et H.(enricus) molendinarij de propriis reparabunt sumptibus et expensis: nisi si per gentilium incursus fuerit destructum, ad eius reparacionem ipsos volumus adiuuare. Et in huius rei testimonium, presens scriptum nostri et capituli nostri sigillorum munimine fecimus roborari. Actum et datum in *antiqua Wladizlauia,* in die beati Urbani Martyris, anno domini M° C° C° octuagesimo.

(³) Procul dubio hic intelligitur villa *Chalno* regionisBrestensis, decanatus Lubotinensis.

CXIV.

Strigonii, anno 1280 die 28 mensis Maji.

Philippus Firmanus Episcopus, privilegia ecclesiae Wladislaviensi a Lescone Duce Syradiae anno 1273, et a Mestwino Duce Pomeraniae a. 1277 concessa, rata esse jubet (¹).

Venerabili in Christo patri . . . (sic) dei gracia Episcopo Wlatislauiensi (sic), Philippus miseratione diuina Firmanus Episcopus, Apostolice sedis

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigillum exhibet episcopum vestibus sacerdotalibus indutum, ex inscriptis verbis haec leguntur: *„s. phylippi dei gra. . . et . . . . . firmani.“*

legatus, salutem et sinceram in domino caritatem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter vestris iustis supplicacionibus grato concurrentes assensu, libertatem, concessionem et potestatem vobis et Ecclesie vestre concessas, in Ciuitate *Wagbor* (sic), cum villis sibi annexis, scilicet: *Sarnouica, Psarewo, Molendino, Cusnocino,* ville *Sanctuariorum* (2), a nobili viro Lestco (sic) Duce Syrabiensi (sic), nec non innouacionem seu confirmacionem villarum et iurium Ecclesie vestre, et libertatum earundem, uobis et ecclesie uestre concessas et factas a nobili viro Mistiyugio Duce Pomoranie, prout in priuilegijs, eorundem ducum sigillis munitis, plenius cernitur contineri: quorum priuilegiorum tenorem de uerbo ad uerbum fecimus presentibus annotari: sicut rite et prouide facte sunt et concesse, ratas habentes et gratas, auctoritate, qua fungimur, confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Tenor autem priuilegiorum ipsorum talis est:

(Sequuntur duo privilegia: 1, a. 1273 vid. p. 85 Nro C. — 2, Gedani a. 1277 d. 19 men. Junii p. 94 Nro CIX.).

In cuius rei testimonium, presentes litteras fieri fecimus, et nostri sigilli appensione muniri. Datum in castro *Strigoniensi,* anno domini millesimo CC° LXXX°, V. Kal. Junii, VIII. Indictione, Pontificatus domini Nicolai Pape tercij anno tercio.

(2) Vide annotationem secundam ad a. 1273 p. 85.

CXV.

Juniwladislaviae, anno 1281 V. Idus Julii (die 11 mensis Julii).

Episcopo Cujaviensi intercedente, ipsoque praesente, coenobium Olivense cum coenobio Succoviensi de certis haereditatibus paciscuntur.

Leop. v. Ledebur Neues Allg. Archiv. für die Gesch. Preussens T. II. Pars III. p. 221.

CXVI

In opp. Stolpe (Slup), a. 1281 die 21 m. Decembris.

Mestwinus Dux Pomeraniae concordiam inter Episcopum Cujaviensem et coenobium Olivense constitutam, ratam esse jubet.

Ibidem T. II. Pars III. p. 210.

CXVII.

Sine die et loco, anno 1282.

Wladislaus et Casimirus Duces Lanciciae et Cujaviae molendinum in fluvio *Zglowiątka* constructum, inter villas *Chalno* et *Swierczyn* situm, de quo lis erat orta inter Episcopum Wladislaviensem, et milites Brodislaum fratremque ipsius Krtivium, iisdem adjudicant (1).

In nomine domini, amen. Ob inmutationem (sic) temporis ea, que in ipso aguntur, simul facta cum eius motu ne immutarentur et irritarentur, scripto sufficienti et sigilli inpressione roborantur, ut in memoriam hominum redigantur lucidiorem. Igitur nos Wladislaus et Kasimirus dei gracia duces

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigillum funiculo serico coloris rubri et albi appensum exhibet dimidiam aquilam et dimidium gryphum ordine insignis provinciae Cujaviensis secum connexa. Verba in ambitu leguntur: „*s. wladislai ducis lanicie.*"

Lancicie et Cuiauie, facimus esse notum presentibus et futuris hec scripta intuentibus: Quod dominus episcopus Alberus dei gracia Wladislauiensis ecclesie, coram nobis cum milite Brodislao et fratre eius Mstiwio de molendino, quod iacet inter *Chalin* et *Swircino* (2) super fluuium, qui uocatur *Zgovetca* (3), habuit in octaua Michaëlis archangeli terminum comparendi: in quo termino, oppressus infirmitate, esse personaliter non potuit, ut in scriptis eius recepimus: sed mittens dominum Paulum procuratorem suum ad dictum terminum loco sui, cum litteris sigillo suo et tocius capituli ad nos sigillatis, de fato molendino causam responsionis ac aquirendi (sic) et perdendi absolutam in omnibus eidem permisit. Qui idem Paulus, in prefato termino, molendino per nos et nostros barones iure in perpetuum est abiudicatus. Et ne hec aquisitio per suggestionem aliorum uiolaretur, Brodislao et fratri suo M. eorumque posteris, iure hereditario in perpetuum possidendum adiudicauimus, sigilli nostri munimine roborantes. Anno domini M°. CC° LXXX° II°. Presentibus: comite Lupo palatino Cuiauie, Jacobo crusficiensi castellano, Cristino castellano Brestensi, ... Judice, Predslao thezaurario, Alberto, et domino Philippo subcancellario nostro, per cuius hanc manum solidatam fecimus dare.

(2) *Chalno* et *Swierczyn* villae territorii Cujaviensis, regionis vero Brestensis haud procul ab oppido Lubraniec sitae.
(3) *Zglowiątka.*

CXVIII.

Wladislaviae, anno 1282 die 13 mensis Julii.

Albertus Episcopus Wladislaviensis una cum capitulo villam *Powsino* ecclesiae Wladislaviensis propriam cum villa *Szawlowice* Comitis Nicolai Castellani Wiznensis propria commutat (1).

In nomine domini, amen. Ne res gestas aboleat processus temporum, consueuit eas scripture memoria perhennare discrecio prouidorum. Ea-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniolis pergamenis appensa sunt duo sigilla, quorum alterum a dextra tabulae parte pendens minoris formae peni-

propter nos Alberus diuina miseracione Wladislauiensis Episcopus, Vitus prepositus, Lyphardus decanus, totumque capitulum eiusdem ecclesie, notum facimus omnibus tam presentibus, quam futuris: Quod habita bona deliberacione et communi consensu fratrum nostrorum, talem commutacionem fecimus cum Comite Nycolao Castellano de *Wyzna* (²), filio quondam Woycechonis heredis de *Jazdow* (³): Quod nos, recepta ab ipso in commutacione jure hereditario et in perpetuum, coram Duce et Baronibus Cuiawiensibus villa ipsius, que *Saulouycj* wlgariter nunccupatur, sita in dominio Z.(iemomysli) ducis Cuiawie, et in Castellania *Juuenis Wladyzlauie* (⁴), dedimus dicto Comitj N.(ycolao) pro ipsa, in eadem permutacione, villam nostram *Powsyno* (⁵), cum omnibus pertinencijs et juribus ipsius, in dominio *Cyrnensi* (⁶) situatam, sibi et suis heredibus jure hereditario pacifice in perpetuum possidendam. Ne igitur huiusmodi permutacio tam sollempniter facta, in dubium veniat in posterum, aut per aliquam parcium possit infringi, presens instrumentum prefato Comitj N.(ycolao) dedimus, Epyscopali et Capituli sygillorum robore communitum. Datum in *Wladyzlawią*, in die sancte Margarete virginis, anno domini M° CC° octuagesimo secundo, indiccione decima.

tus destructum; alterum majoris formae in dimidia sui parte superna exhibet Matrem dei, sedentem, Christum sinu tenentem, a parte dextra ejusdem conspicitur dimidia aquila, a sinistra vero faux quasi leonis; in altera dimidia inferiori parte conspiciuntur tres personae genibus nixae preces fundentes. Verba in ambitu sigillorum deleta.

(²) *Wizna* (Wisna) oppidum provinciae et territorii Augustoviensis, regionis Biebrzanensis.

(³) *Ujazdow* hodie suburbium Varsaviae.

(⁴) Villa *Szawłowice* in territorio Calissiensi et regione Wartensi, in decanatu vero Gniewkoviensi sita.

(⁵) Vid. Ind. II.

(⁶) *Czersk* v. *Czyrsko* oppidum territorii Varsaviensis, regionis sui nominis caput.

CXIX.

Svieciae, anno 1282.

Mestwinus Dux Pomeraniae portum maris vulgo *Mosci* dictum, nec non villas *Vitomino, Lenino, Sobcovo, Swarisevo* et *Mościno,* cum villis *Rudno, Clchevo* et *Woycino* Alberti Cujaviae et Pomeraniae Episcopi propriis commutat (1).

In nomine domini, amen. Nos Mstiwgius dei gracia Pomoranie dux notum facimus omnibus presentibus et futuris: quod inter venerabilem in Christo patrem dominum Albertum Cuiavie et Pomoranie Episcopum, et Capitulum eius ex una parte, et nos ex altera, talis permutacio intervenit: quod nos datis eidem Episcopo et successoribus eius, iure hereditario in perpetuum portu maris, qui *Mosci* vulgariter nuncupatur, et eciam villis nostris: *Vitomino, Lenino, Sobcovo, Swarisevo* et *Moscino* (2), recepimus ab ipso Episcopo et Capitulo, nomine permutacionis eiusdem, villas ecclesie ipsorum *Rudno, Clchevo* et *Woycino* (3); recepimus eciam ab ipso Episcopo et Capitulo, tytulo (sic) permutacionis eiusdem, decimas de *Wansk* sive de *Gniew* (4) in ea parte terre quondam Ducis Samborij, patrui nostri, quam fratribus Cruciferis domus Teutonice in Prusia dedimus, que terra et decime sub hijs terminis continentur. Primus quidem terminus est a *Verisa* ubi *Wyslam* influit inferius descendendo *Wyslam* ad villam *Rosischino,* et villam eandem cum terra simul adiacente, usque ad wallum (sic) seu locum castri *Gardz* nominati, et ab illo directe usque ad villam monachorum *Raycowo,* et ab illa villa directe usque ad prefatam *Verisam,* et ab illa directe asscen-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Funiculo serico appensum sigillum majoris formae repraesentat equitem in porta stantem, dextra manu hastam, sinistra vero scutum, in quo efficta est aquila, tenentem. In ambitu sigilli legitur: *„s. dni. mistugii ducis pomoranie."*

(2) Hodie *Wittomin, Lewinno, Sobbowitz, Schwaroszin,* forsan *Mosziske* (Moriziska), omnes villae in territorio Gedanensi.

(3) *Rudno* villa in territorio Kwidzynensi: duae sunt villae *Wojcin* et *Woycyn* in territorio Bydgostiensi, altera Juniwladislaviensis, altera vero Gonsaviensis regionis. *Clchevo* forsan *Olszewo* Gedanensis, vel *Olszewko* Bydgostiensis territorii.

(4) *Gniew* (germ. Mewe) urbs ad ostium rivi *Fersa* sita.

dendo (sic) usque ad castrum, quod dicitur *Stargart*, et a ponte ibidem transeunte *Verisam*, et publicam stratam, que tendit versus *Sweze*, usque ad granizam sive metam *Thymaw*, et ab illo loco usque *Vangromadnizam*, et eandem aquam et terram inferius descendendo usque in *Verisam* ubi *Wyslam* influit, in primo termino supradicto (5). Ut autem hec nostra permutacio firma sit, et inviolabilis tam a nobis, quam nostris successoribus in perpetuum observetur; portum et villas superius annotatas, quas domino Episcopo et Ecclesie ipsius dedimus, ita ab omnibus serviciis et solucionibus, quocumque nomine censentur, que nobis vel nostris beneficis antea competebant, vel competere poterant in futurum omnino absolvimus, quod in eis nichil iuris nobis, vel nostris successoribus penitus reservamus: hoc tantum excepto, quod ad defensionem terre Pomoranice solummodo, hostibus eandem intrantibus, usque ad metas ipsius venire tenebuntur. Et ne cuiquam super ac (sic) permutacione portus, villarum, seu libertate ipsorum, ambiguitas in posterum oriatur, prefato domino Episcopo, Ecclesie, et successoribus ipsius, presens instrumentum dedimus, in testimonium nostri sigilli munimine roboratum. Actum et datum in *Sweze*, infra octavas Sancti Michaëlis, anno domini M° CC° LXXX° secundo. Presentibus: Domino Thoma Episcopo, Wyslao preposito Plocensibus, Liphardo decano, Dobegnewo archidiacono Wladislaviensibus, Johanne preposito, Alberto decano Cruswiciensibus, Woysilone Palatino Gdanensi, Pribislao Palatino Swecensi, Paulo Castellano Swecensi, Swanza Castellano Slupensi, Sciborio Castellano Pucensi, et aliis quam pluribus fide dignis.

(5) Tota haec limitatio est ita accurate descripta, ut hodie etiam in tabula geographica designari possit. *Verisa* rivus nunc *Ferse*. Villa *Rosiczyna* non est quidem in tabula geographica exscripta, attamen in Mülleri Indice legitur villa *Russocin* in vicinia sita. Castrum *Gardz* nunc villa *Gartz major* et *minor*. *Raycouo* est *Raikau*, *Stargard* oppidum polonice *Starogrod*. *Thymaw* nunc villa *Thiemau*. Nomen rivuli *Wągromadnica* non est allatum in tabula geographica.

CXX.

Anno 1283 die 25 mensis Julii.

Mestwinus Dux Pomeraniae Alberto Wladislaviensi Episcopo duas naves in portu tenendas permittit (¹).

In nomine domini, amen. Nos Mstywgius, dei gracia Pomeranie Dux, notum facimus omnibus, tam presentibus quam futuris: Quod ob amorem dei omnipotentis, et Matris eius sancte Marie virginis, ac in remissionem nostrorum peccaminum, venerabili in Christo patri domino Alberto Wladizlauiensi Episcopo, et suis successoribus, duas naues liberas in portu nostro, quod *prewloca* wlgariter dicitur, pure et liberaliter in elemosinam iure hereditario in perpetuum locandas concessimus et dedimus: absoluentes easdem naues et homines ad eas pertinentes, dum in piscacione in eodem portu fuerint, ab omni solucione, seruicio, seu obediencia, que nobis uel nostris officialibus ibidem consueuerunt exhiberi. Ut autem hec nostra concessio, siue donacio, firma sit, et tam a nobis, quam a nostris successoribus perpetuo inuiolabilis obseruetur, presens instrumentum dicto Episcopo et successoribus ipsius in testimonium dedimus, nostri sigilli munimine roboratum. Datum anno domini M° C° C° L° X° X° X° tercio in crastino sancti Jacobi Apostoli.

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario quodam privato in Regno Galliciae asseruatur descriptum. Sigilli abrupti nonnisi funiculus, e filis sericis coloris rubri tortus, superest.

CXXI.

Svieciae, anno 1283 V. Kal. Aug. (die 28 Julii).

Albertus Episcopus Cujaviensis Ordini Teutonico omnium villarum decimas, eidem a Mestwino Duce Pomeraniae datas, concedit.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. I. p. 178 Nro 166.

CXXII.

Anno 1284 die 7 mensis Septembris.

Premislaus Dux Majoris Poloniae Ordini Teutonico promittit se inducias, quas idem cum Lescone Cracoviensi et Ziemovito Cujaviensi Ducibus inierat, conservaturum esse.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. I. p. 182 Nro 169.

CXXIII.

Wyszogrodiae, anno 1284 die 15 mens. Septembris.

Wislaus Episcopus Cujaviensis Ordinis Teutonici Magistro in sua dioecesi aedificandarum ecclesiarum concedit potestatem.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. I. p. 180 Nro 167.

CXXIV.

Wyszogrodiae, anno 1284 die 16 mens. Septembris.

Mestwinus Dux Pomeraniae litem inter Episcopum Cujaviensem et Ordinem Teutonicum de quadam mola exortam dirimit.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. II. p. 9 Nro 7.

CXXV.

Cracoviae, anno 1285 die 6 mensis Aprilis.

Lesco Dux Cracoviae, Sandomiriae et Syradiae attestatur Wislaum Episcopum Cujaviensem villam *Ojrzanowo* et partem haereditatis in villa *Łagiewniki* commutasse cum villa *Narok* comitis Mstignei propria (¹).

In nomine domini, amen. Ne antiquitas temporum rerum gesta humanarum pati cogat naufragium, obliuionis nubilo aut calumpnie scrupulo nouercante, opus est, ut per scripti continenciam, perhennis memorie senciant tutamentum, quod posteris preteritorum noticiam prebeat, et testimonium peribeat (sic) veritatis. Nos itaque Lestco dej gracia Dux Cracowie, Sandomirie et Syradie, firma ac perpetua intransmutabiliter ea fore cupientes, que inter personas amicabiles nobis, de voluntate nostra geruntur presencialiter, et consensu: notum esse cupimus vniuersis tam presentibus, quam futuris: quod venerabilis pater et dominus Wisslaus, eiusdem prouidencia Cuiawiensis episcopus, commodis ac utilitatibus Ecclesie sue Wladislauiensis insudans sollicite, ville *Ozranouo,* et ea parte (sic) hereditatis, quam habet in *Lageunyk* contiguam ville de *Chorancyn,* sitarum in dominio *Lanchiciensi* (²), ad Episcopatum suum pertinencium, commutacionem in presencia nostra fecit cum comite Mstygneo fideli nostro, karissime coniugis nostre camerario, pro hereditate *Narok* site (sic) in nostro dominio Syradiensi, circa *psarew* villam eiusdem domini Episcopi, que a quibusdam *Lychaua* wlgariter nunccupatur (³), quam eidem Mstygneo, considerata multiplici seruiciorum ac meritorum suorum fidelitate, predium [? pridem] contulimus perpetuo iure hereditario possidendam. Ne igitur talis pro commodo ac utilitate utriusque

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigilli abrupti superest tantum taeniola pergamena, qua appensum erat.

(²) *Ozranouo*, *Lageunyk* intelliguntur villae *Ojrzanów* et *Łagiewniki* ambae in provincia Masoviensi territorio Ravensi, regione Brzezinensi sitae, quarum illa parochiae Ujazdensi, haec vero parochiae *Chorzęcin* adscripta.

(³) *Narok* in Indice villarum Regni Poloniae non invenitur. *Lichawa* villa territorii Syradiensis, regionis Szadkoviensis.

partis coram nobis facta commutacio, aliquomodo irritari vel immutari possit in posterum, ymo rata et inviolata semper permaneat et inconcussa: presentis scripti nostri patenti assercione, et sigilli nostri eidem scripto appensione, ipsam approbantes et ratificantes confirmamus; quatenus tam dominus Episcopus cum suis successoribus, quam dictus comes Mstygneus et sui posteri, uterque in sue partis perpetua possessione permaneat et quieta. Datum in Castro Cracowiensi, septimo Idus Aprilis, Anno domini M° C° C° octuagesimo quinto. Presentibus: comite Johanne Abramouizc (sic) castellano de Lublyn, comite Wyrchoslao judice Cracowiensi, comite Martino pincerna cracowiensi, Comite Zawysa (sic) palatino, Paulo pincerna, Alberto tezaurario Syradyensibus; capellanis vero domini Episcopi Cuiawiensis: domino Albero Decano Crusficiensi, Arnoldo preposito ecclesie sancti Michaëlis de castro cracowiensi, Stanislao subcancellario decano Wladislauiensi, ac aliis quam pluribus fide dignis.

CXXVI.

Cracoviae, anno 1285 die 14 mensis Aprilis.

Lesco Dux Cracoviae, Sandomiriae et Syradiae Comiti Paulo pincernae, et Alberto thesaurario Syradiensibus, castellaniam Wolboriensem Episcoporum Wladislaviensium propriam certis finibus terminandam committit (1).

In nomine domini, amen. Nouerint uniuersi presens scriptum inspecturi: quod ego Paulus pincerna, et Albertus tesaurarius Syradienses, incliti principis nostri domini L.(esconis) dei gracia ducis Cracowiensis, Sandomiriensis et Syradiensis litteras, per venerabilem in Christo patrem, dominum Wysslaum miseracione diuina Wladislauiensem Episcopum, nobis exibitas recepimus, in hec verba:

L.(esco) dei gracia Dux Cracowie, Sandomirie et Syradiensis, discretis viris, comiti P.(aulo) pincerne, et Al.(berto) tezaurario Syradiensibus

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Duae taeniolae pergamenae, quibus sigilla appensa erant, supersunt. Erat nobis ad manus alterum quoque hujus tabulae archetypon, cui duo pergamenis taeniolis erant appensa sigilla, quae jam desiderabantur. Lectionis varietas nulla prorsus apparebat.

salutem et omne bonum. Quia uenerabilis pater, dominus Wysslaus (sic) diuina prouidencia Episcopus Cuyawiensis, nos prosequitur ex affectu paterne dileccionis: volentes eidem cum omni reuerencia obsequium impendere filiale, vestre mandamus discrecioni, quatenus cum presenti nostra littera, mandato prehabiti domini Episcopi recepto, ad limitandam Castellaniam *Woyboriensem* cum omnibus heredibus [? hereditatibus], que ad ipsam, ex donacione nostrorum progenitorum, uel alterius cuiuscumque, pertinere dignoscuntur, sine dilacione vos exibeatis promptos et paratos: volumus enim, quod predicta Castellania *Woyboriensis,* ac hereditates ibidem ad Ecclesiam Wladislawiensem pertinentes, ab omnibus hereditatibus aliorum circum adiacentibus, per vos perpetuis et notabilibus gadibus, euocata vicinia, taliter limitentur, ne postmodum calumpniose aut maliciose aliquatenus valeant prepediri. Datum *Cracowie,* proxima quinta feria post Dominicam Quasi modo geniti.

In huius igitur recepcionis et exsequucionis mandati perhennem memoriam et testimonium, predicti patris venerabilis domini W.(ysslai) Wladislawiensis Episcopi precibus inclinati, illustris principis L.(esconis) ducis nostri domini supradicti, litterarum seriem nobis transmissarum, de uerbo ad uerbum presentibus inserentes, easdem nostris sygillis fecimus communiri. Datum et actum in *Boriscow* (²), anno domini M° CC° LXXX° quinto, Kalendis Junij (1 Maji).

(²) Sine dubio villa *Boryszow* territorii et regionis Petricoviensis.

CXXVII.

Gedani, anno 1286 die 5 mensis Januarii.

Mestwinus Dux Pomeraniae Wislao Episcopo Wladislaviensi rivulum villas *Milobądz* et *Zaynccow* praeterfluentem cum utroque littore donat (¹).

In nomine sancte et individue trinitatis, amen. Nos Mstywgius dei gracia dux *Pomoranie.* Universis presentibus innotescat: quod nos ad

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Funiculo serico coloris coccinei sive molochini appensum sigillum majoris formae repraesentat equitem in porta stantem

peticionem venerabilis patris nostri Wyslay dei gracia Wladislaviensis Episcopi, et specialiter ob spem retribucionis eterne, rivulum, qui decurrit inter *Mylobanzc* et *Zaynccow* (2), in quantum gades extendunt se domini Episcopi eiusdem supra et infra suarum hereditatum, sibi suisque successoribus conferimus pleno iure, ita videlicet, quod ei et sue ecclesie utrumque litus dicti rivuli, non obstante alicuius contradictione, donamus et concedimus in perpetuum, in eodem rivulo construendi molendina, cum captura seu clausione littoris utriusque. Declaramus etenim: nos eidem Episcopo, et sue ecclesie, potestatem nos (sic) dedisse utrumque litus concludendi, prout necessitas exegerit molendinorum. Datum in *Gdansc* in octava innocentum, anno domini M° CC° octuagesimo sexto, intermedio nuncio Wneslao (sic) subcamerario nostro Gdanensi. Presentibus: Comite Swanca Palatino Gdanensi, Jacobo archidiacono Pomoranie, Nicolao, Clemente, Johanne Canonicis Crusvicensibus, Paulo Rectore ecclesie de *Chlewizc* (3), Lodvigo Rectore ecclesie de *Choscesic* (4), et alijs quam plurimis fide dignis.

hastam dextra manu tenentem; sinistra manus ejusdem scuto est instructa. Verba in ambitu sigilli inscripta haec: „*s. dni mistivgti ducis pomoranie.*"

(2) *Zaynccow*, fortasse nunc *Sanskau* villa in territorio Kwidzynensi et regione Sviecensi sita. *Mylobanzc* est villa *Miłobądz* in decanatu Tczevensi.

(3) *Chlewisko* villa territorii Bydgostiensis regionis Juniwladislaviensis.

(4) *Chocieszewice* villa hodie in Posnaniensi territorio.

CXXVIII.

Syradiae, anno 1286 die 27 mensis Martii.

Lesco Dux Cracoviae, Sandomiriae et Syradiae, prandium sibi, uti Duci Syradiensi castellaniam Wolboriensem transituro, semel unoquoque anno dandum definit (1).

In nomine domini, amen. Quoniam hominum gesta, si non subscripcione testium et testimonio literarum perhennentur, sepius in irritum deducuntur:

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigillum deest. Alteri exemplari authentico hujus tabulae ibidem asseruato, nullaque lectionis varietate notato, appensum est funiculo serico coloris viridis et rubri sigillum majoris formae penitus destructum a recta

Eapropter nos Lestco dei gracia dux Cracouie, Sandomirie et Syradie notum facimus uniuersis, ad quos noticia presencium peruenerit: quod cum castellania Woyboriensis: quandocumque semel in anno, nos inde ducem Syradie transire contingeret, prandium, prout in priuilegijs predecessorum nostrorum ducum Syradie inuenimus, nobis exhibere teneatur: sed quid, uel quantum ad idem prandium dare debeat, non sit penitus specificatum; ad instanciam venerabilis in Christo patris nostri, domini Wyslay dei gracia Episcopi cuyauiensis, ne possit aut debeat in posterum augeri, uniuersis Christi fidelibus, tenore presencium declaramus: quod quandocumque nos inde ducem Syradie semel in anno transire contigerit, pro prandio nostro vaccam et duas oues, si tempore fuerit estiuo, si uero fuerit tempore yemis (sic), duas pernas, triginta pullos, centum oua, dimidiam mensuram pise (sic), et dimidiam mensuram milij, ac salis tercianum, annis singulis dare debet, cum tot eciam curribus, quotquot erunt necessarij, homines dicte castellanie Woyboriensis, nos, videlicet ducem Syradie, ad terminos siue metas, et non ultra, iam dicte castellature, educere tenebuntur. In cuius rei testimonium presens scriptum conferimus nostri sigilli munimine roboratum. Datum in *Syraz* anno domini M° CC° LXXX° VI°, sexto Kalendas Aprilis. Presente: comite Ninogneo palatino *Syradiensi*, Domino Michahele (sic) cancellario Syradiensi, comite Mathia castellano Syradiensi, comite Paulo castellano de Rospra, comite Johanne castellano Spicimiriensi, et alijs multis.

sui parte, in aversa autem parte ejusdem sigilli impressum est sigillum minoris formae exhibens dimidiam aquilam dimidiumque leonem dorsis inter se conjuncta, cum corona super capita eorum.

CXXIX.

Romae, anno 1286 V. Kal. Aprilis (d. 28 m. Martii).

Honorii Papae Bulla, qua Episcopis Posnaniensi atque Cujaviensi mandat, ut anathema in Henricum Ducem Silesiae et Wratislaviae promulgent.

Stenzel Urkunden des Bisthums Breslau p. 202 N^ro^ 202. — Raynald annales ecclesiastici N^ro^ 30.

CXXX.

Lanciciae, anno 1286 die 18 mensis Maji.

Wladislaus Dux Cujaviae et Lanciciae promittit se mercatores Thorunenses et Culmenses in Russiam proficiscentes tutaturum esse.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. II. p. 16 Nro 12.

CXXXI.

Lendae, anno 1286 die 25 mensis Maji.

Premislaus Dux Poloniae significat, litem inter Wislaum Episcopum Wladislaviensem et quemdam Sventoslaum, de villa *Piotrowice* coram se ortam, ita decisam fuisse, ut ejusdem villae proprietas Episcopo sit adjudicata (¹).

In nomine domini, amen. Nos Premisl dej gracia Dux Polonie, notificamus cunctis Christi fidelibus: quod cum Svantoslaus filius Suconis venerabilem patrem dominum Vyslaum, dej gracia Ecclesie Wladislaviensis Episcopum, pro villa *Potrchovici* prope *Sobottam* sita (²), ad nostram citasset presenciam: tandem partibus in nostra presencia constitutis, et hinc inde coram nobis multis allegacionibus ab utraque parte propositis, iudicio nostrorum baronum nobis assidencium est diffinitum, Comite Nicholao Palatino sentenciam proferente, ita videlicet: quod dicto domino Episcopo dictam villam adiudicavit, parti adverse silencium perpetuum inponendo. Actum et datum in *Lando,* in domo monachorum, anno domini M° CC° L° XXX° sexto, VIII° Kalendas Junij, presentibus: domino Jacobo Archiepiscopo Gneznensi, Thoma Plocensi, Conrado Lubucensi, Johanne Pozna-

(¹) Ex archetypo membranaceo doctissimi Stronczyńscii proprio. Taeniola pergamena appensum sigillum majus in scuto triangulari habet effictum leonem exsurgentem ad dextram scuti partem conversum. Verba in ambitu inscripta: „*s. premizlonis dei gra. ducis polonie.*"

(²) *Sobota* oppidum provinciae Masoviae, territorii Rawensis, regionis Brzezinensis, haud procul ab urbe Lovicia situm. Juxta est villa *Piotrowice.*

niensi Episcopis, Nicholao Palatino, Andrea Cancellario curie nostre, Cechoslao pincerna, Petrcone Judice, et alijs quam pluribus fide dignis.

CXXXII.

Wladislaviae, anno 1286 die 23 mensis Junii.

Ziemomyslius Dux Cujaviae, villis ad coenobium Byszeviense Cisterciensis ordinis pertinentibus, privilegium juris Teutonici, praecipue autem ipsi *Byszeviae* jus municipale, quo Novoforensis in Silesia civitas utebatur, confert, omniaque haec bona, tum ab oneribus publicis pluribus immunia esse, tum nonnullis beneficiis libertatibusque gaudere jubet.

Tom. I. hujus Codicis p. 117 Nro LXVI.

CXXXIII.

In ecclesia Slessinensi, anno 1286 Nonis Decembris (die 5 mensis Decembris).

Wislaus Cujaviensis et Joannes Posnaniensis Episcopi Papam certiorem faciunt, se Henricum Ducem Silesiae excommunicasse.

Stenzel Urkunden des Bisth. Breslau p. 210 Nro 207.

CXXXIV.

Gnesnae, anno 1289 die 23 mensis Aprilis.

Jacobus Archiepiscopus Gnesnensis ecclesiae in villa *Czarnocin* Wislai Episcopi Cujaviensis propria fundatae decimas ejusdem villae *Czarnocin* et alterius *Lichawa* dictae largitur (¹).

In nomine domini, amen. Nouerint uniuersi: quod nos Jacobus, miseracione diuina sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, cupientes cultum

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Ex duobus sigillis, taeniolis pergamenis appensis, superest unum a dextra tabulae parte penitus deletum; alterum desideratur.

diuini numinis augmentare; ecclesie, quam in villa venerabilis fratris nostri, domini Wisselay (sic) Cuyauiensis episcopi, que *Carnocino* ([2]) vulgariter nuncupatur, fundauimus; eiusdem ville *Carnocino*, et alterius que *Lychaua* dicitur, prout predictis nominibus et terminis ab alijs sunt distincte, decimas tam cultarum terrarum, quam noualium, presencium et eciam futurorum (sic), capituli nostri legitimo accedente consensu, de voluntate domini Joseph Lanchiciensis scolastici, ad quam scolasteriam olim dicte decime pertinebant, tenore presencium in perpetuum ascribimus et donamus: dummodo redditus (sic) predicte capelle ultra valorem triginta marcarum argenti se non extendant. Datum aput *Gnezdnam*, anno domini M° CC° LXXX nono, in festo beati Adalberti. Presentibus dominis: Wlostiborio preposito, Gosselao decano, Gabryele cantore, Philippo Archidiacono, Philippo scolastico et Allexandro custode, et aliis canonicis eiusdem ecclesie.

([2]) *Czarnocin* villa in territorio et regione Petricoviensi sita.

CXXXV.

Siradiae, anno 1290.

Wladislaus Dux Cujaviae et Syradiae significat se ab Episcopo Wladislaviensi quatuor marcas mutuas accepisse ad exstruendum novum castellum in oppido Syradia ([1]).

In nomine domini, amen. Cum humana fragilitas non sufficit memoriter retinere, sapientum decrevit auctoritas, acta queque digna servarj memoria, ut per successionem futuri temporis lucidius pateant manifesta. Hinc est, quod nos Wlocislaus (sic) dej gracia Dux Cuiaviensis et Siraziensis, per presens scriptum ad presencium noticiam deferrj volumus et memoriam futurorum: quod nos a venerabilj patre nostro, domino Episcopo Wladislaviensis Ecclesie, quatuor marcas de Castellania Woyboriensi petivimus ad perficiendum Castellum novum in *Siracz*, pro munimine et subsidio terre

([1]) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Taeniola pergamena appensum est parvum sigilli fragmentum.

nostre, que (sic) nunquam injure (sic) abuimus ([2]), nec abere ([2]) volumus (sic). In cuius rej testimonium et evidenciam pleniorem, presens scriptum nostri sigillj munimine duximus roborandum. Actum in *Siracz*, anno dominj M° CC° LXXXX.

([2]) Pro: *habuimus* — *habere*.

CXXXVI.

Gnesnae, anno 1290 die 26 mensis Augusti.

Decimae villarum *Lubissewo*, *Ruckoczin*, *Czarnocin*, *Rownino*, *Camorouo*, **Episcopo Wladislaviensi adjudicantur** ([1]).

In nomine domini, amen. Nos Thomas abbas *mogiliensis* ([2]), Gabriel canthor (sic), Fredericus canonicus Gneznenses, iudices subdelegati a venerabili in Christo patre Jo.(anne) episcopo, et a discretis viris, W. preposito, et H. archidiacono poznaniensibus, iudicibus a sede apostolica delegatis, citatis partibus et comparentibus coram nobis in Gnezna anno domini M° C° C° LXXXX, proximo sabatho post diem beati Bartholomei apostoli, Magistro Ste.(phano) procuratore venerabilis in Christo patris domini W. Wladislauiensis episcopi ex una, et Johanne commendatore de *Lubesew* personaliter comparente ex parte altera, peticione per magistrum stc.(phanum) proposita, et responsione ad eam subsecuta dicti commendatoris, et sic lite legitime contestata, prestito ab utraque parte iuramento, posicionibus et responsionibus factis, inuenimus intencionem dicti Magistri Ste.(phani), ex confessionibus et responsionibus predicti Jo.(hannis) commendatoris, sufficienter esse probatam, et ([3]) predicto venerabili in Christo patri Wladislauiensi episcopo: consideratis singulis circumstanciis, que nos mouere poterant, communicato consilio sapientum: possessionem et restitutionem decimarum siue

([1]) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Tria sigilla appensa erant huic tabulae, uti taeniolae pergamenae demonstrant.
([2]) *Mogilno* oppidum territorii Bydgostiensis.
([3]) Vox *et* tenui lineola est deleta.

prouentuum in villis *Lubesewo, Rykosyn, Czarnocyn, Rownino, Camorouo* (4), in hiis scriptis sentencialiter adiudicamus, questionem proprietatis dicto Jo.(hanni) commendatori et fratribus dicte domus de *Lubesow* reseruantes. Condempnamus eciam sepe dictum Jo.(hannem) commendatorem ad expensas competentes in lite factas predicto W. in Christo patri, siue suo procuratori S.(tephano), et ad fructus perceptos, et qui medio tempore percipi potuerunt. Lata autem est hec sentencia pre foribus ecclesie Gneznensis, anno et die ut supra, presentibus reuerendis viris: G. decano, Al. custode Gneznensibus, d. decano Wladislauiensi, et aliis multis fide dignis.

(4) *Lubissewo* villa in decanatu Starogrodiensi: *Rykosyn* est procul dubio villa *Ruckoczin* in territorio Gedanensi, regione Starogrodiensi sita. *Czarnocin* in territorio Gedanensi. *Rownino* sine dubio *Rownica* in territorio Kwidzynensi. *Komorowo* est villa *Komorsko* in decanatu Novensi.

CXXXVII.

Gnesnae, 1290 die 26 mensis Augusti.

Decimarum, quae ex villis *Lubissewo, Ruckoczin, Czarnocin, Rownino, Camorouo* praecedenti privilegio Episcopo Wladislaviensi adjudicatae sunt corporalis possessio decernitur (1).

Thomas Abbas Mogiliensis, Gabriel Canthor (sic), Fredricus Canonicus Gnezńenses, iudices subdelegati a venerabile (sic) in Christo patre Jo.(anne) Episcopo, et a discretis viris W. preposito, H. archidiacono Poznaniensibus iudicibus a sede apostolica delegatis, dilecto in Christo fratri P. Archidiacono Pomoranie, ac religioso viro preposito de *Sucovis* (2) ordinis premonstratensis salutem et fraternam in domino karitatem. Quia iuxta commissionem sedis apostolice inter venerabilem in Christo patrem

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Huic tabulae tria erant sigilla taeniolis pergamenis appensa: quae nunc desiderantur Argumentum hujus diplomatis sat aperte probat ipsum esse continuationem proxime praecedentis: illud continet decretum, hoc autem executionem. Locus, dies et mensis, quibus haec tabula data est, sunt iidem, qui in praecedenti; qua de causa, etsi annus in fine hujus tabulae, fortasse librarii incuria, est omissus facile conjicere licet, eodem anno utramque tabulam scriptam fuisse.

(2) Fortasse *Zukowo* villa territorii Kwidzynensis, regionis Chojnicensis (Conitz).

W. Wladislaviensem Episcopum et discretum virum Jo. Commendatorem de *Lubesewo* ordinis Jherosolimitani, discussis cause meritis et auditis hinc inde peticionibus et responsionibus, sentenciando adiudicavimus predicto in Christo patri Wladislaviensi Episcopo possessionem sive restitucionem decimarum in villis, que vulgaliter (sic) sic nuncupantur: *Lubessowo, Rycos(in), Czarnocyn, Rovnino, Camorovo;* quare vobis auctoritate, qua fungimur in hac parte mandamus, quatenus predictum W. venerabilem in Christo patrem Wladislaviensem Episcopum, sive suum nuncium, in corporalem possessionem decimarum villarum predictarum, personaliter accedentes inducatis: contradictores per censuram ecclesiasticam, si opus fuerit, auctoritate nostra, imo pocius sedis apostolice compescentes; non obstante, si fuerint religiosi vel seculares vel cuiuscumque status vel condicionis existant. Et si hiis exequendis ambo non poteritis commode interesse, unus vestrum ea nichilominus exequatur. Datum in *Gnezna* post diem beati Bartholomei apostoli proximo Sabbato.

CXXXVIII.

Gnesnae, anno 1290 die 14 mensis Octobris.

Jacobus Archiepiscopus Gnesnensis, nec non Episcopi Thomas Masoviensis, Wislaus Cujaviensis, et Joannes Posnaniensis, in Synodo Gnesnensi congregati, privilegium a Henrico IV. Silesiae Duce episcopatui Wratislaviensi concessum, ratum esse jubent.

Stenzel Urkun. des Bisth. Breslau p. 259 Nro 254.

CXXXIX.

Wladislai Loctici Ducis Cujaviae et Siradiae decretum, quo coenobio Sulejoviensi villam *Lacynow*, de qua lis inter abbatem coenobii praedicti et filios nobilis cujusdam Mstiborii agebatur, adjudicat.

Vide T. I. hujus Codicis p. 136 Nro LXXV.

CXL.

Dobrini, anno 1291 die 1 mensis Septembris.

Ziemowitus Dux Dobrinensis villae *Glebouo* seu potius *Gleuo* ecclesiae Wladislaviensis propriae aliquam libertatem duodecem annos duraturam largitur (1).

Quemadmodum omnis homo, qui ad catholice fidei peruenit agnicionem, minime dubitat, se de paradisi expulsum patria pro reatu primi parentis: sic quilibet debet ad eiusdem amenitatis gloriam totis viribus hanelare (sic) (2); et quia sacrosancta mater ecclesia nostre salutis est mediatrix et magistra, oportet quemlibet ad ipsius suffragia, tamquam lactantem ad ubera, omnimode conuolare. Omnis quippe, qui triumphantis ecclesie palmam cupit accipere; militantis arma debet intrepidus attrectare. Igitur notum sit omnibus nostre terre castellanis, judicibus, subiudicibus, constitutis, substitutis, prefectis, exactoribus, ac aliis, ad quos presens scriptum peruenerit: quod nos Semouitus dei gracia dux Dobrinensis, cupientes sancte matris ecclesie gremio confoueri, et annuentes peticioni reuerendissimi patris nostri, domini Wisslaui Wladislauiensis episcopi, contulimus libertatem ville contigue *Glebouo* (3), ubi Coska commoratur, infra duodecim annos, ut nullus predictorum beneficorum et eorum constitutorum, eandem libertatem ausu temerario presumat aliqualiter irritare, per nos volentes, deo suffragante et vita comite, seu per nostros successores, firmiter obseruari. Si quis autem predictam libertatem infringere conabitur, nostram incurrat indignacionem, et ecclesia suo rigore, sicuti condecet, ulciscatur. Peractis autem prefatis annis duo-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigillum appensum funiculo serico coloris rubri et albi exhibet imaginem Christi cruci affixi, a cujus dextra parte est effictus homo manus ad eam extensas habens, ab altera, videlicet laeva, parte conspicitur imago hominis sic dictum turibulum tenentis. Ex verbis inscriptis haec tantum legi possunt: *„s. semoviti . . . brinen. . ."*

(2) Pro *anhelare.*

(3) In voce *Glebouo*, literae *bo* lineola tenui deletae nos conjicere jubent, librarium in exscribenda hac voce lapsum fuisse; nulla enim est villa *Glebowo* sed potius *Glewo* territorii et regionis Lipnensis, parochiae Dobrinensis.

decim, eadem villa gaudeat illa libertate, qua gaudent cetere ville ecclesie memorate. Datum in Dobrin in die beati Egidij abbatis et confessoris, per manus Nicolay canonici plocensis, et procuratoris dobrinensis. Actum vero anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

CXLI.

Juniwladislaviae, anno 1292 V. Kal. Maji (die 27 mensis Aprilis).

Foedus inter Salomeam Ducissam Cujaviae una cum filiis ipsius Lescone, Premislao, et Casimiro, et Ordinem Teutonicum ictum.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. II. p. 28 Nro 25.

CXLII.

Brestiae, anno 1292 die 4 mensis Maji.

Wladislaus Dux Cujaviae, Syradiae et Sandomiriae Comiti Mathiae Judici Cujaviensi villas *Kokoszyce* et *Więckowice*, jure haereditario donat (1).

In nomine domini, amen ⁘ Cuncta gesta hominum firmissime perseuerant, que testimonio litterarum perhenne recipiunt firmamentum. Inter henim (2) humane nature commoda, nichil memoria dignius reperitur, et quod breues dies hominis sunt, ideo necesse est, ut facta cum discrecione perhacta (sic), stabilitatem habeant perpetue firmitatis. Hinc est, quod nos Wladislaus dei gracia Dux Cuyauiensis, Syraziensis et Sandomiriensis, ad noticiam uniuersorum tam presencium, quam futurorum, cupimus peruenire,

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum majoris formae appensum est funiculo serico coloris rubri, quo vulgo Duces Cujaviae utebantur, exhibet dimidium leonem et dimidiam aquilam dorso secum conjuncta, jam saepius descriptum.

(2) Pro *enim*.

quorum audiencie presens scriptum deferetur: Quod, inspectis meritis, nec non fidelibus et diuersis seruiciis, pleniusque intellectis, que fidelis et dilectus nobis Comes Mathias, Judex Cuyauiensis, multiformiter exibuit, et adhuc intendit et nititur exibere: cupientes, de nostra munificencia speciali, merita reddere pro meritis, et obsequia fidelia beneficiis preuenire, damus et conferimus dicto Comiti Mathie duas hereditates, que *Kocosicy* et *Viczkouici* (3) wlgariter nuncupantur, cum omnibus utilitatibus et prouentibus ad easdem spectantibus, secundum quod in metis et terminis circumferencialiter villa quelibet est distincta, sibi suisque veris heredibus et legitimis successoribus, jure hereditario, sicut ceteri milites in terra nostra Cuyauiensi constituti, sua bona possident et tenent, in perpetuum possidendas. Et quod sua nobis semper seruicia fideliter studeat exibere. In cuius rei testimonium et euidenciam pleniorem, presentes litteras conscribi iussimus, nostri sigilli munimine roboratas. Actum Brescze, anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo. Presentibus infrascriptis testibus ad hoc rogatis: domina ducissa Cuyauiensi matre nostra karissima, et fratre nostro Duce Kazimiro, domino Johanne Cancellario Lanciciensi, domino Andrea procuratore Cuyauiensi, comite Jacobo subiudice Cuyauiensi, Dominico scriptore Curie nostre. Datum in vigilia ascensionis domini.

(3) *Kokoszyce* villa sita olim in capitaneatu Kruszwiciensi, Palatinatu Brestensi Cujaviensi *Viczkouici*, procul dubio *Więckowice*, nunc in regione Mogilnensi, territorio Bydgostiensi, M. D Posnaniensi sita.

CXLIII.

Brestiae, anno 1292 die 20 mensis Maji.

Wladislaus Locticus Dux Sandomiriae, Cujaviae et Syradiae; villas *Gutlin* et *Pikulkowo* civitati *Brestensi* donat (1).

Tom. I. h. Cod. p. 143 Nro LXXIX.

CXLIV.

Lanciciae, anno 1292 die 24 mensis Junii.

Casimirus Dux Lanciciae (Wladislai Loctici frater), villis nonnullis monasterii Sulejoviensis, privilegium juris Teutonici (quod dicebatur) Noviforensis, et quo Lancicia regebatur, confert.

Tom. I. hujus Codicis p. 144 Nro LXXX.

CXLV.

Lanciciae, anno 1292 die 30 mensis Novembris.

Casimirus Dux Lanciciae, incolas villarum ***Gorae, Pustkoviae*** **et** ***Kempae*** **coenobii Cisterciensium Sulejoviensis propriarum, ab omnibus publicis tributis et angariis per sedecim annos immunes esse jubet.**

Tomus I. hujus Codicis p. 147 Nro LXXXII.

CXLVI.

Calissiae, anno 1293 infra octavam Epiphaniae.

Premislaus II. Poloniae, Wladislaus Syradiae, Casimirus Lanciciae duces Jacobo Archiepiscopo Gnesnensi, donant quotannis trecentas marcas argenti in Zuppa majori.

Raczyński Cod. dipl. Major. Poloniae p. 84 Nro LXXVI.

CXLVII.

In villa Papowe, anno 1293 die 18 mensis Aprilis.

Wislaus Episcopus Cujaviensis Ordini Teutonico pro villa ***Gribna*** **dicta, omnes suas villas in terra Golubensi sitas donat.**

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. II. p. 30 Nro 26, 27 et 28.

CXLVIII.

Gedani, anno 1293 die 13 mensis Julii.

Mestwinus Dux Pomeraniae Wislao Episcopo Wladislaviensi dat facultatem in rivulo villas *Tesev* et *Gesov* praeterfluenti molendinum construendi (1).

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, amen. Ad uniuersorum noticiam volumus peruenire: quod nos Mstiwgius (sic) dei gracia dux Pomeor (sic), ob reuerenciam gloriose virginis Marie, et spem retribucionis eterne, venerabili in Christo patri domino Wyslao ecclesie Wladislauiensis episcopo, suisque successoribus, in riuulo decurrente inter *Tesev* villam nostram, et *Gesov* (2) villam predicti domini episcopi, ius et proprietatem in littore nostro aquam claudendi, et in eadem molendinum edificandi contulimus, et in perpetuum possidendum: nichil nobis nostrisque successoribus, iudicibus seu suparijs nostri dominij in predicto molendino per omnia reseruantes; sed cum omni dominio ac utilitate, que nunc apparet, vel apparere poterit in futuro, in proprietatem predicti domini episcopi Wladislauiensis et suorum successorum transferimus pleno iure. In cuius rei testimonium, presentes nostri sigilli munimine fecimus roborari. Datum aput Gdansc in die sancte Margarete, anno domini M° CC° nonagesimo tercio. Presentibus: Andrea castellano, Wneslao subcamerario, Potira subdapifero gdanensibus, Predslao subpincerna Swetensi, Lamberto rectore ecclesie de pucsk, Johanne tezaurario domini episcopi, et alijs quam pluribus fide dignis.

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigillum appensum taeniola pergamena penitus destructum.

(2) Procul dubio agitur hic de duabus villis sibi adjacentibus prope Swieciam sitis, nimirum *Jeszewo* et *Teschau* territorii Kwidzynensis, regionis vero Swiecensis.

CXLIX.

Brestiae, 1294.

Wladislaus Dux Cujaviae et Syradiae ptochotrophio et nosocomio extra urbem Brestiam condendo quatuor mansos largitur (1).

1494. Nos Consules Ciuitatis Wratislauiae (sic), universis et singulis, quibus nosse fuerit opportunum, tenore praesencium recognoscimus: nos vidisse, manibusque nostris habuisse et tractasse quandam Ducalem literam apertam, in pargameno conscriptam, sigillo appenso Illustris et Altigeniti quondam Principis, domini Wladislai Cuiauiae et Siradiae Ducis etc. piae memoriae sigillatam, saluam, sanam et integram, omnique prorsus vicio et suspitione carentem, de verbo ad verbum hujus, qui sequitur, tenoris:

1294. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis, amen. Quoniam facta mortalium obliuionem inducant (sic), vel morte intercepta, sunt [? sicut] experiencia docuit, solent adnullari: si non fuerint legitimo virorum ac (sic) proborum testimonio roborata; eapropter nos Wladislaus Dei gratia Dux Cuiauiae et Siradiae, universorum praesencium et futurorum memoriae declaramus: Quod cum vir discretus ac honestus dominus Jacobus Procurator hospitalis de sancto spiritu, ad nostram accedens praesenciam, piis operibus charitatis inductus, humiliter nos rogauit, ut ipsum in Brzesczie ante Ciuitatem in fine pontis, in strata publica, hospitale in nomine sancti Spiritus construere et edificare admitteremus, et [? ut] inde egenorum pariter et aegrorum necessitatibus se exponens, in singulis prouideretur, ut pro terrenis, transitu et labore, quietem reciperet et perpetuam mansionem: Nos vero respicientes tantam deuotionem in domino, et religionis intentionem, memorati domini Jacobi petitionem gratanter admittentes, ad idem hospitale quatuor mansos in remedium animae nostrae in perpetuum addidimus, ac aliis omnibus necessitatibus ipsorum juxta possibilitatem nostram subuenire: promittentes ipsos a fratrum Praedicatorum strepitibus, ac aliis omnibus

(1) E libris manu scriptis Warsaviensis tabularii publici Regni Poloniae, et quidem e libro Metricae Regni Nro LXXX. p. 361 descriptum.

inuasoribus dictae domus, viriliter defensare. Ut vero nostra donatio saepedicto Jacobo, ejusque successoribus firma et inuiolabilis ex parte nostri, nostrorumque successorum perseueret, nos sibi literam nostram contulimus, sigilli nostri munimine roboratam. Actum in Brzesczie, et datum in Cathedra beati Petri, anno incarnationis domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto. Coram iis testibus: Comite Cristino Pałatino, Fulcone Cancellario, Alberto Gąsca, Matthia Judice, Andrea Procuratore, Clemente Venatore, ac aliis quam plurimis fide dignis.

In cujus rei testimonium, sigillum Ciuitatis nostrae praesentibus est appensum. Datum Sabbato ante Joannis Baptistae, anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto.

CL.

Wladislaviae, anno 1294 die 8 mensis Maji.

Lesco Dux Cujaviae litem de haereditate *Lipie*, inter Bertoldum Abbatem coenobii Byszeviensis Ordinis Cisterciensis et Comitem Naslaum filium Comitis Boguslai, ortam dirimit (¹).

In nomine domini, amen. Nos Lesko Dei gracia dux Cuyavie universis presentibus seu futuris has litteras visuris, salutem in omnium salvatore. Cum ea, que geruntur, a mortalium accionibus, corrupcioni seu oblivioni subjaceant, ipsa tamen eternari litteraliter, seu viva voce testium debent, ut edocet assercio peritorum: hinc est, quod venerabili patre, domino Bertoldo Abbati (sic) cenobii Bissoviensis (²), suisque fratribus, contra militem Nasslaum, filium Boguslay, coram nobis et nostro judicio lite protestata, stare debentibus, omni cum justicia citatoris [? citationis], ut assolet, prehabita, predictus Naslaus, peremptorio termino, utrisque partibus assignato, non astitit, re-

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae, privilegia sublatorum coenobiorum continente, asservatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Duo sigilla funiculis sericis viridis et flavi coloris appensa penitus destructa; nonnisi vestigium aliquod sigilli sic dicti majestatici, quo Dux Salomea uti solebat, superest.

(²) *Byszewo* villa cum coenobio Cisterciensis ordinis territorii Bydgostiensis.

sponsurus videlicet de parte hereditatis dicte wlgariter *Lype* (3), quam idem Nasslaus hactenus tenuit violenter. Ipsam eciam hereditatis partem, et reliquas partes dicte hereditatis, quas fratres ejusdem Nasslay, videlicet Sdisslaus, Nicolaus et Petrus possident, prefatus abbas et sui fratres ad sanctum Gothardum asserunt pertinere: ipsa enim dicta hereditas ad sanctum Gothardum pertinet ex antiquo. Predicta igitur hereditas, domino Abbate suisque fratribus coram nobis et fratre nostro Premislio, simulque matre nostra dilectissima stantibus, per nos nostrosque barones justo judicio adjudicata est domino Abbati, suisque fratribus, ita, ut ejus possessionem Abbas predictus teneat, Nasslaus autem cum ea diffinitiva data sic sentencia ammodo ab ea sit, adjectis condicionibus omnibus, absolutus; pretacto eciam Nasslao de termino peremptorio, a nobis utrique parti assignato, reluctante, nostro testimonio per Dominum Abbatem nostre memorie revocato, dictus Nasslaus convictus est: eum terminum peremptorium habuisse; de cujus veritatis inquisicione die dicto ad nos facte, Comes et Palatinus noster Bronisius extitit mediator. Barones vero nostri, nostro audito testimonio, coram nobis, matre nostra et fratre, secundo adjudicarunt eam partem in toto Domino Abbati, quam Nasslaus dictus noscitur possedisse. Ne igitur hujusmodi nostrum judicium quispiam temere [? temnere] possit, aut attemptare presumat, presentes litteras, in robur firmissimum, nostri sigilli, et sigillo matris nostre dilectissime munimine volumus roborari. Acta sunt hec in Lesslavia publice, coram nobis nostrisque Baronibus: Bronisio nostro Palatino, Bartosio Castellano Bidgostensi, Miroslao Castellano Cruswiciensi, domino Suffrido Subcancellario nostre curie, et aliis quam pluribus fide dignis. In die Sancti Stanislay in domo Capituli fratrum minorum, anno domini M° CC° XC° IIII°.

(3) Sine dubio villa *Lipie* territorii Bydgostiensis, regionis vero Juniwladislaviensis.

CLI.

Svieciae, anno 1294 die 27 mensis Septembris.

Mestwinus Dux Pomeraniae Sulislao dicto Cesarevyz dat facultatem vendendi villam *Lubenz* (Lubcz) Theodrico Canonico Crusviciensi, Episcopi Wladislaviensis procuratori (¹).

In nomine dominj, amen. Quia frequenter humanis sensibus iniuriatur oblivio, ac longinquitate sepe fit temporis, quod res clara presentibus, redditur obscura futuris, et sic interdum decisa repullulant, suscitantur sopita, et sepulta resurgunt: ideo, adversus oblivionis dispendium, cautela providit prudentum, vt ea, que aguntur, scripturarum testimonio roborentur. Inde est, quod nos Mystiwgius dei gracia Dux Pomoranie, notum esse wolumus (sic) tam presentibus, quam futuris presentes litteras inspecturis: quod Sulislaus dictus Cesarevyz, domino Theodrico canonico Crusviciensi, procuratori Pomoranie venerabilis patris domini Voyslai Wladislaviensis Episcopi, villam suam, que wlgariter *Lubenz* (²) nuncupatur, vendidit pro certa pecunie quantitate, jure hereditario perpetuo possidendam, cum agris cultis et incultis, silvis, agris, quercetis, pratis, et iure piscandi, seu clausuram faciendi in fluvio, qui Gemelnicza wlgariter appellatur, ac cum omnibus utilitatibus, que sunt, ac esse poterunt in futurum: prout est villa predicta granicijs, incisionibus arborum, ac colliculis plenarie limitata. Et quia villam prefatam prenominatus Sulislaus a nobis tenuit ac possedit, pecijt instanter, ut vendicioni facte per eum nostrum consensum tribuere, ac dictam ratificare vendicionem deberemus. Nos vero tam ipsius, quam domini Theodrici prefati precibus inclinati, vendicionem eandem ratam habuimus et habemus, consensum nostrum prebentes, baronum nostrorum ad hoc consilio accedente: eximentes et liberam reddentes villam predictam ab omnibus exactionibus, prestacionibus, angarijs, preangarijs, ac servicijs quibuslibet, et ab omni Juridicione beneficorum nostrorum et nostra, ita, ut coram nobis et eis,

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigilli abrupti superest tantum taeniola pergamena.

(²) Sine dubio villa *Lubcz* regionis Mogilnensis, territorii Bydgostiensis.

villanj ville predicte, nec citati comparere, nec respondere aliqualiter teneantur; omnem insuper libertatem tribuentes, quam venerabilis pater dominus Wladislaviensis Episcopus in suis villis, in dominio Pomoranie, noscitur optinere. Damus eciam Theodrico prefato liberam potestatem eandem villam vendendi, alienandi, permutandi, donandi, locandi quocunque jure voluerit, et alias de ipsa, prout vero domino competit, disponendi, et tam in secularem personam, quam in ecclesiasticam, aut dominum Episcopum Wladislaviensem, vel suam Ecclesiam transferendi: nostro nostrorumque successorum assensu super hoc minime requisito: dummodo talis fuerit, per quam dampnum terrigenarum ac terre, seu tocius rei publice nullatenus procurretur (sic). Ne autem super hoc aliquod dubium oriatur, presens scriptum nostri sigillli munimine fecimus communiri. Actum et datum in Svece, in die Cosme et Damiani martyrum, anno domini M° CC° nonagesimo quarto, presentibus: Paulo Palatino, Stanislao Castellano, Dalesyo Subdapifero, Precyslao Subpincerna Svecensibus, Theodrico, Wolrado, Audaciano, Alberto, Capellanis curie nostre, et alijs quam pluribus fide dignis.

CLII.

Toruniae, anno 1295.

Comes Preclaus Castellanus Brestensis, accedente assensu filiorum ipsius, villam *Zielin* Wislao Episcopo Wladislaviensi vendit (1).

In nomine domini, amen. Nouerint uniuersi tam presentes, quam futuri: quod ego Comes Prezslaus Castellanus Brescensis, de voluntate et consensu meorum filiorum, Albrici et Rozdalij, venerabili in Christo patri Wyslao, dei gracia Wladislauiensi episcopo, et sue ecclesie, villam, que *Selino* (2) wlgariter nuncupatur, pro centum marcis argenti thoronensis monete vendidi, iure hereditario in perpetuum possidendam: quam vendi-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigilli abrupti nonnisi funiculus sericus coloris rubri superest.
(2) Villa *Zielin* in territorio Bydgostiensi et regione Mogilnensi sita.

cionem, per filium meum Ubislaum, qui captiwus (sic) in Lywonia detinetur, cum de eadem pecunia fuerit redemptus, promitto confirmare. Has vero centum marcas, a Swentoslao thezaurario domini episcopi, coram probis viris in thorun recognosco me recepisse. In cuius rei testimonium, presentem litteram sigilli mei munimine feci roborari. Actum et datum apud *Thorun*, anno domini M° C° C° nonagesimo quinto. Hijs presentibus: domino Heynmanno et fratre suo Nicolao, Johanne dicto Rubiz, Heynmanno filio Budonis, ciuibus de Thorun, Johanne ibidem, Cerstano et Cuncone ciuibus de Bresce, et Tebouico Cappellano de *Osencin* ([3]).

([3]) Nunc *Osięciny* oppidum provinciae Masoviensis, territorii Cujaviensis, regionis Brestensis.

CLIII.

Brzeznicìae, anno 1295.

Wladislaus Dux Cujaviae et Syradiae attestatur, Michaëlem rectorem ecclesiae *Pajęcznensis* nemora *Siedlice* ejusdem ecclesiae propria cuidam Jarchoni jure Teutonico colonis frequentanda contulisse ([1]).

In nomine domini, amen. Ne gesta hominum absorbeat obliuio, dignum est ea per scripti continenciam futurorum memorie commendare: Nos igitur Wlodislaus, dei gracia dux Cuyauie et Syrazie, notum facimus vniuersis presentibus et futuris: Quod honorabilis vir dominus Michaël Cancellarius noster, Rector Ecclesie de *Pagenchno* ([2]), salutifera intencione inuigilans Ecclesie sue profectui, commodo et honori, nostro ad hoc grato consensu, prout de jure debuit, requisito: cum eiusdem Ecclesie a fundacione nostrorum progenitorum simus dominus et patronus: nemora et *dambrouas*

([1]) Ex archetypo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae N^ro^ 612^a^. Ex duobus sigillis, quae ambo appensa erant funiculis sericis rubri coloris, unum tantum restat majoris formae, repraesentans dimidiam aquilam dorso leoni conjunctam, scilicet insigne Terrae Syradiensis. Ex litteris in ambitu nonnisi voces „*ducis cuyavie*" legi possunt.

([2]) *Pajęczno* hodie oppidum provinciae Calissiensis, territorii Petricoviensis, regionis Radomscensis.

Sedlche (3) wlgariter nuncupatas, ad Ecclesiam de *Pagenchno* pertinentes, que ad mensuram XXXª mansorum se extendunt, et quicquid ibidem de terra amplius apta ad colendum poterit reperiri, viro discreto Jarchoni contulit ad locandum sub iure theutonicali, quod ius Nouifori appellatur. In qua locacione tradidit eidem Jarchoni, suisque posteris, et quibuslibet ab ipso legitimis successoribus, villicacionem iure hereditario in perpetuum possidendam. Qui, iure et proprietate villicacionis, habebit sextum mansum liberum de tota locacione, de iudicio tercium denarium, molendinum, tabernam, unum macellum carnificum et bancum pistorum. Que omnia erunt libera a qualibet solucione. Mellificium quoque inter giracionem sibi assignatam, postquam libertas ville expirauerit, eciam villicus obtinebit. Omnes autem, qui per Jarchonem prenominatum ad *Dambrouas* et nemora incolenda conuocati fuerint, a solucione census infra XIIIIor annos, a decima vero infra X. annos, habebunt libertatem. Quibus euolutis, de quolibet manso fertonem argenti monete in terra currentis, et mensuratim pro decima duas mensuras tritici, IIIIor mensuras seliginis (sic), VI. mensuras avene, singulis annis domino suo, Rectori Ecclesie de *Pagenchno,* soluere tenebuntur. Si autem homicidium, uel alterius cuiuscumque rei causam, intra limitacionem prehabito villico assignatam, contigerit euenire; non alibi, quam ad villam suam, iudicium cause est trahendum. Preterea si villicus aut villani citati fuerint extra iudicium villicacionis sepius memorate, ad presenciam domini sui, non ibunt ad iudicandum extra terminos terre Syraziensis In omnibus autem aliis solucionibus, uel obsequiis ordinarie exhibendis, secundum locacionem villarum, que iure Nouiforensi reguntur, villicus et villani sua iura teneant, et nulli aliquatenus subesse debebunt, gaudentes priuilegio Ecclesiastice libertatis, quam suo domino, plebano videlicet de *Pagenchno.* Ut hec omnia robur teneant perpetue firmitatis, et in posterum nullatenus ab aliquo valeant impugnari, presentem paginam nostro, predictique domini Michaëlis nostri Cancellarii, sigillis dignum duximus roborandam. Acta sunt hec in *Bresnichia* (4), anno domini M° CC° LXXXX° V°. Presen-

(3) Nunc *Siedlice* villa publica provinciae Calissiensis, territorii Petricoviensis, regionis Radomscensis, parochiae Pajęcznensi addicta.

(4) *Brzeznica*, oppidum provinciae Calissiensis, territorii Petricoviensis, regionis Radomscensis.

tibus hiis, quorum ista sunt nomina: Comes Johannes Castellanus Spicimiriensis, Comes Mistissius Judex, Comes Miroslaus Venator, Comes Chebda Dapifer, Syrazienses, Comes Jarogneus, Dominus Jasco Subcancellarius Syraziensis, per cuius manum hoc priuilegium est porrectum.

CLIV.

Brzezniciae, anno 1295.

Wladislaus Dux Cujaviae et Syradiae attestatur, Michaëlem rectorem ecclesiae *Pajęcznensis* **nemora** *Wistka* **ejusdem ecclesiae propria cuidam Simoni jure Teutonico colonis frequentanda contulisse** (¹).

In nomine domini, amen. Ne gesta hominum absorbeat obliuio, dignum est ea per scripti continenciam futurorum memorie commendare: Nos igitur Wlodislaus, dei gracia dux Cuyauie et Syrazie, notum facimus vniuersis presentibus et futuris: Quod honorabilis vir dominus Michaël Cancellarius noster, Rector Ecclesie de Pagenchno, salutifera intencione inuigilans Ecclesie sue profectui, commodo et honori, nostro ad hoc grato consensu, prout de jure debuit, requisito: cum eiusdem Ecclesie a fundacione nostrorum progenitorum simus dominus et patronus: nemora et *dambrouas Wisnka* (²) wlgariter nuncupatas, ad Ecclesiam de *Pagenchno* pertinentes, que ad mensuram XXXᵃ mansorum se extendunt, et quicquid ibidem de terra amplius apta ad colendum poterit reperiri, viro discreto Simoni contulit ad locandum sub iure theutonicali, quod ius Nouifori appellatur. In qua locacione tradidit eidem Simoni, suisque posteris, et quibuslibet ab ipso legitimis successoribus, villicacionem iure hereditario in perpetuum possidendam. Qui, iure et proprietate villicacionis, habebit sextum mansum

(¹) Ex archetypo membranaceo Leonis Comitis Rzyszczewski proprio. Sigillorum abruptorum supersunt funiculi serici rubri coloris. Tabula haec proxime praecedenti per omnia simillima.

(²) Hodie *Wistka* villa publica provinciae Calissiensis, territorii Petricoviensis, regionis Radomscensis, parochiae Pajęcznensi addicta.

liberum de tota locacione, de iudicio tercium denarium, molendinum, tabernam, unum macellum carnificum et bancum pistorum. Que omnia erunt libera a qualibet solucione. Mellificium quoque inter giracionem sibi assignatam, postquam libertas ville expirauerit, eciam villicus obtinebit. Omnes autem, qui per Simonem prenominatum ad *Dambrouas* et nemora incolenda conuocati fuerint, a solucione census infra VIII. annos, a decima vero infra VI. annos, habebunt libertatem. Quibus euolutis, de quolibet manso fertonem argenti monete in terra currentis, et mensuratim pro decima duas mensuras tritici, IIIIor mensuras seliginis (sic), VI. mensuras avene, singulis annis domino suo, Rectori Ecclesie de *Pagenchno,* soluere tenebuntur. Si autem homicidium, uel alterius cuiuscumque rei causam, intra limitacionem prehabito villico assignatam, contigerit euenire; non alibi, quam in iudicio ville sue causa debet diiudicari. Preterea si villicus, aut villani citati fuerint extra iudicium villicacionis sepius memorate, ad presenciam domini sui, non ibunt ad iudicandum extra terminos terre Syraziensis. In omnibus autem aliis solucionibus, uel obsequiis ordinarie exhibendis, secundum locacionem villarum, que iure Nouiforensi reguntur, villicus et villani sua iura teneant, et nulli aliquatenus subesse debebunt, gaudentes priuilegio Ecclesiastice libertatis, quam suo domino, plebano videlicet de *Pagenchno.* Ut hec omnia robur teneant perpetue firmitatis, et in posterum nullatenus ab aliquo valeant impugnari, presentem paginam nostro, predictique domini Michaëlis nostri Cancellarii, sigillis dignum duximus roborandam. Acta sunt hec in *Bresnichia,* anno domini M° CC° LXXXX° V°. Presentibus hiis, quorum ista sunt nomina: Comes Johannes Castellanus Spicimiriensis, Comes Mistissius Judex, Comes Miroslaus Venator, Comes Chebda Dapifer, Syrazienses, Comes Jarogneus, Dominus Jasco Subcancellarius Syraziensis, per cuius manum hoc priuilegium est porrectum.

CLV.

Wladislaviae, anno 1295 die 1 mensis Maji.

Wislaus Episcopus Wladislaviensis ecclesiae in villa *Komorsko* a se constitutae particulam agri ejusdem villae, marcam argenti, nec non decimas villarum *Glowno, Ruleuo, Bzeuo, Banthcouo* et *Mileuo* donat (1).

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, amen. Que diuine pietatis affectu sanctis locis beneficia tribuuntur, firma debent stabilitate constitui, nullaque intencione inposterum reuocari. Proinde nos Wysslaus, miseracione diuina episcopus ecclesie Wladizlauiensis, cupientes cultum diuinj numinis augmentare, Ecclesie, quam in villa nostra *Comorsco* (2), in honore beati Bartholomei apostoli fundauimus, et demum, cooperante domino, consecrauimus, accedente tocius nostri Capituli consensu, sortem cum area in villa supradicta, Marcam argenti in Molendino, quam pro lumine iam dicte Ecclesie deputauimus, Decimas vero in villis *Glowno, Ruleuo, Bzeuo, Banthcouo* et *Meleue* (2), in perpetuum ascribimus et donamus. Ne autem super hijs, a nobis uel a nostris successoribus, dubium aliquod in futurum valeat exorirj, presentem paginam, nostro et Capituli nostri sigillorum munimine, fecimus communiri. Datum et actum in *sene Wladizlauia,* sub anno domini M° CC° XC° quinto, die beatorum Philippi et Jacobi apostolorum. Presentibus dominis: Vyto preposito, Dobegneo decano, Vencezlao

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Huic tabulae sunt duo sigilla taeniolis pergamenis appensa: horum alterum a dextra tabulae parte, formae minoris ex longo rotundum exhibet episcopum veste sacerdotali indutum, laeva manu lituum tenentem, dextram vero, ad impertiendam benedictionem, sublatam habentem. Ex inscriptione nonnisi verba: „*vladislavien. eccé*" supersunt. Alterum sigillum a laeva tabulae parte majus, itidem ex longo rotundum, per medium divisum ita, ut superior ejusdem pars repraesentet Matrem Dei Christum tenentem, inferior vero tres homines genibus nixos manus ad orandum connexas habentes.

(2) Intelligitur villa *Komorsko* decanatus Nowensis, regionis Swiecensis, cujus mentio facta est in nota 4 anni 1290 p. 117, ibidem sita est villa *Bzowo*. Haud procul a villa *Komorsko* est villa *Rohlau* fortasse *Ruleuo*, et *Milewo* forsitan *Meleue*, villas vero *Banthow* et *Glowna* frustra in hac regione quaesiuimus.

scolastico, Johanne cantore, Wladizlauiensibus; Johanne preposito, Albero decano, Theodrico scolastico, Stanizlao Archidyacono, Clemente cantore, Crusuiciensibus, et alijs quam pluribus fide dignis.

CLVI.

Syradiae, anno 1295 die 29 mensis Maji.

Wladislaus Dux Cujaviae et Lanciciae Abbati et conventui ordinis Cisterciensis Sulejoviensi, villam *Straszowa Wola* vulgariter vocatam jure Teutonico Noviforensi colonis frequentandam permittit (1).

In nomine Domini, Amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripture presidio, vel testium aminiculo fuerint insignita. Nos igitur Wladislaus, Dei gracia dux Cuyavie, Lancycie ac Syradie notum facimus tam presentibus, quam futuris, presentem paginam inspecturis: quod nos, ob remedium animarum progenitorum nostrorum, nostramque salutem, contulimus Abbati et conventui beate Marie de *Sulegew* (2), locare villam suam, *Strasow* (3) vulgariter dictam, Theutonico iure, iure scilicet novi fori. Eandem hereditatem et omnes habitatores eiusdem absolvimus perpetuo ab omnibus angarijs et preangarijs, vexacionibus, exactionibus, emersis vel de novo emergendis, vel in futurum emergentibus (sic), et ab omnibus solucionibus, servitutibus polonicalibus, et ab omni iugo tributarie servitutis, quocunque vocabulo censeantur; nec ad alicuius audienciam, cuiuscunque dignitatis existant, sive palatini, sive castellani, citabuntur, nisi ad nostram solummodo audienciam, et per litteram nostram sigillo nostro sigillatam comparebunt; aliter citati nunquam comparere tenebuntur. Si vero per defectum iusticie, coram suo abbate, vel Scoltheto ejusdem ville, aliquando idem (sic) habitatores ad nostram audienciam citabuntur; idem Abbas pro se, et domo supradicta,

(1) Ex archetypo membranaceo doctissimi Stronczyńscii proprio. Descripsit idem Vir ornatissimus, nobisque lubentissime obtulit. Sigillum deest.
(2) *Sulejow* oppidum ad Piliciam fluvium, regionis Petricoviensis.
(3) Erit sine dubio villa dicta *Straszowa wola* territorii Opocznensis, parochiae Białaczewiensis in propinquo oppidi Sulejoviae.

fundacione nostra omnem (sic) iudicatum recipiet, alicujus contradiccione non obstante. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentem paginam nostri sigilli munimine fecimus communiri. Testes ad hoc rogati: Comes Zavisius palatinus Syradiensis, Dominus Michaël cancellarius Syradiensis, Comes Sbygnews Castellanus Syradiensis, Comes Johannes Castellanus de Spycimir, Comes Mscis iudex Syradiensis, Comes Olyvirus Agazo Syradiensis, et alij quam plures fide digni. Actum Anno Domini Millesimo ducentesimo nonogesimo quinto. Datum in Syradz in die beate Trinitatis.

CLVII.

Syradiae, anno 1295 die 28 mensis Julii.

Wladislaus Dux Cujaviae, Lanciciae et Syradiae ministro suo Wilchek (Wilczek) duos mansos juxta civitatem *Szadek* sitos donat (1).

In Nomine Domini, Amen. Cum labilis sit etas hominum, ac de ipsorum gestis erronea consveverit calumpnia suboriri, legitimum est et dignum futurorum memoriae commendare, quae sine [? fine] iusto ac debito disponuntur. Ea propter Nos Vladislaus Dei Gratia Dux Cujaviae, Lanciciae et Syraziae, qui ex principali magnificentia singulorum merita debemus cognoscere et tractare, ne bonum irremuneratum, et malum incorrectum pertranseat, ad exempli perniciem posterorum; notum facimus universis praesentibus et futuris, praesentem paginam inspecturis: quod considerantes, quoniam speciali praerogativa retributionis sint obsequia grata et fidelia compensanda, quae nobis Wilchek, servitor noster diuturnus, multipliciter impendit, et adhuc una cum pueris suis impendere non cessat, ipsi Vilchoni (sic), et praedic-

(1) Ex archetypo membranaceo amplissimi Dobek bonorum Karsznice, in regione Szadkoviensi sitorum, haeredis proprio. Descripsit doctissimus Antonius Pstrokoński, quondam tabularii Syradiae asseruati praefectus, d. 27 Augusti 1842. Sigillum appensum repraesentat dimidiam aquilam et dimidium leonem, videlicet insigne, quo utebatur ducatus, postea palatinatus, Syradiensis dictus usque ad annum 1794. Tabula haec saepius exscripta est in Actis Syradiensibus, videlicet: in libro anni 1558 p. 296; porro libro anni 1559 p. 251; tum 1570 p. 421; denique in libro anni 1592 p. 8.

tis Successoribus suis damus, conferimus et titulo perpetuo (sic) donationis tradimus pure, libere et irrevocabiliter duos mansos liberos in *Magna Villa*, juxta Civitatem nostram *Szadek* (²), etiam a Census solutione, *Sosz* exactione, vel *poradlne*, et qualicunque alia solutione, quocunque nomine censeatur, Jure haereditario, pacifice et quiete, in perpetuum possidendos: sitque praedictus Wilcheh, cum suis posteris ac legitimis Successoribus, praedictorum Laneorum verus Dominus, legitimus haeres et possessor; omnimodam habens facultatem eosdem mansos libere tenendi, vendendi, donandi et quocunque modo a se alienandi, vel etiam ratione commodioris haereditatis permutandi. In cujus rei certitudinem pleniorem et perpetuae stabilitatis firmitatem, praesentem paginam conscribi fecimus et nostri appensione Sigilli communiri. Actum publice in Syradz, Anno Domini 1295, Quinto Idus Augusti. Coram his Testibus: Comite Zavissa Palatino, Domino Michaële Cancellario, per cujus manum hoc Privilegium est porrectum, Comite Mscisio Judice, Comite Gdeslao Subjudice, Procuratore Thomissio, Siraziensibus; et Domino Jaschone Scriptore ac Rectore Ecclesiae de *Zger* (³).

(²) Magna villa polonice *Wielka wieś* juxta oppidum *Szadek*, quod in palatinatu Calissiensi, regionis sui nominis caput, situm est.
(³) *Zgierz* oppidum regionis Lanciciensis.

CLVIII.

Brestiae, anno 1295 die 7 mensis Septembris.

Wladislaus Dux Cujaviae, Lanciciae, Syradiae et Dobrinensis terrae testificatur Swentoslaum et Oporonem fratres villam ipsorum *Konarzew* comiti Stanislao filio Chadronis viginti sex marcis argenti coram se vendidisse (¹).

In nomine domini, amen. Quoniam sapientum decrevit auctoritas, vt [? et] acta, que aguntur in tempore, simul dilabuntur cum tempore, si non fue-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii cujusdam privati in Regno Galliciae exstantis descriptum. Funiculo serico coloris rosei appensum est sigillum exhibens leonem dorso aquilae

rint legitimo virorum ac proborum testimonio roborata: Ideo nos Wladyslaus dei gracia dux Cuijavie, Lanchicie, Syradye et Dobrinensis, presencium et futurorum memorie declaramus: quod ad nostram accedentes presenciam Suantesslaus (sic) et Opor filii Oporonis, coram nobis publice, et terre nostre baronibus protestati sunt: quod hereditatem ipsorum *Conareuo* wlgariter dictam, in terra Cuijaviensi sytuatam (²), Comiti Stanysslao filio Chadronis ac suis liberis, omne jus paternum, quod in eadem habuerant, in ipsum ac in suos liberos transferentes libere et absque vlla coactione, pro viginti sex marcis argenti, jure hereditario in perpetuum vendiderunt, cum omnibus, que et quante in eadem hereditate haberi possunt vtilitatibus, vel quibuscumque, sive antiquis, siue novis vocabulis censeantur. Ne igitur super eadem hereditate, memorato filio Chadronis ac suis liberis in posterum quippiam (sic) questionis oriatur ab aliquo successorum ipsorum, nos sibi litteras nostras, ad maiorem rei evidenciam, contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Actum in *Brest*, et datum per manum Rudgeri vicecancellarii nostri Cuijavie, coram hijs testibus: domino Johanne Cancellario, Comite Mathia Judice Cuijaviensi, Zymislao iudice dobrinensi, Falone dicto Clusca Camerario, Nycolao vexillifero de Rechicia. Datum in vigilia Beate Marie nativitatis, anno incarnacionis domini M° CC° nonagesimo quinto.

conjunctum. Inscribitur in circuitu: *„s. wladislai dei gra. ducis cuiavie et sirad."* Initium et finis hujus tabulae ad similitudinem archetypi effícta sunt in opere: *„Zbiór ciekawy XIV. Tablic numizmatycznych"* etc. Wilno 1844. Tabula II. N^ro 9.

(²) Nunc *Konary* villa provinciae Masouiensis, territorii Cujaviensis, regionis Radziejeviensis.

CLIX.

Anno 1296.

Papa Bonifatius VIII. Jacobo Swinka Archiepiscopo Gnesnensi deprecante, Decano, Praeposito et Scholastico Wladislaviensibus concedit facultatem dijudicandi causam Episcopi Culmensis, qui a fratribus Ordinis Teutonici inductus, detrectando jurisdictionem ecclesiae metropolitanae Gnesnensis, agnoverat potestatem Episcopi Livonensis.

Długossii Hist. Pol. (ed. Lips.) T. I. Lib. VIII. p. 885.

CLX.

Juniwladislaviae, anno 1296 die 2 mens. Februarii.

Commutatio haereditatis *Lipe* cum haereditatibus *Gogolin* et *Crampevo*, inter Bertoldum Abbatem conventus ordinis Cisterciensium Byssoviensis et Comitem Naslaum nec non filios ipsius coram ducibus Cujaviae Lescone et Premislao, facta (¹).

In nomine domini, amen. Gesta seu ordinaciones hominum, propter decursum temporum, a mortalium plerumque tolluntur memoria, si non fuerint ad perpetuam memoriam litterarum apicibus confirmata. Eapropter nos Lestko et Premislius, Dei gracia duces Cuyavie et domini *Wladislavie* (²) in nostra presencia seriem rei geste protestamur: quod veniens coram nobis Dominus bertoldus Abbas cenobii Byssoviensis, nomine conventus sui ordinis Cysterciensis, Cuyaviensis dyocesis, et comes Naslaus cum filiis suis Boguslao et Thomislao, ac ceteris liberis suis, recognoverunt talem ordinacionem, ac possessionum commutacionem, inter se rite et racionabiliter esse factam, videlicet: quod idem Abbas dicto Naslao dedit partem hereditatis, quam apud ipsum in nostro judicio obtinuit racionabiliter, que wlgariter *Lipe* (³) nuncupatur, pro quibusdam sortibus hereditatum, que *Gogolin* et *Crampevo* (⁴) appellantur: quarum mete se extendunt de gadibus hereditatis illius, que *Snynisch* dicitur, in via, que transit de *Vitelno* in *Byssovia* (⁵), posthac de via transeunt dicte mete per *Dambrovam*, donec veniatur ad rivulum, qui vocatur *Plutvicza*, currentis (sic) in Lacum qui *Stuzenishno* nuncupatur, qui lacus totus cum utroque littore in *Byssoviam* dinoscitur pertinere; deinde a capite laci, ubi rivulus *Plutwicza* influit, ascendendo, mete currunt,

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensi, privilegia sublatorum coenobiorum M. D. Posnaniensis continenti, asservatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Duorum sigillorum, quae jam desiderantur, supersunt funiculi ex serico rubri et viridis coloris contexti. Alteri exemplari hujus tabulae appensa erant tria sigilla, quorum primum abruptum, duo reliqua scilicet Premislai et Casimiri Ducum, appensa sunt serico coloris flavi et rubri.
(²) In altero exemplari additum est „una cum fratre nostro Kazymiro."
(³) *Lipie*, villa territorii Bydgostiensis, regionis Juniwladislaviensis.
(⁴) Villae *Gogolin* et *Kropiewo* sunt in territorio et regione Bydgostiensi.

donec perveniatur ad lacum, qui *Glamboshno* vocatur, ad sinistram lacum tenendo, circa finem laci ulterius dirigunt se mete donec perveniatur ad montem ultra viam, que transit de *Byssovia* in *Drzevono,* per vallem usque in finem laci, qui dicitur *Morsishno,* et ab eodem lacu transeunt per paludem, et per *dambrovam* versus paludem, que appellatur *Rudeneblocko,* de qua palude currunt amplius per *Dambrovam,* donec perveniatur ad silvam, que wlgariter *Popelove* nuncupatur (6). Nos vero utriusque partis concordie gratuite occurrentes, et ne per ipsos, aut utriusque partis successores, aliqua in posterum suboriri possit calumpnia, que ipsorum commutacionem nobis factam presentibus, et nostram confirmacionem possit infirmare, hanc paginam conscribi fecimus, et Domui de Byssovia contulimus, nostris sigillis communitam. Actum et datum in *Wladislavia* (7) Anno Domini M° CC° nonagesimo sexto, in die purificacionis gloriose virginis Marie, presentibus hys testibus: Comite Barthosio Judice curie nostre, Comite Baldrsichio Castellano de Bydgostia, Comite Jarislao Castellano de Slonsk et Barthosio thezaurario nostro, Dobeslao, Woyscone et alijs quam pluribus fide dignis.

(5) *Wtelno* villa ejusdem regionis, cujus et villae in praecedenti nota allatae. Iter, quod hinc Byssoviam ducit, pertransit villam Gogolin.

(6) Omnes hi lacus delineati sunt in tabula geographica una cum rivo *Plutvica*, attamen eorum nomina non sunt indicata, quae ex hac tabula cognoscimus. Ea polonice procul dubio sonabant: *Studzieniszno*, *Głęboszno*, *Morsiszno;* in altero hujus tabulae exemplari legitur pro *Rudene blocko* Rudene bloto, et pro villa *Drzevono*, *Drsiune*, nunc fortasse villa *Drzewianowo*, regionis Bydgostiensis. Fluvius *Plutvica* occurrit in bulla Innocentii II. anni 1136. Vid. Cod. dipl. Majoris Poloniae Nro I., item Novus Codex Pomeraniae p. 28 Nro 13, sed ibi exscriptus est *Plitucza;* hodie sine dubio *Plietnitz*, cf. notae in Codice Pomeraniae ad tabulam anni 1136 allatae.

(7) In altero exemplari additum est „juveni."

CLXI.

Gedani, anno 1296 die 25 mensis Maji.

Lesco Dux Pomeraniae et Cujaviae haereditatibus coenobii Olivensis certa privilegia largitur.

Leop. v. Ledebur, Neues Allg. Archiv. für die Geschichte Preussens T. II. P. III. p. 242.

CLXII.

Gnesnae, anno 1296 die 28 mensis Decembris.

Wladislaus Dux Cujaviae mercatoribus Lubecensibus suas possessiones transeuntibus tutelam pollicetur.

Sartorius, Geschichte der Deutschen Hanse T. II. p. 186.

CLXIII.

Calissiae, anno 1297.

Wladislaus dominus Regni Poloniae, Pomeraniae, Lanciciae, Cujaviae et Syradiae attestatur, coram se comitem Dobeslaum villam *Lange* monasterio Lendensi donavisse. Eidem villae Wladislaus varia privilegia largitur (¹).

In nomine domini, amen. Quoniam facta mortalium obliuionem inducunt, vel morte intercepta, sicut experiencia docuit, solent adnullari, si non fuerint legitimo virorum ac proborum testimonio roborata: Eapropter nos Vladisslaus, dei gracia Dominus Regni Polonie, Pomoranie, Lancycie, Cuyauie et Syradie, uniuersorum presencium et futurorum memorie declaramus: Quod comes Dobeslaus, filius Creslai de *lapidea ecclesia* (²), in nostra ac nostrorum baronum presencia constitutus, pro remedio anime sue, ac predecessorum suorum et successorum, et in remissionem omnium suorum peccaminum, hereditatem suam *Lange* (³) wlgariter nuncupatam, que sibi ex paterna successione conpetebat, in terra Cuyauiensi sitam, Monasterio de *Lenda* (⁴) et fratribus ibidem deo deseruientibus, jure heredi-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigillum appensum funiculo serico coloris rubri penitus comminutum.

(²) Villa *Kościelec* territorii Bydgostiensis, vide Tom. I. hujus Cod. p. 159 annotationem 4.

(³) Villa *Łęg* regionis Brestensis, ad Vistulam, parochiae Wladislaviensis.

(⁴) *Ląd* oppidum ad Wartam territorii Calissiensis.

tario in perpetuum possidendam cum omnibus utilitatibus ac prouentibus, videlicet agris, pratis, siluis, venacionibus, mellificijs, lacubus et super *Wyslam*, ac alijs aquis, piscacionibus et molendinis, et omnibus, que nunc sunt, vel in futurum haberi possunt, utilitatibus ad eandem hereditatem, infra gades ipsius, jure spectantibus, sana mente, propria sponte et absque ulla coactione, memorato monasterio de *Lenda* et fratribus ibidem contulit, tradidit et donauit. Ita quod deinceps idem Dobeslaus, aut sui successores, super eadem hereditate in posterum nil habeant questionis. Nos vero, ob remedium anime nostre, et affectionem, quam circa eundem ordinem gerimus, dictam domum augere cupientes, absoluimus ipsam ab omnibus palatinis, castellanis et ipsorum judicibus, ut nec ab ipsis citari, nec coram ipsis stare, seu respondere teneantur: sed tantum coram nobis, dum ad nostram presenciam per nostram literam citati fuerint, conparebunt, suo tantum jure responsuri: et ab omnibus dominij nostri juribus et exaccionibus universis, nobis de jure vel de facto spectantibus, et cum omnibus incolis, siue propriis siue liberis, in eadem hereditate commorantibus, quos penitus absoluimus, videlicet a *pouoz*, a *naraz*, ab *opole*, a custodia cerui, et castrorum vel poncium edificacione, et omnium aliorum polonicalium officiorum, quibuscumque siue nouis, siue antiquis nominibus censeantur. Item dominus Abbas omnes causas tam magnas quam leues, vel fratres sui, vel quos ipsi Judices ad hoc specialiter deputauerint, iudicabunt. De iudicatis uero rebus, et omnium judiciorum prouentibus, nullus omnino aliquam penarum porcionem presumat accipere, sed quidquid inde prouenerit integraliter arbitrio fratrum cedere protestamur. Ut autem donacio comitis Dobeslaj sic legitime coram nobis facta, et nostre libertatis concessio firma per nos et successores nostros perhenniter obseruetur, presens instrumentum in testimonium predicte domui de *Lenda* et fratribus dedimus, sigilli nostri robore communitum. Actum in *Kalis*, et datum in cathedra beati Petri, sub anno incarnacionis domini M^{mo} CC^{mo} nonogesimo (sic) septimo Indictione decima. Presentibus hijs testibus: comite Zauisio palatino Syradiensi, domino Johanne cancellario cuyauiensi, comite Ubeslao pincerna kalisiensi, comite Miroslauo filio predpelconis, Comite Sandywoyo subcamerario kalisiensi, ac alijs quam pluribus fide dignis.

CLXIV.

Brestiae, anno 1297 die 21 mensis Decembris.

Wladislaus Dux Regni Poloniae hospitali civitati Brestensi adjacenti villam *Kąty* donat, eidemque villae privilegia confert (1).

In nomine domini, amen. Quod magnifica decreuit auctoritas Principum, ratum atque stabile debet permanere. Nos igitur Wladislaus, dei gratia Dux Regni Poloniae, et dominus Pomeraniae, Cuiauiae, Lanciciae ac Siradiae, notum facimus universis, tam praesentibus quam futuris, praesentem paginam inspecturis: Quod ob remedium peccaminum nostrorum, nec non ob animarum progenitorum nostrorum remedium, hospitali, quod adjacet prope ciuitatem nostram *Brzestensem* contulimus, et omnibus ibidem Deo deseruientibus, villam dictam *Kante* (2), situatam in terra Cuiauiensi, quam Rathiborius dictus Viczsal, pro multis excessibus, videlicet furtis, latrociniis et aliis infinitis quam plurimis, perpetuo et perpetualiter perdidit irrecuperabiliter, jure haereditario in perpetuum possidendam, cum omnibus utilitatibus et prouentibus, qui nunc sunt, vel in futurum possint exoriri, prout praedicta haereditas in suis metis et terminis est distincta. Dantes praedicto hospitali, in districtu praefatae villae, molendinum construere, ultra prope, ubi fluuius Bachora intrat fluvium dictum *Sgowentkam*, ita quod eundem (sic) molendinum libere et liberaliter, perpetuo et perpetualiter jure haereditario in perpetuum possidebit. Liberamus insuper et absoluimus incolas praefatae villae ab omnibus solutionibus et exactionibus, quae nostro dominio dinoscuntur pertinere, videlicet à *naraz*, à *pownoz* (sic), à *prowod*, à *podworowe*, à *poradlne*, à *stroza*, ab *obole* (sic), à *boue*, à *vacca*, à *porco*, ab *oue* et generaliter ab omnibus alijs inquietationibus, quae nunc

(1) Ex confirmatione Sigismundi Augusti anni 1552, quae libro manu scripto Metrica Regni dicto, in Varsauiensi tabulario publico Regni Poloniae asservato, continetur et quidem Nro LXXX. p. 361.

(2) Villa *Kąty* v. *Konty* in terra Cujaviensi, et districtu Brestensi, parochia vero Wieniecensi, ad rivum *Bachorze*, qui apud Wladislaviam Vistulam influit, sita.

sunt, vel in futurum exoriri poterunt. Item à Palatino, à Castellano, à Judice, et ab eorum Jurisditionibus, penitus eximimus praedictos incolas, quod non comparebunt coram eis citati, nec respondebunt, sed tantummodo coram nobis, dum per literas nostras fuerint euocati, tunc comparebunt et respondebunt. In cujus rei testimonium, praesentes conscribi fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Praesentibus his testibus: Comite Pritslao Castellano, Comite Matthia Judice, Cujauiensibus; domino Joanne Praeposito Plocensi, domino Andrea Procuratore Brzestensi, Joanne scriptore Curiae nostrae. Actum anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo. Datum *Breste,* in die beati Thomae Apostoli.

CLXV.

Junivladislaviae, anno 1298 d. 2 mensis Februarii.

Lesco Dux Cujaviae sortem Gelytowo dictam conventui Cisterciensium Byssoviensi perpetuo jure donat (1).

In nomine Domini, Amen. Quoniam acta mortalium, sicut jam diutina docet experiencia, morte et oblivione pereunt intercisa, prudens hominum caucio sollerter adinvenit, ut testimonio vivacis littere, et voce testium possint perhennari. Eapropter nos Lezko, Dei gracia Dux Cuyavye et Dominus Wladislavie, notum esse volumus universis, tam presentibus quam futuris: quod nos matura consideracione matris nostre Domine Salomee, illustris Ducisse Cuyawie, fratrumque nostrorum, sortem, que wlgariter *Gelytovo* nuncupatur, domino Abbati de *Byssovia* ejusque conventui, ibidem Deo famulantibus, tradidimus eternaliter possidendam, cum omni jure thevtonico, sicuti gaudet *Transhaz* (2) eidem sorti contigua, a nobis confirmato:

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensi, privilegia sublatorum coenobiorum continenti, asseruatur. descripsit doctissimus Stronczyński. Serico viridis et rubri coloris appensum est huic tabulae sigillum majoris formae Ducis Lesconis, cum agro latrunculato.

(2) Procul dubio villa *Trzensacz* in territorio et regione Bydgostiensi, in vicinia Byssoviae sita: villam *Jelitowo* adjacentem reperire non potuimus, est quidem villa *Jelitowo,* sed haec sita est in territorio Bydgostiensi, regione vero Gnesnensi.

ita tamen, quod ipse Abbas ejusque conventus, in eternum pro salute nostra, tam in morte quam in vita, specialiter tenebitur nobis cottidie in una missa de gloriosa virgine Maria. Ut autem hec donacio perhenne robur firmitatis obtineat, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus roborandam. Datum in *juveni Wladislavia,* Anno Domini M° CC° nonagesimo VIII°, in die purificacionis beate virginis Marie.

CLXVI.

Sine loco, anno 1298 die 6 mensis Februarii.

Wladislaus Dux Regni Poloniae et dominus Pomeraniae, Cujaviae, Lanciciae et Syradiae commutationem villarum *Smolyno* et *Zelibore* inter monasterium Leknense et ecclesiam Wladislaviensem factam, ratam esse jubet (¹).

Nouerint uniuersi presentes litteras inspecturi: Quod nos Wladizlaus, dei gracia dux Regni Polonie, et dominus Pomoranie, Cuyauie, Lanchicie, atque Syradie, permutacionem, quam dominus Johannes abbas, et Conuentus Monasterij de *Luckna* ordinis Cysterciensis, super villis sui claustri *Smolino* et *Zelibore* (²) fecisse in Wladizlauiensem ecclesiam dinoscuntur, ratam et gratam habemus, eamque nostro consensu legittimo approbamus. In cuius ratihabicionis euidenciam pleniorem, presentem paginam nostro sigillo duximus roborandam. Datum anno domini M° CC° nonagesimo VIII°. In crastino sancte Agathe virginis gloriose.

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigilli abrupti taeniola pergamena, qua appensum erat, superest.

(²) *Łekno* villa et oppidum territorii Bydgostiensis, regionis Wągrowiecensis. E tabula hac videre licet monasterium Cisterciensium Leknense a. 1153 fundatum, 1298 a. adhuc ibidem exstitisse. Numerus itaque indiciorum, quae doctissimus S. A. Helcel in nota *f)* ad tabulam II. a. 1153 Tomi I. h. C. attulit, probaturus diu post Miecislai mortem monasterium Cisterciense Łeknae non Wągrowiecii exstitisse, hac tabula est auctus. Ceterum pagi *Łeknae* mentio, jam anno 1136 occurrit, in bulla Innocentii Papae, in qua enumerantur possessiones archiepiscopi Gnesnensis. Vid. E. Raczyński „*Cod. Maj. Pol.*" tab. I. p. 1.

CLXVII.

In oppido Costen, anno 1298 die 24 mensis Junii.

Henricus Dux Regni Poloniae, Pomeraniae et Silesiae, immunitates bonorum ecclesiae Cathedralis Posnaniensis, Gnesnensis et Wladislaviensis in Pomerania, roborat.

Raczyński, Cod. dipl. Major. Pol. p. 89 Nro LXXX.

CLXVIII.

In oppido Costen, anno 1298 die 24 mensis Junii.

Henricus Dux Regni Poloniae, Pomeraniae, Silesiae et dominus Glogoviae ecclesiis Gnesnensi, Posnaniensi et Wladislaviensi privilegia confert (1).

1565. Sigismundus Augustus dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogithiaeque etc. dominus et haeres, notum manifestumque facimus tenore praesentium, quorum interest, universis et singulis, tam praesentibus quam futuris, harum noticiam habituris: Quomodo Reverendus in Christo Pater, Dominus Nicolaus Wolski Episcopus Wladislaviensis et Pomeraniae, certas literas in pargameno scriptas, titulo et sigillo nostris communitas, coram nobis exhibuit vetus privilegium illustris quondam ducis Henrici Maioris Poloniae, Pomeraniae et Sylesiae, in favorem Reverendissimi domini Jacobi Uchaniski (sic) Archiepiscopi Gneznensis, per nos approbatum: quo quidem privilegio,

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Funiculo serico appensum sigillum formae maioris, vulgo majestaticum dictum, cum effigio Regis Sigismundi Augusti. Privilegium hoc idem est ac privilegium proxime praecedens, cujus argumentum ex Codice Raczyńsciano attulimus. Sed nostrum descriptum est ex transsumpto authentico Sigismundi Augusti, illud autem ex transsumpto Stephani Bathorei. Operae praetium facturi videbamur hic totum afferre, quum exemplar hoc, ut ex verbis Regis Sigismundi Augusti apparet, ad usum ecclesiae Wladislaviensis destinatum esset.

per eundem Ducem, certae praerogativae tribus Ecclaesiis Gnesnensi, Wladislaviensi et Poznaniensi attributae sunt: in se continentes; et supplicavit nobis, [ut] easdem literas describere et transumere, ac simile exemplar pro necessitate ecclesiae suae Wladislaviensis sibi extradere mandare dignaremur. Quarum quidem literarum tenor sequitur, et est huiusmodi:

1564. Sigismundus Augustus dei gratia etc. Significamus tenore praesentium quorum interest, tam praesentibus quam futuris, harum noticiam habituris universis: Exhibitas esse coram nobis, nomine Reverendissimi in Christo patris domini Jacobi Uchaniski archiepiscopi Gneznensis, Legati nati, Regnique nostri Primatis, literas pargameneas, sub titulo serenissimi olim Principis domini Henrici Regni Poloniae ducis Pomeraniae, Sylesiae, et domini Glogoviae, sigilloque eiusdem in serico appenso munitas, salvas, integras, nullaque in parte suspectas, continentes in se libertates et praerogativas quasdam, per praenominatum dominum Henricum ducem, praedecessorem nostrum, Gneznensi, Poznaniensi, Wladisläviensique ecclesiis, earumque pro tempore existentibus Archiepiscopis et Episcopis, temporibus perpetuis datas et concessas, supplicatumque est nobis, nomine predicti Reverendissimi domini Archiepiscopi Gneznensis moderni, ut easdem literas, propter earum vetustatem innovari, denuoque in eodem, quo ante emanarunt, tenore, in pargameno sub sigillo nostro extradi iubere, easque authoritate nostra approbare, et confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis:

1298. In nomine domini, amen. Nos Henricus dei gratia Dux Regni Poloniae, Pomeraniae, Sylesiae et dominus Glogoviae. Notum facimus universis tam praesentibus quam futuris, praesentem paginam inspecturis: quod nos semper in bonis actibus progenitores nostros imitari, prout magis possumus, cupientes, personas patrum venerabilium, videlicet domini Jacobi Sanctae Gneznensis Ecclesiae Archiepiscopi, Andreae Poznaniensis, Wislai Wladislaviensis, et Ecclesias Gneznensem, Poznaniensem, Wladislaviensem, in terra Pomeraniae, ac bona ad ipsas pertinentia, talibus honorare volumus insignijs libertatum: quod omnes libertates, quas iam dictae Ecclesiae in bonis suis retinent, volumus perpetuo inviolabiles permanere, ita videlicet, quod in villis et bonis Ecclesiarum dictarum nunquam stationem aliquam faciemus, nec unquam nostros homines pabulare, quod in vulgari dicitur

piczowacz (²), bona Ecclesiae permittemus, et quod, sicut ab initio extitit observatum, Canonici dictarum Ecclesiarum villas Ecclesiae limitabunt, et quod nullam exactionem in bonis Ecclesiae, vel petitionem, tam in jure Teuthonico quam Polonico, faciemus, vel etiam imponemus, sicut nec nostri praedecessores haec fecerunt, nec bona Ecclesiarum dictarum in aliquo gravabimus vel laedemus. Volumus etiam, quod canonici homines existentes in bonis Ecclesiae judicent, et paenas Judiciales percipiant ab eisdem, nisi quaestio super haereditatibus moveretur, quia illam in nostra volumus praesentia judicari. Volumus etiam, quod si miles vel cuiuscunque conditionis homo existat, ex testamento, vel inter vivos, mobile vel immobile Ecclesiae donaverit, quod hoc firmum et stabile perseveret, nec in hoc Ecclesiam impedire volumus, imo ut donatum apud ipsam remaneat, totis viribus adiuvare. Et si quae utilitates in bonis Ecclesiarum dictarum sunt vel exortae fuerint in futurum, sive in terris, sive in aquis fuerint, ipsas penes Ecclesias, in quarum bonis inventae fuerint vel exortae, volumus perpetuo remanere. Promittimus etiam, quod excommunicatos volumus in omnibus actibus legitimis evitare, et si ultra annum in excommunicatione iacuerint, bona excommunicatorum nostro fisco applicabimus, satisfacientes Ecclesijs de eisdem, prout vel in quanto ipsi excommunicati fuerant ecclesijs obligati. Promittimus etiam dictas ecclesias contra earum indebitos turbatores toto posse adiuvare, et ope nostrae potentiae fideliter defensare. Volumus etiam, quod omnes, qui decimas tenentur, illas persolvant integraliter, in campis, si villae Juris Polonici fuerint, si autem Teuthonici, Maldratas per modium (³) et argentum. Si autem per adiutorium venerabilium Patrum superius nominatorum, ac Ecclesiarum earundem, Regias fuerimus infulas assequuti, Cancellaria Regni penes Poznaniensem Episcopatum perpetuo remanebit, assignatis sibi reditibus (sic) iuxta quaslibet civitates, ubi frequentius cum nostra domo contigerit nos remorari. Actum et datum in *Costhan* (⁴),

(²) Officium vehendi sine mercede commeatus militibus necessarios nominabatur *Picza.* In dictionariis antiquioribus linguae polonicae et in Bielscii opere „*Sprawy Rycerskie*" p. 70, commeatus quaerentes vocantur *Picownicy*, et commeatus conquirere *picować*. Vid. Czacki: „*o Lit. i Pol. Pr.*" T. I. p. 232 nota 1107 ed. pr.

(³) Apud Raczyńscium est: *per medium.*

(⁴) *Koscian* (Costenum) oppidum in M. D. Posnaniensi situm.

anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, in die Beati Joannis Baptistae. Ad maiorem horum certitudinem praesentes scribi iussimus literas nostri sigilli munimine roboratas. Praesentibus nobilibus viris dominis (5).

Nos itaque Sigismundus Augustus Rex prenominatus, supplicationi eidem, uti iustae, benigne annuentes, literas praeinsertas innovari, ac denuo sub sigillo nostro extradi mandavimus, easque in omnibus illarum punctis, clausulis, articulis et conditionibus, authoritate nostra Regia approbamus, confirmamus et ratificamus, decernentes eas vim et robur debitae ac perpetuae firmitatis obtinere debere. In cuius rei fidem sigillum nostrum presentibus est subappensum. Datum *Petricoviae,* die duodecima mensis Octobris, anno domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Regni vero nostri trigesimo quinto. Petrus Myschkowski R. P. Vicecancellarius subscripsit. Relatio Reverendi Petri Mysskowski (sic) Regni nostri Vicecancellarij, Decani Cracoviensis et Gneznensis, Płocensis, Lanciciensis, Varschowiensisque Praepositi.

Nos igitur Sigismundus Augustus Rex praefatus, supplicationi dictae Reverendi domini Episcopi Vladislaviensis, ut pote rationi consonae, benigne annuentes, praeinsertas literas describi, transumi et exemplar simile dicto Reverendo domino Episcopo sub titulo et sigillo nostris, ad usum Ecclesiae suae Wladislaviensis extradi mandavimus, prout extradidimus in effectu, decernentes easdem literas robur debitae firmitatis habere, quodque illis, legitime emanatis, ubique locorum firma et indubia fides adhibeatur. Harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum subappensum est. Datum *Petricoviae* prima die mensis Junij, anno domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, regni vero nostri anno trigesimo sexto. Valentinus Dąbyensky R. P. Cancellarius subscripsit manu propria. Relatio Magnifici Valentini Dembieniskj (sic) de Dembiany Regni Poloniae Cancellarij Liubomliensisque Capitanej.

(5) Testes non sunt allati.

CLXIX.

Wladislaviae, anno 1298 die 28 mensis Julii.

Premislaus Dux Cujaviae et dominus Wladislauiensis cum matre sua Salomea, nec non fratribus suis Lescone et Casimiro mellificibus Golka, Winon, Domarad, Martinus, Postkon, Zarnota dictis et eorum fratribus villam *Bartodzieje* confert (1).

In nomine domini, amen. Acta hominum a memoria de faci[li] subtrahuntur, que lingua testium, aut scripti gubernaculo non solidantur. Eapropter Nos Premislius dei gracia Dux Cuiaviensis et dominus Wladislauiensis cum fratribus nostris carissimis, ducibus eiusdem principatus, Lestkone ac Kazimiro eadem gracia, nec non matre nostra predilecta domina Salomea, ducissa dicti iam ducatus, notum esse volumus tam presentibus quam futuris: Quod nostris mellificatoribus Golcze, Winoni, Domarad, Martino, Postkoni, Zarnote et eorum fratribus contulimus villam, que *Barthodzieie* (2) wlgariter appellatur, et corum liberis in perpetuum possidendam, secundum quod tempore patris nostri pie memorie ab antiquo possederunt, ita tamen, quod nobis in die beati Michaëlis Archangeli viginti quatuor urnas solubiles (sic) mellis vel duodecim magnas [? marcas] soluere tenebuntur. Nos vero, cum sumus omnibus ad summum benefaciendum debitores, potius tamen illis, qui nobis tenentur deseruire, dictis mellificatoribus nostris, gracia nostra ex speciali, addidimus utilitates omnes, que in districtu (3) ville memorate secundum terminorum extensionem dinoscuntur pertinere in aquis, siluis, rubetis, lignis, pascuis, pratis et aliis quibuscunque nominibus censeantur; ut eo fortius et melius debeant sua seruicia nostro dominio exhibere. Ut autem nostram ordinacionem nullus processus temporis audeat permutare, presentem paginam conscribi fecimus et nostrorum sigillorum munimine roborari. Huius

(1) E confirmatione Regis Alexandri anni 1504, quae videatur suo loco, libro manu scripto Metrica Regni dicto Nro XX. p. 268 contenta.

(2) Plures sunt villae ejus nominis, hic tamen procul dubio intelligenda est una villarum *Bartodzieje* dictarum in provincia Calissiensi, territorio Petricoviensi, regione Radomscensi sitarum. E nomine hujus villae conjicere licet, eam a mellificibus inhabitatam fuisse, siquidem in lingua vernacula vox *barć*, significat alvearium, verbum autem *dziać*, *działać*, facere.

(3) Vid. privilegium anni 1504.

rei testes sunt: Comes Albertus castellanus Wladislauiensis, Comes Barthosius judex terre nostre, Comes Badricus castellanus Bidgostiensis, Joannes pincerna, Dobeslaus tribunus, Michaël capellanus de *Tuzna* (4), et alij quam plures fide digni. Acta sunt hec in Wladislauia, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octauo, quinto Kalendas Augusti, Luna sedecima. Datum in die Pantheleonis martiris, indicione undecima.

(4) Fortasse villa *Turzno* territorii Cujaviensis regionis vero Radziejeviensis.

CLXX.

Wladislaviae, anno 1299 die 9 mensis Junii.

Premislaus Dux Cujaviae et Dominus Juniwladislaviae attestatur coram se Dobeslaum Comitem et Martinum filium Comitis Scarbimiri villam *Skarbiewo* monasterio Cisterciensium Byssoviensi contulisse (1).

In nomine Domini, Amen. Cum secundum juris posicionem, quevis acta legitima litterarum memoria vel testium insercione sint firmanda, ac presencium negligenciam incuset ignorancia futurorum: eapropter nos Premislius Dei gracia Dux Cuyavie et dominus Wladislavie, universorum noticie plenius declaramus, presentis tenore privilegii publice profitentes: quod Comes Dobeslaus de *Damb* (2) noster Tribunus, et Martinus ejus filiolus, filius comitis Scarbimiri bone memorie, una cum matre sua Domina Modliboga, coram nobis et baronibus nostris constituti, nostro gratuito ex assensu, de consilio saluberrimo virorum maturorum, Capellano nostro, domino Bertoldo Abbati de *Byssovia,* totique conventui ejusdem domus, hereditatem quondam in territorio Bydgoscensi sitam, *Skarbevo* (3) wlgariter nuncupatam, que ipsos tytulo patrimonii rite contingit, cum tribus lacubus

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in Archivo Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asservatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Sigillum appensum funiculo serico coloris perviridis exhibet solum insigne provinciae Cujaviensis.
(2) *Dąb wielki, mały, polski,* tres villae in territorio Cujaviensi regione vero Kowaliensi.
(3) Villa *Skarbiewo* territorii et regionis Bydgostiensis.

videlicet: *Buckovo* et *Scarbevo* magno et parvo, et cum toto rivulo, qui transit per ejusdem [? eosdem] lacus, qui rivulus *Plutwicza* nominatur (4), et ad ipsos pertinebat ex antiquo, et cum singulis usibus, intra gades et terminos eidem ville adjacentibus circumferencialiter, pro septuaginta quinque marcis monete Thorunensis, juste et racionabiliter vendiderunt jure hereditario in perpetuum libere possidendam, resignantes ipsis omne jus patronatus, abbati videlicet et prefato conventui, quod in eadem hereditate habere videbantur primeva possessione. Qui eciam Dobeslaus, cum Martino filiolo suo, et matre ejusdem Domina Modliboga, de Suraua [? summa] prenotata, scilicet septuaginta quinque marcarum, decem marcas in remissionem suorum peccaminum, et ob salutem Scarbimiri anime felicis memorie relaxarunt. Insuper idem Dobeslaus, cum filiolo suo Martino, et cum matre sua Domina Modliboga (5), promittentes simul viva voce isdem (sic) fratribus, quod nunquam ipsam hereditatem reppetere (sic), nec redimere debent, cum eorum posteritate. Cum igitur pium sit religiosorum utilitatibus intendere, ut statum suum pacifice, et in tranquilla securitate uberius valeant exercere: verum tamen illorum precipue dignis profectibus insistere cura vigili nos oportet, qui sub umbra nostre protectionis jugiter cupiunt recubare: cujus rei causa, nos hoc ipsum perpendendo, volentes debite imitari pia nostrorum progenitorum vestigia, in quantum possumus, ob affectum pure caritatis, quam medullitus gerimus erga ordinis sedulitatem sepedictorum fratrum, pro salute et remedio anime nostre, nostrorumque fratrum, et eciam predecessorum nostrorum, ad reformacionem nostre fundacionis ampliorem, predictam vendicionem, pariterque dignam empcionem, ratam et gratam habentes, memoratis fratribus litteris presentibus ratifice confirmamus: donantes ipsis, quadam ex prorogata sinceritate, super eandem villam *Scarbevo* jus theutonicum, cum omnimoda libertate. Ut autem hec nostra tam sollempnis protestacio, et celeberrima confirmacio hujus facti et tam gratuite donacionis, robur obtineat perpetue memorie, in hujus rei testimonium, presens scriptum nostri sigilli robore duximus muniendum. Testibus hys presentibus: Comite Alberto Castellano

(4) Videantur, quae de hoc rivo et lacubus, quos perfluit, dicta sunt ad annum 1296, Nro CLX. p. 139 in annotatione 4.

(5) Verbum aliquod omissum esse videtur.

Wladizlaviensi, Comite Badrico Castellano Bydgoscensi, Comite Boguse (sic) Castellano Wissegrodensi, Domino Mychaële Capellano nostro, Comite Barthosio tezaurario, Comite Pribislao subjudice, et aliis multis nobilibus. Actum et datum in *Wladislavia,* Anno Domini M° CC° XC° nono, quinto Idus Junii, Indictione duodecima.

CLXXI.

Lanciciae, anno 1299 die 31 mensis Novembris.

Wladislaus Dux Regni Poloniae villae *Wichrow*, quam ecclesiae Lanciciensi pro villa *Leszno* commutata dederat, varia privilegia confert (1).

In nomine domini, Amen. Quod magnifica principum decrevit auctoritas, ratum et stabile debet permanere. Nos igitur Vladislaus dei gracia dux Regni Polonie, Princeps Pomeranie, et dominus Cuiavie, Lancicie, ac Siradie, notum facimus tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis: quod respicientes fidelia servicia Magistri Henrici Capellani et Subcancellarij nostri, sibi conferimus et damus in villa sua, que *Vichrow* (2) wlgariter nuncupatur, quam sibi et Ecclesie sue sancte Crucis, pro dote sive villa eiusdem Ecclesie sancte Crucis Lessceze nuncupata permuttavimus (sic) et permuttatam ipsi assignavimus, cum omni jure, jurisditione et libertate, sicut iam dicta dos seu villa Ecclesie sancte Crucis *Lessceze* (3) dicta, primitus habuit, vel etiam habere videbatur. Adijcientes sibi meram libertatem et imperium in eadem supradicta villa Vichrow presidendi et judicandi tam in causis criminalibus, quam civilibus, et accipiendi et habendi tam penam capitis quindecim, et septuaginta, quam aliam quamcunque, que in eadem villa in suis emethonibus acciderit, vel accidere poterit in presenti vel futuro. Liberamus sibi insuper, et liberam sibi

(1) E libro manu scripto Metrica Regni dicto literis RR signato Nro LIV. p. 358.

(2) *Wichrow* villa publica in provincia Masoviensi, territorio Lanciciensi, regione Zgiersensi sita. — Stanislaus Wargawski, Canonicus Wladislauiensis, plebanus ecclesiae parochialis Lanciciensis, cujus villa *Wichrow* erat propria, privilegium hocce Regi Sigismundo confirmandum a. 1538 obtulit.

(3) Villa *Leszno* sita in provincia Masoviensi territorio et regione Lanciciensi.

denunctiamus (sic) villam sepius dictam a *poradlne, Przewod, Powoss, Stroza, Mosthne,* Castrorum vigilijs et munitionibus, expeditionibus, et ab alijs universis servicijs et exactionibus nobis vel dominio nostro debitis, quocumque nomine censeantur. Volumus etiam et districtius (sic) prohibemus, ne palatinus vel castellanus seu procurator noster vel aliquis judex ipsorum, vel alius etiam alter quicumque fuerit, incolas et inquilinos seu cmethones iam dicte ville, cujuscumque nationis vel conditionis fuerint, ibidem inhabitantes presumat, contra hanc benivolentie nostre donacionem, prenominato Magistro et Ecclesie sue factam cittare, judicare vel in aliquo alio molestare. Si quis vero contrarium presumpserit, sciat se nostram indignacionem incursurum: et ipsum volumus, si necesse fuerit, usque ad condignam satisfactionem ecclesiastica sentencia acrius puniri. Si autem quis de cmethonibus ville supradicte habet aliqua de causa querularj: tantum coram Magistro Henrico, Subcancellario nostro, debet de ipsis sibi iustitiam postulare. Ad cuius rei testimonium et maiorem evidentiam presens scriptum nostri sigilli munimine roboratum, predicto Magistro Henrico fecimus exhiberj. Presentibus viris: honorabili domino Paulo Episcopo Leopoliensi (sic), domino Joanne Archidiacono Lanciciensi, Domino Creslao subcancellario Pomeraniensi, Domino Theodorico capellano nostro, Comite Falone et (sic) vexillifero, Lupo Subpincerna, Vatiglessa (sic) procuratore Lanciciensi. Actum et datum in Lancitia Notarij (sic) (4) nostri Joannis, Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, in crastino beati Andree Apostoli.

(4) Aliquid librarii incuria hoc loco omissum esse videtur. Tabula haec, uti plurimae in libris Metricae Regni, minus est accurate scripta. Confer, quae de libris Metricae Regni Tomo I. p. 50 nota (1) memoravimus.

CLXXII.

Dobrini, anno 1300 die 15 mensis Septembris.

Semoviti Ducis Lanciciae et Dobrinensis donatio silvae *Babcze* cum omnibus utilitatibus Miecislao de *Turza.*

Stronczyński „Wzory pism dawnych" p. 21 Nro 20.

CLXXIII.

Juniwladislaviae, anno 1301 die 18 mensis Julii.

Premislaus Dux Cujaviae, dominus Wladislaviae una cum fratre suo Casimiro et matre Salomea testantur Comitem Falum villam *Bazilisouo* ecclesiae Wladislauiensi donasse (¹).

In nomine domini, amen. Nos Premislius dei gracia dux Cuyauie, et dominus Wladislauie, una cum dilecto fratre nostro duce Kazimiro, et inclita matre nostra domina Salomea, presentibus profitemur et publice protestamur: quod in nostra constitutus presencia comes Fal, villam seu hereditatem suam *Bazilisouo* wlgariter nuncupatam in wladislauiensi dominio situatam (²), iure nature, cognacionis uel agnacionis sibi debitam, quam nomine porcionis sibi debite pro se exceperat, ob remedium anime sue et suorum parentum, et ob reuerenciam beate virginis Marie, venerabili in Christo patri domino Geruardo, dei gracia ecclesie wladislauiensis episcopo, ecclesie sue, suisque heredibus, perpetuo contulit et donauit, iure hereditario pacifice possidendam, omnj juri, actionj, excepcioni, condicionj, si sibi suisque successoribus ubicumque et quadocumque competerent, renunciando: ipsum et ecclesiam suam in possessiones uel quasi, ciuiles, naturales et corporales, sicut consuetudo iuris nostri exigit, inducendo. Et quia super hijs memoratus pater noster peciit a nobis consensum, nos donacionem predictam episcopo, suisque successoribus et ecclesie wladislauiensi factam, ratam, gratam et firmam habentes, eciam si qui defectus ex parte donantis essent, ipsos ex nostri plenitudine dominij submouentes, perpetuo confirmamus. Ne uero super hijs inposterum dubitetur, presentem paginam sigillo nostro mandauimus communiri. Actum in *Wladislauia juuene,* presentibus: comite Barthosio iudice, Budziwyo (sic) vexillifero, Joseph ensifero, Johanne subcamerario,

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Wladislauiensis asseruato. Sigillum abruptum.

(²) Villa *Bazilisouo* neque in indice urbium et villarum Regni Poloniae, neque in simili indice M. D. Posnaniensis, nec denique in libro Mülleri invenitur. Fortasse hodie jam non exstat aut nomen aliud obtinuit. In aversa tamen hujus tabulae parte legitur: „villa *Bazilissewo* est in districtu Juniwladislaviensi et ad clavem Wladislaviensem pertinens."

domino Michaële capellano curie nostre, Jacobo de *Lescze*, et Johanne scriptore nostro. Datum anno domini M° CCC° primo, quindecimo Kalendas Augusti.

CLXXIV.

Juniwladislaviae, anno 1301 die 18 mensis Julii.

Premislaus Dux Cujaviae donationem villarum *Pyrane* et *Smychorsino* ecclesiae Wladislaviensi factam ratam esse jubet (¹).

In nomine domini, amen. Nos Premislius dei gracia dux Cuyauie et dominus Wladislauie, una cum dilecto fratre nostro duce Kazymiro, et inclita matre nostra domina Salomea presentibus profitemur et publice protestamur: quod in nostra baronumque nostrorum presencia constitutus dominus Nicolaus dictus Widouiz, prepositus sancti Michaëlis de *Plozk*, villas seu hereditates suas *Pyrane* et *Smychorsino* (²) wlgariter nuncupatas, recongnouit (sic), se dudum, coram illustribus principibus dominis Kazymiro auo nostro, et Zemomyslio patre nostro, quondam ducibus Cuiauie, wladislauiensi ecclesie contulisse, et eciam donasse; de quibus eciam nobis plenius constitit a fide dingnis (sic): nunc autem in presenciarum coram nobis, omnibus iuribus, possessionibus ciuilibus, naturalibus dominiis uel quasi, sibi in dictis uillis seu hereditatibus competentibus renuncciauit; venerabilem patrem dominum Gerwardum ecclesie wladislauiensis episcopum, et ecclesiam wladislauiensem, in memoratarum hereditatum possessiones corporaliter inducendo. Uerum quod super hiis prefatus pater noster peciit a nobis consensum, nos donaciones per dictum dominum N. ecclesie wladislauiensi dudum factas, ratas et gratas habentes, perpetuo confirmamus. Ne vero

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Wladislaviensis asseruato. Sigillum majoris formae funiculo serico coloris viridis appensum, penitus deletum.

(²) Villa *Pieranie* est in decanatu Gniewkoviensi, territorio Bydgostiensi, regione Juniwladislaviensi, M. D. Posnaniensi. Villam *Smychorsino* frustra in indicibus quaesiveris: sed est in vicinia villae *Pieranie* villa *Smenzyn* vel *Smenzynek* territorii Bydgostiensis, parochiae Labiszynensis, et *Smierna* v. *Smiernia* regionis Juniwladislaviensis.

super hiis in posterum dubitetur, presentem paginam sigillo nostro mandauimus communiri. Actum in *iuuene Wladislauia,* presentibus: comite Bartossio judice, Butiuugio vexillifero, Joseph ensifero, Johanne subcamerario, domino Michaële capellano curie, Jacobo de Leshca (sic) et Johanne scriptore curie nostre et aliis fide dingnis (sic). Datum anno domini M° CCC° primo, XV. Kalendas augustj.

CLXXV.

Wladislaviae, anno 1301 die 16 mensis Augusti.

Monasterium *Olivense* Cisterciensis ordinis permutat villas, decimas et possessiones cum Gerwardo Episcopo Wladislaviensi (1).

In nomine domini, amen. Nos frater Rodgerus abbas, totusque conuentus de *Olyua* ordinis cysterciensis, wladislauiensis dyocesis, presentibus profitemur: quod prehabito diligenti tractatu, ac maturo consilio et unanimi consensu, cum venerabili in Christo patre domino nostro, domino Gerwardo dei gracia ecclesie wladislauiensis episcopo, et capitulo suo, permutacionem perpetuam fecimus decimarum, possessionum, et eciam villarum. Ita quod memoratus venerabilis pater noster et dominus, volens nos ad sua sueque ecclesie seruicia fideliter exhibenda, eo amplius fore obligatos, saluis obseruancijs ordinis nostri, cessit nobis et ecclesie nostre perpetuo de decimis ad mensam ipsius pertinentibus, in villis et possessionibus nostris consistentibus, prout nunc sunt certis limitibus distincte, videlicet tam de agris, quos (nostris) laboribus uel sumptibus colimus, quam eciam quibuscumque et quocumque iure Theutonico uel emphiteotico (sic) colendas concesserimus, decimas prediales de laboribus proprijs, ac eciam ab incolis

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Wladislaviensis asseruato, descriptum. Sigilla desunt. . Argumentum hujus tabulae idem est, quod et proxime sequentis ex Ledeburio depromptae, in eo tamen differt, quod nostra tabula continet pactum de decimis, Ledeburii autem tabula est nonnisi confirmatio ejusdem pacti. Archetypon tabulae in Archivo Ledeburii typis descriptae invenitur in tabulario secretiori Regiomontano: Schieblade LVI. Nro I., eique appensa sunt duo sigilla, scilicet episcopale et capitulare.

nostris integraliter percipiemus, iure perpetuo possidendas. Quarum uillarum, seu possessionum nomina sunt hec: *Podole*, *Bessyker* magnum et parwm (sic), *Choyno*, *Slomno*, *Czapplo*, *Banino*, *Czegno*, *Begareuicz*, *Thuchonie*, *Nyuadoue*, *Vissoka*, *Bruduino*, *Sopoth*, *Raycouo*, *Bruscze*, *Scowarnicze*, *Ostrizira*, *Plauanow*, *Zyrinsna*, *Swecino*, *Karthussino* et *Mechow* (2). A nobis autem et nostro conuentu in recompensam recepit decimam de *Radostow* et villam ipsam certis limitibus determinatam, sitam in districtu *Terseuiensi*, villam *Fascino* in territorio Gdanensi situatam (3), prout suis certis limitibus est distincta. Item *Bresno* (4) villam super *Verissam* fluuium, mansos viginti continentem, et lacum ibidem, qui non continetur in mensura viginti mansorum, qui tamen lacus, ad quamlibet piscacionem, prefato domino nostro episcopo et nobis communis erit. Quarum villarum seu possessionum nostrarum, in prefatum patrem nostrum et successores ipsius, et ecclesiam, dominia uel quasi transferendo, ipsum suosque successores, et ecclesiam suam, veros et legittimos et perpetuos constituimus possessores. Renunciamus insuper nomine nostro, et conuentus nóstri, omnibus priuilegijs, iuribus, accionibus, excepcionibus iuris uel facti, et omnibus generaliter munimentis, in villis seu possessionibus me-

(2) Villas *Podole*, *Bessyker*, *Choyno*, *Slomno*, tam in tabulis geographicis in propinquo monasterii Olivensis, quam in Indicibus locorum, praesertim vero in Indice Mülleri, frustra quaesivimus. Villa *Czaple* est in regione Cujaviensi, sed hic intelligenda est potius villa *Czappeln*, territorii Gedanensis, regionis vero Karthausiensis, quum ibidem etiam villa *Banin* occurrat. *Czegno* apud Ledeburium *Czegnino* est fortasse *Czeszienia* v. *Czettschau*, *Thuchonie* (apud Ledebur. Tuchome) est *Tuchom* (magnum et parvum) ambae villae ejusdem territorii et regionis. Villas *Begarevicz* et *Nyvadove* (apud Ledebur. *Nevadove*) non invenimus. *Wysoka* est villa territorii Bydgostiensis, altera territorii Kwidzynensis, de posteriori hic agi inde conjicere licet, quod et sequentes villae non procul absunt, si quidem villae *Brudzau* (Brudvino), *Sobota* (Sopoth), *Brusz* (Bruscze, apud Ledeburium Brusche) sitae sunt in territorio Kwidzynensi. *Raikau* villa territorii Gniewensis (Mewe). Villae *Scowarnicze* et *Zyrinsna* (apud Ledebur. Zarinssna) nusquam occurrunt. *Ostrizira* (apud L. Ostriza) forsan *Ostritz* (polonice Ostrzyc) villa territorii Gedanensis, regionis vero Karthausiensis. *Plavanow* fortasse *Pławin* territorii Bydgostiensis, regionis vero Juniwladislaviensis. *Swecino* procul dubio *Schwetzin* villa territorii Gedanensis. Duae villae *Karthussino* et *Mechow* laudantur a Damalevicio p. 46, prior *Kartuzy* in decanatu Mirachoviensi v. Koscierzynensi, posterior *Mechowo* in decanatu Pucensi.

(3) Procul dubio villa *Radostowo*, quondam in regione Tczewensi (Dirschau) sita. Villa *Fascino*, non est allata in indice Mülleri.

(4) *Brzessno* villa regionis Starogardensis. Rivum *Verissam* (Ferse) alveum suum mutasse apparet, quum villa haec hodie non rivo sed lacui adjaceat.

moratis, si que nobis et nostro conuentui nunc competunt, uel possent competere in futurum. Quas liberas et exemptas ab omnibus angarijs et perangarijs, solucionibus regalibus seu ducalibus, iuribus et seruicijs quibuscumque, quocumque nomine censeantur, prenominato patri nostro et domino, suisque successoribus trattimus (sic) et donamus, obligantes nos de euictione. Et si predictas uillas, seu possessiones nostras, contingeret euinci, jus decimale et decime nobis donate, ad mensam prelibati patris nostri et successorum ipsius redeant ipso iure. Preterea prefatus pater noster et dominus, una cum suo capitulo, nos et conuentum nostrum in decimis superius expressis, tamquam proprijs, quatenus sibi de iure competit, promisit efficaciter defensare. Et ne super hijs in posterum dubitetur, presentes litteras sigilli nostri munimine mandauimus roborari. Actum in *Wladislauia antiqua,* anno domini M° CCC° I°, in crastino assumpcionis uirginis gloriose. Presentibus dominis: Floriano preposito, Dobegnewo decano, Stanislao archidiacono, Johanne cantore, Woyslao custode Wladislauiensibus, fratre Henrico abbate de *Polplyn* (5), Johanne priore ibidem, fratre Nicolao ordinis fratrum minorum, et alijs quam pluribus uiris pro (vidis) et discretis.

(5) *Pelplin* vel *Peplin* villa regionis Starogardiensis, nobilis monasterio Cisterciensium a Mestwino Principe Gedanensi circa annum 1274 fundato.

CLXXVI.

Eodem anno, die et loco.

Proxime praecedens decimarum pactum, inter monasterium Olivense et Gervardum Episcopum Cujaviensem initum, approbatur (1).

Leop. v. Ledebur. Neues Allgem. Archiv für die Gesch. Preussens. T. II. Pars III. p. 245.

CLXXVII.

Uniejoviae, anno 1301 die 10 mensis Novembris.

Jacobus Archiepiscopus Gnesnensis commutat villam *Łagouo* cum villa *Turkowice* militis *Zemakonis* propria (1).

In nomine domini, amen. Nos Jacobus, diuina miseracione archiepiscopus gneznensis ecclesie, notum facimus vniuersis presentes literas inspecturis: quod melioracionibus bonorum ecclesie intendere cupientes, fratrum nostrorum, capituli videlicet gneznensis, consilio habito pariter et assensu, cum Zemakone milite et suis heredibus, permutacionem villarum seu hereditatum fecimus subscriptarum. Ita quod ab ipso et suis heredibus villam seu hereditatem *Turcouicy* wlgariter nuncupatam, situatam in castellania *spicimiriensi,* contiguam ville nostre *Turcovicy,* sic eciam nuncupate (2), recepimus cum pertinencijs ipsius ac utilitatibus omnibus, quecunque sunt in eadem et esse poterunt in futurum: sibi autem et suis posteris villam seu hereditatem ecclesie nostre gneznensis *Logouo* dictam (3), in castellania juuenis Wladislauie sitam, nomine permutacionis donauimus et tradidimus, ac eciam assignauimus, perpetuo possidendam, cum omnibus similiter utilitatibus, quecunque sunt et esse poterunt in eadem. Et quoniam villa seu hereditas memorati militis Zemakonis esse melior videbatur, sibi suisque posteris in supplementum addidimus et soluimus quindecim marcas usualis argenti. Ut autem inter nos et prefatum militem, nec non suos posteros, huiusmodi permutacio in perpetuum perseueret, et nulla super eadem dubietas oriatur, presentes sibi contulimus, sigillorum nostri et capituli nostri predicti munimine roboratas. Actum et datum aput (sic) *Uneyow,* in

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Wladislauiensis asseruato. Sigillum mediae figurae ex longo rotundum, appensum funiculo serico viridis coloris exhibet episcopum solio insidentem, infula ornatum, lituum leva manu tenentem, dextram vero manum arrectam habentem. Inscribitur autem: „*s. iacobi dei gra. sce gn. . . . ecce archepi. . . .*" Alterius abrupti sigilli restat funiculus sericus rubri coloris.

(2) *Turkowice* villa territorii et regionis Calissiensis, *Spicimierz* territorii Calissiensis regionis vero Wartensis, et parochiae Uniejoviensis.

(3) Hodie villa *Łagowo* territorii Posnaniensis, regionis vero Costensis.

vigilia beati Martini confessoris, anno domini M° C° C° C° primo. Presentibus: venerabili fratre, nostro fratre P. scopolensi episcopo, Gregorio uneyouiensi preposito, Johanne gneznensi canonico, nostro tezaurario, Johanne nostro procuratore gregoreuiensi, comite Mstyssio iudice syradiensi, Bogumilo judice nostre curie, ac alijs fide dignis.

CLXXVIII.

Wladislaviae, anno 1302 die 27 mensis Augusti.

Lesco et Premislaus Duces Cujaviae et Domini Wladislaviae testantur Wlodimirum Domicellum cum avia sua vidua quondam Comitis Andreae de *Slużewo*, partem quamdam haereditatis *Swinicze* coenobio Byssoviensi Cisterciensis ordinis vendidisse (1).

In nomine Domini, Amen. Cunctorum perit memoria factorum, que non litterarum presidio aut aminiculo caute fuerint insignita: Idcirco nos Lestko et Premislius, Dei gracia Duces Cujavie et Domini Wladislavie, notum esse volumus universis, presenti pagina publice protestantes: quod Vlodymirus Domicellus una cum avia sua, relicta comitis Andree de *Slusovia*, nostri in presencia constituti, usi consilio saluberrimo, non solum pro reformacione bonorum suorum, sed magis ob salutem et remedium suarum animarum, nec non suorum predecessorum pariter ac successorum, vendiderunt sortem cujusdam hereditatis, que *Svynicze* (2) wlgariter dicitur, secundum quod per nostrum ministerialem lymitibus est distincta, pro triginta marcis usualis monete, domino Bertoldo Abbati de *Byssovia* totique conventui ejusdem loci, jure hereditario perpetuo possidendam sub hac forma: videlicet: quod ipse Wlodimirus cum avia sua et cum heredibus suorum successorum, contra jam factam ordinacionem de cetero redimendi aut

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asservatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Duo sigilla majoris formae, vulgo a Ducibus Cujaviae usitata, appensa sunt filis sericis rubri coloris.

(2) *Swinice* villa territorii Bydgostiensis non procul a *Byszewo* et *Wtelno* sita. Neque indices villarum, nec tabulae geographicae exhibent eam, tamen situs ejus facile indicari potest e tabula proxime sequenti. *Slusovia* erit certo *Slużewo* villa territorii Cujaviensis, regionis vero Radziejoviensis.

requirendi, nullam prorsus habeant actionem. Hanc igitur ordinacionem Boguslaus dictus de *Nyvescino* ([3]) consangvineus predicti Vlodimiri inpedire volens, asserens se jus habere sorte in eadem, tandem ex inductu proborum virorum, et precipue Vlodimiri predicti et avie sue: ac eciam sua ad hoc voluntate attendente [? accedente]: cessit suo, et heredum suorum, ac ceterorum amicorum suorum nomine, a (sic) sorte predicta, renunctians omni juri et omni impeticioni, qua nunc in posterum frui possed (sic); resignans et assignans cum omnibus utilitatibus et proventibus, una cum Vlodimiro sepedicto et cum avia sua, abbati et conventui supradictis, supplicantes nobis ... ose unanimi de consensu, ut eandem suam resignacionem nostris litteris confirmare deberemus. Nos vero precibus ipsorum annuentes, profectui et commodo domus Byssoviensis intendere volentes, prefatam vendicionem et empcionem seu resignacionem, dicto domino Abbati et suo conventui,. nostreque fundacioni ratam et gratam habentes, eam cum omni jure et libertate nostri ducatus presentibus confirmamus. In cujus rei testimonium presens scriptum, nostrorum munimine sigillorum dignum duximus roborandum. Datum et actum in *Wladislavia*, hys presentibus: Comite Barthosio judice terre nostre, Comite Sdeslao dapifero, Nycolao vexillifero, Bozywogio alto (sic) et ... Domino Sgfrido (sic) subcancellario nostro, Domino Mychaële Capellano nostro, Anno Domini M° CCC° secundo, sexto Kalendas Septembris, in die Sancti Ruffi Martiris.

([3]) Sine dubio villa *Niewieszczyn* regionis Swiecensis.

CLXXIX.

Wyszegrodiae, anno 1302 die 23 mensis Decembris.

Premislaus Dux Cujaviae et Dominus Wyszegrodiensis et Bydgostiensis limites villae *Swinicze* monasterii Byssoviensis Cisterciensis ordinis propriae constituit et designat ([1]).

In nomine Domini, Amen. Noverint universi presentes visuri et audituri: quod nos Premislius Dei gracia Dux Cuyavie, et Dominus in *Wissegrod*

([1]) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario provinciae Posnaniensis privilegia sublatorum coenobiorum continente asseruatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Sigillum

Bydgost, cupientes calumpniis viam obstruere, et quibuslibet litigacionibus materiam submovere, ad peticionem Religiosorum virorum et nobis dilectorum, Bertoldi Abbatis et conventus de *Byssovia* ordinis Cysterciensis, Wladislaviensis dyocesis, gades et terminos cujusdam sortis sive hereditatis, que *Svinicze* wlgariter dicitur, et ad bona, que *Vitelno* nuncupantur, antiquitus pertinebat, in presentibus duximus exprimendos, cum in aliis nostris litteris supra (sic) contractu confectis dicte sortis seu hereditatis prefati termini non sunt sexpressi. Sunt autem iste gades, quas per fidelem nostrum Barthosium judicem terre nostre mandavimus distingui: venditorum nichilominus accedente consensu: Primo incipiendo a finali meta, que dividit inter *Goscyrazc* et *Dampbrovcam* et *Vitelno* et *Svinicze,* directe usque ad paludem, que jacet circa antiquum *Svinicze,* et ab eadem palude directe usque ad viam, que vadit de *Vitelno* in Byssoviam, que via dividit inter *Gogolyn* et *Suinicze* usque ad viam, que vadit de *Svinicze* versus *Nessmum,* per viam *Byssovie,* et ab eadem via directe usque ad collem, qui dicitur wlgariter *Brsosova gora,* qui eciam dividit inter *Gogolyn* et *Suinicze,* et ab ipso colle directe usque ad quandam fossam, que wlgariter dicitur *Tyrscenni dol,* que fossa finalis meta est inter *Gogolyn* et *Sedlno* et *Svinicze,* et ab eadem fossa directe usque ad metam finalem inter *Wansosnam* et *Dampbrovcam* et *Suinicze,* usque ad metam, ubi primo inchoatum est, que dividit inter *Goscyracz* et *Dampbrovcam* et *Vitelno* et *Suinicze* (2). Quidquid igitur intra istos terminos continetur, ad predictam sortem seu hereditatem, videlicet *Suinicze* pertinet ex antiquo, quod abbas et conventus memorati monasterii, jure perpetuo, justo empcionis tytulo, possidebunt. Has autem litteras dictis Abbati et Conventui, de certa nostra sciencia dari mandavimus, approbantes

majoris formae exhibens tantum insigne Cujaviensis provinciae appensum est filis sericis fulvi et rubei coloris.

(2) Limitum designatio hic expressa explet quoddammodo eam, quae ad annum 1296 tabula CLX. p. 138 exhibita est. Villae pago *Byszeviae* adjacentes sunt hic accuratissime descriptae: eaedem, quae in tab. CLX., occurrunt hic villae *Wtelno* et *Gogolin.* *Goscieradz* villa non procul abest a *Wtelno.* *Dąbrówka* bodie villa *Dąbrowka Nowa* (Neu Dombrowka), *Nessmus* sine dubio villa *Netzmühle*, vel *Nimcz*, *Niemcz* in propinquo superius laudatarum villarum sitae, *Sedlno* (Saltno) ibidem, *Wansosna* est *Więzowno*, villae, quae non longe a villa Gogolin distant omnes territorii et regionis Bydgostiensis. Villa *Suinicze* nec in tabulis geographicis occurrit, neque in Indicibus locorum est allata.

tam vendicionem prefate sortis seu hereditatis, quam limitacionem, ipsas tenore presencium benivole confirmantes. In cujus rei testimonium et firmitatem, sigillum nostrum duximus apponendum, presentibus hys: Bogumilo subcamerario nostro, Barthosio judice terre nostre, Nycolao vexillifero nostro, Domino Mychaële Capellano nostro, Mychaële dicto Wenczekobila, Vlodario nostro, et aliis quam pluribus fide dignis. Datum et actum in *Wiszegrod* castro nostro (3), Anno Domini M° CCC° secundo, decimo Kalendas Januarii.

(3) De hoc castro *Wyszegrod*, quod non est confundendum cum *Wyszegrod* in provincia Plocensi sito, vid. T. I. h. C. p. 131 nota 2.

CLXXX.

Brestiae, anno 1303 die 25 mensis Januarii.

Tassa de Wissenburch Capitaneus Cujaviae et Pomeraniae testatur Comitem Stanislaum de *Brese*, villam *Roskidlin* Hannussoni civi Brestensi vendidisse (1).

In nomine domini, amen. Quoniam que cum tempore geruntur, simul et cum tempore labuntur: ut presens etas et futura posteritas memoriam huius scripti habeat ualituram, hinc est, quod nos Tassa dictus de *Wissenburch* capitaneus Cuiauie et Pomoranie, notum esse uolumus uniuersis, ad quos presens scriptum deuerit (sic): quod nobilis comes dominus Stanislaus dictus de *Brese*, villam *Roskidlin* dictam (2), vendidit viro discreto Hannussonj ciui in *Brezc* (sic), et suis successoribus libere perpetuo possidendam. In hujus

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Wladislaviensis asservato. Duo sigilla taeniola pergamena appensa jam destructa. In uno eorum vestigium insignis *Strzemię* dicti conspici potest.

(2) Plures sunt villae *Brzeze* dictae, sed hic certe agitur de ea, quae est in territorio Cujaviensi, regione Brestensi. Villa *Roskidlin* nusquam apparet: tamen in propinquo fuerit necesse est, quum in auersa hujus tabulae parte annotatum sit, eam in clave Wladislaviensi sitam esse. In libro Metrica Regni dicto N^ro^ LIII. p. 9. Sigismundus Rex a. 1538, confirmat privilegium, quod Casimirus Rex cuidam Franconi molendinatori de *Roskidalino*, remuneraturus ejus labores, quos in exstruendis molis regiis in fluvio *Wsdroie* dicto prope villam *Roskidalino*, in terra Cujaviensi sitam, praestiterat, a. 1358 concessit.

rei testimonium perhibemus (sic): nos Sprezlaus burcrauius, et Dobeslaus de lapide [? a] ecclesia, Gotto iuuenis, Reinhardus, Martinus et alij quam plures. Datum per manus Goklaci notarij, in *Brezk* (sic), in die conuersionis sancti Pauli, anno domini M° C° C° C° tercio. Ne igitur uero per ipsum, aut per suos successores, aliqua possent (sic) oriri calumpnia (sic), presens scriptum suo et nostro sigillo fecimus roborarj.

CLXXXI.

Toruniae, anno 1303 *die* 15 *mensis Novembris.*

Litera Lesconis Ducis Cujaviae, qua terram Michaloviensem Ordini Teutonicorum obligat.

Stronczyński „Wzory pism dawnych" p. 22 N^ro^ 21.

CLXXXII.

Juniwladislaviae, anno 1303 *d.* 13 *m. Decembris.*

Lesco, Premislaus et Casimirus Duces Cujaviae Obezano Clavigero de Szostka scultetiam villae *Skotniki* in perpetuum largiuntur.

Tom. I. hujus Codicis p. 166 N^ro^ XCVI.

CLXXXIII.

Dobrini, anno 1304 *die* 15 *mensis Julii.*

Ziemovitus Dux Dobrinensis tres vilas suas dictas *Makowo*, Andreae cuidam dicto de Cracovia, sub clientelae necessitudine in perpetuum possidendas donat, egregia in se merita ejus sic remuneraturus.

Ibidem p. 167 N^ro^ XCVII.

CLXXXIV.

Juniwladislaviae, anno 1304 d. 30 m. Septembris.

Joannes filius Comitis Lupi villam *Beryno* Bertoldo Abbati monasterii Byssoviensis ordinis Cisterciensis coram ducibus Cujaviae Premislao et Casimiro vendit (1).

In nomine Domini, Amen. Provide ac prudenter gesta mortalium quelibet disponuntur, dum id, quod agitur, scriptis et testibus auctenticis (sic) roboratur. Nos igitur Premislius et Kazimirus dei gracia Duces Cuyavie et Domini Wladislavie, omnibus, ad quos presens scriptum devenerit, volumus esse notum: quod Johannes, filius Comitis Lupi, quondam Palatini Brescensis, cum consilio et consensu fratris sui Floriani, et aliorum fratrum suorum patruelium, Scarbimiri, Jacobi et Stanizlai, villam suam in territorio Bydgostiensi sitam, *Beryno* dictam (2), que ipsum a paterna successione contingebat, quam fratri Bertoldo Abbati Byssoviensi Ordinis Cysterciensis, et ejus conventui, pro septuaginta marcis vendidit: exclusis omnibus, qui aliquod jus ad eandem habere videbantur, spe redempcionis pecuniarie penitus abjecta: ipsam cum toto fluvio, qui wlgariter *Dbra* nuncupatur, cum naulo et piscatura, cum omnibus ac singulis utilitatibus et pertinenciis suis, videlicet agris, pratis, silvis, pascuis, nemoribus, aliisque fructibus et proventibus, que nunc sunt, aut in futurum emergi poterunt: secundum quod est in suis terminis seu gadibus antiquitus limitata: prefato (sic) domui Byssoviensi et conventui fratrum ibidem, jure hereditario perpetuo tenendam, habendam, ac eciam possidendam coram nobis et nostris Baronibus resignavit. Nos itaque de dicte domus Byssoviensis et fratrum eorundem

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asservatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Huic tabulae appensa sunt duo sigilla, horum unum admodum destructum pendet funiculo serico rubei coloris, alterum abruptum.

(2) *Bierzyn* villa territorii Cujaviensis, regionis vero Brestensis. Alia villa ejusdem nominis est in M. D. Posnaniensi versus Silesiam sita: sed ex proxime sequenti tabula videmus *Dbram* esse hodiernum fluvium *Brdam*, qui non procul ab urbe Bydgostia in Vistulam influit, itaque villam *Bierzyn*, de qua hic agitur, huic fluvio adjacuisse oportet, in propinquo *Byszewiae* et *Wtelno* sitam, sicut et villam *Goscieradz* in sequenti tabula occurrentem.

promocione diligencius intendentes, ipsi domui et fratribus ibidem prenotatam villam *Beryno* cum toto fluvio, qui *Dbr[illegible]* dicitur, cum naulo, piscatura, et omnibus utilitatibus, ac pleno nostro dominio et judicio, jure hereditario possidendam in perpetuum per presentem litteram confirmamus. Preterea adicimus, ut coloni sepedicte ville *Beryno,* nec a judicio castri, nec ab *oppole,* si citati fuerint, debeant comparere, coram nullo, nisi coram Abbate aut ejus vicario, quem ipse Abbas constituerit, pro qualibet causa respondere tenebuntur. Ut autem presens instrumentum robur perpetue firmitatis obtineat, ipsum nostris sigillis decrevimus communiri, cum annotacione testium subscriptorum: Bronisio Palatino (sic), Bartossio Castellano Wladislaviensibus, Johanne Castellano Wyszegrodensi, Unislao subcamerario Wladislaviensi, Petro dicto Manthosch, Theoderico de Thuran, et aliis quam pluribus fide dignis. Actum et datum in *Juveni Wladislavia,* feria quarta in crastino Beati Archangeli Mychaëlis, Anno Domini M° CCC° quarto.

CLXXXV.

Wladislaviae, anno 1304 die 30 mensis Septembris.

Scarbimirus filius Comitis Dobeslai quondam Dapiferi Brestensis et filius ejus Joannes Bertoldo Abbati coenobii Byszoviensis Cisterciensis ordinis coram ducibus Cujaviae Premislio et Casimiro villam *Goscieradz* vendunt (1).

In nomine Domini, Amen. Acta hominum delet oblivio, que nec scriptis, nec testibus perhennantur. Nos igitur Premislius et Kazymirus dei gracia Duces Cujavie et Domini Wladislavie, omnibus ad quos presens scriptum pervenerit, volumus esse notum: quod Scarbymirus filius Comitis Dobeslai, quondam Dapiferi Brescensis, una cum filio suo Johanne, de con-

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asseruatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Huic tabulae appensa erant duo sigilla: horum unum abruptum, alterum pendens filis sericis rubri et viridis coloris, est sigillum majus Casimiri Ducis Cujaviae, exhibetque insigne provinciae Cujaviensis. Cera hujus sigilli est vulgaris.

silio et consensu filioli sui Scarbymiri, et fratrum suorum patruelium Floriani, Johannis, Jacobi et Stanizlai, villam suam in territorio Bydgoscensi sitam, *Goscirad* dictam (²), que ipsum a paterna successione contingebat, quam fratri Bertoldo Abbati Byssoviensi Ordinis Cystercionsis, et ejus Conventui, pro nonaginta marcis denariorum usualium et stamine griseo vendidit: exclusis omnibus, qui aliquod jus ad eandem hereditatem habere videbantur, spe redemptionis pecuniarie penitus abjecta: ipsam cum toto fluvio, qui *Dbra* wlgariter nuncupatur, cum piscatura, et omnibus et singulis utilitatibus et pertinenciis suis, videlicet: agris, pratis, silvis, pascuis, nemoribus, aliisque fructibus et proventibus, que (sic) nunc sunt, aut in futurum emergi poterunt: secundum quod est in suis terminis seu gadibus antiquitus limitata: prefate domui Byssoviensi et conventui fratrum ibidem, jure hereditario perpetuo tenendam, habendam, ac eciam possidendam, coram nobis et nostris baronibus resignavit. Nos igitur de dicte domus Byssoviensis promocione diligencius intendentes, ipsi domui et fratribus ibidem prenotatam villam *Goscirad* cum toto fluvio, qui *Dbra* dicitur, cum piscatura et omnibus utilitatibus ac pleno nostro dominio et judicio, jure hereditario possidendam in perpetuum per presentem litteram confirmamus. Preterea adicimus, ut coloni sepedicte ville *Goscirad* nec judicio Castri, nec ab *Oppole*, si citati fuerint, debeant comparere, coram nullo, nisi coram Abbate, vel ejus vicario, quem ipse Abbas constituerit, pro qualibet causa respondere tenebuntur. Damus eciam eis plenariam libertatem in prefata hereditate, ita, ut ab omnibus laboribus, exactionibus, solucionibus, vecturis, araturis, a *prevod, a povorove*, a *podvolove* (sic), a *povoz*, a *bivoz*, a *naraz*, a *vymeth*, a *nastava*, a *vesnica*, a *mostne*, a *poradlne*, a *strosa*, a *bove*, a *vacca*, a *porco* et ab aliis universis gravaminibus, quibuscunque nominibus censeantur, predicti fratres cum hominibus eorum, in jam dicta hereditate residentibus, exempti sint penitus et immunes. Ut autem presens instrumentum robur perpetue firmitatis obtineat, ipsum nostris sigillis decrevimus communiri. Presentibus hys testibus: Bronisio Palatino Wladislaviensi, Barthosio Castellano Wladislaviensi, Johanne Castellano Wyssegrodensi, Unislao subcamerario Wladislaviensi, Petro cive dicto Mantosch, Theoderico de *Thuran*, et aliis

(²) *Goscieradz*, villa territorii et regionis Bydgostiensis, in M. D. Posnaniensi.

quam pluribus fide dignis. Actum et datum *Wladislavie,* feria quarta in crastino Sancti Michaëlis Archangeli, anno Domini Millesimo CCC° quarto.

CLXXXVI.

Toruniae, anno 1304 die 14 mensis Octobris.

Oppignoratio Territorii Michaloviensis a Lescone Duce Cujaviae Ordini Teutonico facta pro trecentis Marcis Denariorum Thorunensium.

Dogieli Codex dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 36 Nro XLIV. — Stronczyński „Wzory pism dawnych" p. 24 Nro 22. — Długossii Hist. Pol. T. I. Lib. IX. p. 907 (ed. Lip.). — Acta Borussica T. III. p. 375.

CLXXXVII.

Eodem anno, die et loco.

Conradi Sacci Magistri Ordinis Teutonici in Prussia recognitio, quod terram Michaloviensem a Lescone Duce Cujaviae pro summa trecentarum marcarum denariorum Thorunensium oppigneratam acceperit conditionibus supra expressis.

Dogieli Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 37 Nro XLV. — Długossii Hist. Pol. T. I. p. 907 (ed. Lip.). — J. Du Mont Corps universel diplomatique T. I. p. 338 Nro 590.

CLXXXVIII.

Juniwladislaviae, anno 1305 d. 15 m. Decembris.

Premislaus Dux Cujaviae et Dominus Wladislaviae nec non Wyszogrodiae partem haereditatis *Trzęsacz* dictae, in territorio Wyszogrodiensi sitae, monasterio Byssoviensi ordinis Cisterciensis ablatam, eidem restituit (¹).

In nomine Domini, Amen. Nos Premislius Dei gracia Dux Cuyavie et Dominus Wladyslawie, ac de Wisegrod. Notum facimus universis presen-

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente, asseruatur descripsit doctissimus Stronczyński. Sigillum majoris

tes litteras inspecturis: quod cum religiosi viri Bertholdus, Dei miseracione Abbas et Conventus Monasterii de *Byssovia,* ordinis Cysterciensis, nobis cum querimonia detulissent, quod quedam pars hereditatis domus eorum, jacentis in districtu Wisegrodensi (2), que hereditas *Thransach* wlgariter nuncupatur, olim eis et monasterio ipsorum ablata esset per quosdam violentos: que nunc in dominio nostro erat: supplicantes nobis humiliter, quatenus eis, ut eandem partem rehibere possent, dignaremur devocionis studio, divine remuneracionis intuitu, providere; Nos nolentes cum aliena jactura dicari [? ditari], pro remedio animarum nostre et fratrum nostrorum dilectorum, dominorum Ducum ibidem Lesteconis et Kasimiri, concessimus eisdem, ut, quantamcunque partem dicte hereditatis jurarent sibi fore ablatam violenter, tantam eis restitueremus: concesso ipsis ad hoc faciendum mediatore, Domino Michaële plebano de *Thuchno* Capellano nostro (3). Quia vero in presencia ejusdem mediatoris memoratus Dominus Bertholdus Abbas, frater Johannes dictus Nekisdalo, frater Detricus, et frater Gerhardus, ejusdem domus et ordinis, ad ordinem suum juraverunt: quod a fluvio *Wysla*, ubi est rivulus, qui vocatur *Rekta,* usque ad montem *Crempera,* et a monte ipso usque ad stratam publicam, que ducit de *Wisogrod* versus *Svece,* per campos de *Ganche* (4), et ab ipsa via usque ad terminos antiquos, ad ipsorum monasterium antiquitus pertinebat, et eis per violenciam ipsa pars hereditatis ablata fuit: set et vicinia, que ibi est, que ad hoc congregata seu convocata extitit, ita esse asseruit: prout nobis predictus retulit mediator; Nos eis et monasterio ipsorum de *Byssovia* predicto, memoratam partem hereditatis, prout superius distinctum est, restituimus volentes, quod ipsam,

formae, exhibens solum insigne provinciae Cujaviensis, expressum in cera vulgari appensum est funiculo serico flavi coloris. Ex aversa sigilli hujus parte impressum est sigillum minoris formae cum scuto, ad insignia effingenda accomodato, oblique posito, galea et tribus pennis struthiocamelinis adornatum.

(2) Regio *Wyszogrodiensis* sortita est nomen suum ab arce sive castro Wysłogrod de quo mentio est in nota 2 anni 1289 p. 131 T. I. h. C. Teste Naruszevicio regio *Wyszogrodiensis*, posteris temporibus nomen regionis Bydgostiensis accepit. Naruszewicz „*Histor. Nar. Polsk.*" annus 1377 cap. XIX. M. Cromeri „*de rebus gestis Polonorum libri XXX.*" Coloniae Agrippinae M. D. L. XXXIX. p. 299. „Ludouicus . . . dedit Vuladislao Dobrinensem ditionem atque Bydgostiensem, quę antiquitus *Vissegradensis* vocata fuit."

(3) *Trzęsacz* et *Tuczno* villae jam descriptae. Vid. T. I. h. C. p. 131 — 132 et p. 167.

(4) Fortasse *Gąszcz* villa territorii et regionis Bydgostiensis.

sicut est eorum, perpetuo debeant possidere. In cujus rei testimonium, presentes eis dedimus litteras nostri sigilli munimine roboratas. Datum *Wladislavie* in castro nostro, XVIII. Kalendas Januarii, Anno Domini M° CCC° quinto; presentibus Dominis baronibus nostris: Bronisio palatino, Jascone de *Wisegrod,* Andrea de *Slonsco* (5), Castellanis, Dobeslao vexillifero, Petro Mancosyz, et domino Mychaële predicto plebano de *Thuchno* Capellano nostro. Datum per manum Magistri Petri, plebani de Gnevcovia subcancellarii nostri.

(5) Est villa *Słońsk* in territorio Cujaviensi regione Radziejoviensi sita, est etiam altera villa *Słońsk,* territorii et regionis Juniwladislauiensis M. D. Posnaniensis.

CLXXXIX.

Toruniae, anno 1306 die 25 mensis Januarii.

Advocatus et cives oppidi Brestensis, Episcopis Wladislaviensi et Culmensi, nec non ordinis Teutonici in Prussia Magistro intervenientibus, cum Paulo de Pauelsteyn Regis Bohemiae in Polonia procuratore inducias ad diem 28^{vam} mensis Septembris duraturas ineunt, ut per eas Dux Wladislaus Locticus Brestiae cum Rege Bohemiae de pace pacisci possit.

Tom. I. hujus Codicis p. 172 Nro XCIX.

CXC.

Eodem anno, die et loco.

Consules Juniwladislaviensis civitatis, inducias, quas cum Paulo de Pauelsteyn usque ad diem 29 mensis Septembris duraturas inivernnt, Premislaum eorum Ducem Cujaviensem et Juniwladislaviensem etiam conservaturum, et aditum ad arcem civitatemque Baroviensem eidem a Bohemis restituendam, obveniente belli contra Wladislaum Locticum necessitate, copiis Bohemorum patefacturum, in se recipiunt; nec non de licentia eorundem militum tunc et Juniwladislaviam intrandi, variis conditionibus disceptant.

Ibidem p. 175 Nro C.

CXCI.

Eodem anno, die et loco.

Premislai Ducis Cujaviae Juniwladislaviensis, de portorio Radziejeviensi, cum Paulo de Pauelsteyn pactio.

Ibidem p. 177 Nro CI.

CXCII.

Golubii, anno 1306 die 3 mensis Februarii.

Ziemowitus Dux Dobrinensis Ordini Teutonico 250 jugera in Terra Michaloviensi jacentia donat, exceptis auro argentoque, nec non aliis metallis, quaecunque in fundo detegi possint.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. II. p. 62 Nro 53.

CXCIII.

Juniwladislaviae, anno 1306 die 14 mensis Martii.

Milites Ymislaus et Chebda de Slussow monasterio Cisterciensium Byszeviensi coram Premislao Duce Cujaviae et Domino Wladislaviae villam *Cethrevez* in territorio Wyszogrodensi sitam vendunt (1).

In nomine Domini, Amen. Quoniam facta hominum per decursum temporis in oblivionem faciliter dilabuntur, nisi scripture testimonio vel

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asseruatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Sigillum majus de cera vulgari pendet funiculo serico rubri et flavi coloris, repraesentatque solum insigne provinciae Cujaviensis. Ejusdem archetypi est ibidem aliud quoque exemplar, nulla varia lectione discrepans.

testium adminiculo fuerint memorie commendata, eapropter nos Premislius Dei gracia dux Cujavie et Dominus Wladislavie, notum facimus universis presentes litteras inspecturis: quod constitutis in nostra presencia Ymislao ac Chebda de *Slusow* militibus nostris, et fratre Gerhardo, procuratore seu sindico Religiosorum virorum fratrum Bertoldi Abbatis et Conventus ac monasterii de *Byssovia* ordinis Cysterciensis: prefati Ymislaus et Chebda ipsorum et omnium heredum ac successorum suorum nomine, ac eciam quibus aliquid juris competere poterat, villam, hereditatem, seu possessionem suam, que *Cethrevez* wlgariter nuncupatur, jacentem in territorio Castri *Wissegrodensis*, cum sorte seu hereditate adjacente ibidem, que *Gelitovo* vocatur (2), memoratis Abbati et conventui ac monasterio vendiderunt, tradiderunt et resignaverunt pro centum marcis denariorum et monete Thorunensis, volentes, quod villa, hereditas, seu possessio ac sors predicte, cum omnibus juribus, utilitatibus, et pertinenciis suis, prout in suis metis seu terminis circumferencialiter distincte sunt, ad dictos Abbatem, Conventum, et Monasterium pertineant perpetuo pleno jure; et quod ipsi Abbas, Conventus et Monasterium, villam seu hereditatem ac sortem vel hereditatem easdem jure hereditario et proprietatis a modo tenere, possidere debeant et habere. Nobisque supplicarunt Ymislaus et Chebda milites prefati, quatinus Abbati, conventui, ac Monasterio predictis, possessiones et hereditates memoratas, dignaremur cum omni jure et jurisdictione ducali conferre, ac ipsorum vendicionem gratam et ratam habentes, scripture patrocinio confirmare. Nos igitur eorundem Ymislai et Chebde vendicionem, et dictorum Abbatis et conventus empcionem gratas habentes et ratas, eas tenore presencium confirmamus. Concedentes eidem Abbati et conventui de gracia speciali, quod villam seu hereditatem ac sortem predictas, jure Theutonico Meydburgensi, vel alio quocunque locare possint, ad quod inhabitatores ville seu hereditatis ac sortis ipsarum et allodiorum, si qua dicti Abbas et Conventus in agris earundem villarum locaverint, dictum jus Theutonicum habeant, et ipso gaudeant et utantur; et quod ipsos noster provincialis advocatus, aut alius judex, non debeat judicare, sed abbas, vel cui ipse

(2) Prior villa est *Cietrzewice* hodie *Trzeciewiec* regionis Swiecensis: villam *Jelitowo* eidem adjacuisse necesse est, quae tamen in Indicibus non occurrit.

commiserit vices suas. Concedimus eciam predictis fratribus, ut ipsas hereditates ordinent secundum suam utilitatem, tam sub terra, quam supra terram, in agris, silvis, pratis, pascuis, aquis, mellificiis, piscationibus, venacionibus, et cum aliis pertinenciis suis ita, quod coloni manentes in eisdem bonis plenaria gaudeant libertate videlicet: a *prevod,* a *podvolove,* (a) *podvorove,* a *povoz,* a *wivoz,* a *naras,* a *wimeth,* a *nastava,* a *vesnica,* a *mostne,* a *poradlne,* a *stroza,* a *bove,* a *vacca,* a *porco,* et ab omnibus aliis servitutibus polonicalibus, solucionibus et exaccionibus, quocunque vocabulo censeantur, liberi sint penitus et immunes. Ut autem omnimoda gaudeant libertate, volumus eos sepedictas hereditates cum omni jure, jurisdictione ac judiciis quibuscunque, in omnibus omnino locis dictarum hereditatum, nec non in viis publicis et privatis, plene et integraliter cum dominio nostri ducatus perpetue possidere. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri, et sigilli nostri appensione mandavimus roborari. Actum et datum *Wladislavie* in castro nostro, idus (sic) marcii, Anno Domini M° CCC° sexto, presentibus dominis: Jaroslao de Bydgoscia, Johanne de *Wissegrod* Castellanis, Petro mancosyz, Theoderico de Thuran civibus Wladislavie, Mychaële de *Thuchno* (³), et magistro Petro de *Gnevcovia* plebanis, Capellanis nostris, et aliis multis nobilibus ac fide dignis.

(³) *Tuczno* villa territorii Bydgostiensis, regionis vero Juniwladislaviensis.

CXCIV.

Byszeviae, anno 1306 mense Decembri.

Wladislaus Dux Cracoviae, Sandomiriae, Poloniae, Pomeraniae, Cujaviae, Lanciciae, Syradiae, venditionem villae *Wanchowarsko* monasterio Cisterciensium Byszeviensi factam, ratam esse jubet (¹).

In nomine Domini, Amen. Quod magnifica principum decrevit auctoritas, ratum atque stabile debet permanere. Nos igitur Wladislaus dei

(¹) Ex archetypo mebranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asservatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Sigillum provinciae Cujaviensis appensum est filis sericis coloris rubri, viridis et flavi.

gracia terrarum Cracovie, Sandomirie, Polonie, Pomeranie, Cuyavie, Lancycie, Syradie Dux, notum facimus universis tam presentibus, quam futuris presentem paginam inspecturis: quod Malha, Budywogius, Johannes et Woymirus filii quondam Martini et Woymiri, accedentes ad presenciam nostram et baronum nostrorum, protestati sunt libere et liberaliter vendidisse hereditatem suam in territorio *Naklensi* sitam, que *Wanchowarsco* (²) wlgariter dicitur, cum singulis utilitatibus, que intra terminos et limites eidem ville dinoscuntur pertinere, Domino Bertoldo Abbati de Byssovia, et toto conventui ibidem, pro quinquaginta et quatuor marcis monete Thorunensis, tali modo: quod ipsi et omnis posteritas ipsorum perpetuo et perpetualiter nullum jus requirendi aut repetendi habeant predictam hereditatem, sed prefati Abbas et Conventus ipsam cum pratis et lacubus, rivis, silvis, et nemoribus, atque omnibus aliis utilitatibus et proventibus, pacifice et quiete jure perpetuo debeant possidere. Nos vero predictam vendicionem et empcionem ratam gratamque habentes, eisdem fratribus sepedictam hereditatem confirmamus, et damus eis plenam libertatem in eadem hereditate, ac potestatem locandi eam jure Theutonico, quod Meydburgense dicitur, cum omni jure ducatus nostri, nichil omnino pro nobis reservantes. In cujus rei testimonium presentes conscribi fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Presentibus hys testibus: Comite Troyano Castellano de Nakel, Comite Henrico filio Swantoslay et fratre ejus Sandywogio, Petrchone filio Bozate, Prseslao filio Prseslay, et alijs multis fide dignis. Actum Anno Domini Millesimo trecentesimo sexto. Datum in *Byssovia* infra octavas beati Andree Apostoli.

(²) Haec villa nec in antiquo territorio Naklensi, neque in territorio Bydgostiensi occurrit.

CXCV.

Gedani, anno 1306 die 17 mensis Decembris.

Wladislaus (Lokietek) heres Regni Poloniae attestatur, controuersiam inter Petrum de *Nowinburk* filium Swencae, et Gerwardum Episcopum ecclesiae Wladislaviensis de iniuriis eidem ecclesiae illatis exortam, per certos arbitros compositam esse (¹).

In nomine domini, amen. Nos Wladislaus dei gracia dux terrarum Cracouie, Sandomirie, Pomoranie, Cuyauie, Lancycie, Syradie, ac verus heres tocius Regni Polonie, per hec scripta publice protestamur: venerabilem in Christo patrem dominum Gerwardum episcopum wladislauiensis ecclesie, impresencia (sic) nostra nostrorumque Baronum constitutum, innumerabilem querimoniam proposuisse contra Petrum de *Nowinburk* (²), filium Swence palatini Gdanensis, pro dampnis et iniurijs sibi, et ecclesie sųe Wladislauiensi, per eundem Petrum illatis: tandem de proborum hominum consilio, utraque pars eandem controuersiam volens debito modo amputare, compromisit in nobiles viros; videlicet dominus episcopus pro parte sua in Wyrbentam cracouiensem, Kelczonem poznaniensem palatinos, Clementem castellanum syradiensem, dominum Stanislaum prepositum Cruswyciensem; Petrus vero pro parte sua, in Bronisium quondam palatinum Cuyauie, Bogusam iudicem Pomoranie, Woyslaum castellanum de *Puczk*, Johannem dictum de Pen, promittentes ad manus nostras bona fide ratum et firmum tenere, quicquid per predictos arbitros fuerit ordinatum, seu eciam diffinitum. Qui secedentes in partem, auditis allegacionibus hinc inde partis utriusque, discucione (sic) et examinacione diligenti prehabita, predictus (sic) Petrus (sic) domino episcopo supradicto et sue ecclesie pro dampnis, iniurijs ac oppressionibus, in dominijs episcopalibus factis, in duobus milibus sentencialiter

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario capituli Wladislaviensis asservatur, descriptum. Unum sigillum parvae figurae deletum pendet pendet funiculo serico coloris rubri.
(²) *Neuenberg* (polonice *Nowe*) oppidum in laeva parte Vistulae situm in loco editiori, ubi rivus *Montau* in Vistulam influit, hodie in territorio Kwidzynensi regione Swiecensi cum antiqua arce. In propinquo est etiam praedium rusticum *Neuenburg* dictum. Cf. Mülleri index.

condempnarunt: sepedictusque Petrus consensit spontanea voluntate sentencie ipsorum, ponens in eadem pecunia fideiussores inferius annotatos, in mille quingentis marcis torunensis monete, et hereditatem suam dictam *Sroczk* (3), nulli alteri debitam de nostro assensu et uxoris sue et fratrum suorum obligauit. Fideiussores autem hij sunt: nos Wladislaus dux predictus primo et principaliter in ducentis marcis, Swencza palatinus Gdanensis in ducentis marcis, Woyslaum (sic) castellanum de *Puczk* in centum marcis, Petrum (sic) subcamerarium *Stolpensem* in centum marcis, Ramutonem (sic) filium Zywani in ducentis marcis, Scyborium (sic) filium Scyborij in ducentis marcis, Jacobum (sic) filium Vneslay in centum marcis, Laurencium (sic) filium Swence in ducentis marcis, Swenczkam (sic) filium Laurencij in centum marcis, Petrus vero solus in centum marcis. Qui omnes eandem pecuniam, nomine Petri predicti, in tribus terminis eidem domino episcopo, se coram nobis obligarunt finaliter ad soluendum. Scilicet primam partem in festo penthecostes proximo nunc venturo, secundus (sic) in festo beati Martini proxime nunc instanti, tercius et finalis in die nathalis (sic) Christi. Hereditatem autem, que *Sroczko* dicitur, eodem termino et die nathalis Christi exemere debebit in quingentis marcis; quam si tunc non redemerit, extunc cum nostra ratihabicione, consensu ac eciam voluntate, et ex admissione iam facta, eadem hereditas iure perpetuo ac hereditario, ad dominum episcopum predictum, et ad suos successores cum omnibus utilitatibus, iuribus ac pertinencijs, et cum iure patronatus, pertinebit. Si autem predicta pecunia in primo termino, festo penthecostes, in parte aut in toto non fuerit exsoluta, extunc hij fideiussores: Laurencius filius Swence, Woyslaus de *Puczk* castellanus, Jacobus Uneslay, Ramuth filius Zywani, Scyborius filius Scyborij, *Thorun* ciuitatem intrare tenebuntur, nec de eadem prius exire, nisi pecunia termini predicti fuerit exsoluta. In festo autem beati Martini similiter, si pecunia secundi termini non fuerit in toto aut in parte exsoluta, extunc Swencza palatinus, Petrus subcamerarius stolpensis, Swencza Laurencij (sic) *Thorun* intrare tenebuntur, nec de eadem prius exituri, nisi pecunia predicti termini fuerit exsoluta. In ultimo

(3) Procul dubio *Syrock* villa publica quondam in capitaneatu Jasinicensi, regione Swiecensi in palatinatu Pomeraniae sita.

autem termino, aut aliquo ipsorum, Petrus solus pro centum marcis et pro tota pecunia, si in eisdem terminis non fuerit plenarie pecunia exsoluta, ciuitatem *Thorun* intrare tenebitur et in eadem manere tamdiu, quousque predicta pecunia integraliter domino episcopo uel suis successoribus persoluetur. Si autem, quod absit, de ipsis aliquo medio tempore humanitus euenerit, eorum heredes et successores legitimi, tenebuntur domino episcopo ad satisfaciendum de pecunia memorata, et ad omnia peragenda, que superius sunt expressa, bona ipsorum immobilia in prefata pecunia domino episcopo erunt nichilominus obligata. Ita quod in opcione domini episcopi erit, uel bona ipsorum decedencium tenere, uel a successoribus et heredibus exigere peccuniam (sic) memoratam. In huius rei testimonium, presentes conscribi fecimus, sigillo nostrorumque fidelium et nostro, et fideiussorum predictorum, munimine (sic) roborantes. Datum et actum in *Gdanczk,* XVI° Kalendas Januarij, anno domini M° C° C° C° sexto.

CXCVI.

Cracoviae, anno 1307 die 4 mensis Februarii.

Wladislaus (Lokietek) heres Regni Poloniae villam *Przypust* Gerwardo Episcopo Wladislaviensi, pignori obligat (¹).

Nouerint uniuersi presencium noticiam habituri: Quod nos Wladislaus dei gracia dux Cracouie, Sandomirie, Pomoranie, Cuyauie, Lancycie, Syradie, ac verus heres tocius Regni Polonie in presencia nostrorum baronum, videlicet Wyrbete (sic) palatini cracouiensis, Kelczonis palatini poznaniensis, et Clementis castellani syradiensis, venerabili in Christo patri domino Gerwardo, episcopo wladislauiensis ecclesie, hereditatem nostram dictam *Pripust,* sitam in terra Cuyauiensi (²), obligamus in sexaginta marcis et

(¹) Ex archetypo membranaceo, in tabulario capituli ecclesiae Wladislaviensis asservato, descriptum. Sigilli abrupti superest tantum funiculus sericus viridis coloris.

(²) *Przypust* villa provinciae Masoviensis, territorii Cujaviensis, regionis Radziejoviensis, prope Nieszaviam sita.

dimidia monete Thorunensis, usque ad festum Penthecostes proxime venturo (sic), et infra predictum tempus, ecclesie wladislauiensi omnes utilitates et theloneum damus percipiendas (sic). Quod si non exsoluerimus domino episcopo predictam peccuniam (sic) in predicto termino, extunc predictam hereditatem dominus episcopus tenebit usque ad terminum vite sue, et ecclesia wladislauiensis, de nostra bona voluntate, omnes utilitates et theloneum tenebit predicte hereditatis usque ad eundem diem, videlicet die (sic) mortis domini episcopi: deinde diem mortis et horam domini episcopi predicti computando, infra spacium unius anni, eandem hereditatem tenebimur redimere in pecunia superius dicta. Quod si tunc non exsoluerimus eandem pecuniam ecclesie wladislauiensi, extunc sepedictam hereditatem *Pripust* damus, tradimus et conferimus iure perpetuo possidendam cum omnibus utilitatibus et cum theloneo. In huius rei testimonium presentes conscribi fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Presentibus hijs testibus: Bernardo quondam castellano cruswyciensi, Ubezlao castellano brestensi, Rosdalio subcamerario cuyauiensi. Actum anno domini M° C° C° C° septimo. Datum in *Cracouia,* pridie nonas februarij, per manus Johannis subcancellarij cracouiensis.

CXCVII.

Juniwladislawiae, anno 1307 die 31 mensis Martii.

Lesco et Premislaus Duces Cujaviae venditionem villae *Wielno* a Wlodimiro de Lojewo filio Jaroslai Palatini, Byszoviensi monasterio Cisterciensium factam, ratam esse jubent, et Boguslaum quendam de Niewieszyno Wlodimiri cognatum, vindicatione villae *Swinice* jam antea ab eodem Wlodimiro venditae, destitisse declarant.

Tom. I. hujus Codicis p. 178 N^{ro} CII.

CXCVIII.

Cracoviae, anno 1307 die 10 mensis Maji.

Wladislaus (Lokietek) heres Regni Poloniae, seruitia comitis Stanislai palatini Cujaviensis remuneraturus, eidem villas *Bodzanowo, Czolpin* **et** *Nakonowo* **donat** (¹).

In nomine domini, amen. Quoniam ea, que frequenter legitime acta sunt, longinquita (sic) temporis interueniente, que mater est obliuionis, a multis multociens in dubium reuocantur, Nos igitur Wladislaus dei gracia dux Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancycie, Cuyauie, Pomoranie, ac heres Regni Polonie, notum facimus vniuersis tam presentibus, quam futuris, presentem paginam inspecturis: Quod desiderantes premiorum remuneracione bonos efficere meliores, ac principali munificencia virtuosis virtutem addicere (sic): inspectis itaque fidelibus et utilibus seruicijs, que fidelis noster miles, comes Stanislaus palatinus cugauiensis (sic), nobis a multis retroactis temporibus fideliter exhibuit: videlicet pugnando contra inimicos nostros, res suas et vitam exponendo pro honore nostro, temporibus nostris malis: pro tamque fidelissimis seruicijs euidentissimis nobis exhibitis, hereditates nostras, dictas *Bozanowo, Czolpyno* et *Nakonowo,* sitas in terra nostra Cuyauiensi (²), damus tradimus et conferimus, sibi suisque veris heredibus et legitimis successoribus iure hereditario in perpetuum possidendas, cum omnibus utilitatibus, prouentibus et libertatibus, quemadmodum nos easdem tenuimus et possedimus; dantes predicto Stanislao prefatas hereditates liberum arbitrium vendendi, donandi, et quocumque modo alienandi, prout sibi et suis successoribus conueniencius et utilius videbitur expedire. Liberamus autem incolas predictarum hereditatum, ab omnibus solucionibus, seruitutibus, grauaminibus, collectis uniuersis, nostro dominio pertinentibus, quocumque nomine censeantur; nec ad alicuius audienciam iudicis, cuiuscumque dignita-

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario capituli ecclesiae Wladislaviensis asservatur, descriptum. Sigilli abrupti restat funiculus sericus flavi coloris.

(²) Hodie villae *Bodzanowo, Czolpin* et *Nakonowo,* omnes in territorio Cujaviensi, prima et tertia regione Kowaliensi, secunda vero regione Radziejoviensi sitae.

tis existat, predicte (sic) incole citabuntur uel respondebunt, nisi solummodo coram nobis, dum per literas nostras fuerint euocati, tunc comparebunt et respondebunt, et idem palatinus uel sui successores, pro se penam percipient. Prefati autem [incolae] nec ad edificacionem uel reparacionem castrorum, uel ciuitatum, laborare nullo modo tenebuntur. Si uero nos, uel successores nostros in terra Cuyauiensi aliquam solucionem ponere contingerit, idem incole eandem solucionem palatino uel eius successoribus soluere tenebuntur. In huius rei testimonium, presentes conscribi fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Presentibus hijs testibus: Swentopelco palatino, Juliano palatino, Clementi (sic) Syradiensi, Paulo swecensi castellanis. Actum anno domini M° C° C° C° VII°. Datum in *Cracouia,* VI° Ydus Maij.

CXCIX.

Wladislaviae, anno 1307 die 27 mensis Julii.

Premislaus et Casimirus Duces Cujaviae, domini Wladislaviae ac terrae Wyszogrodensis villas *Wozino* **major et minor dictas in regione Wyszogrodensi sitas monasterio Byszeviensi Cisterciensis ordinis 110 marcis denariorum monetae Thoruneneis vendunt** (¹).

In nomine Domini, Amen. Facta hominum consvevit oblivio abolere, nisi scripture testimonio, vel testium adminiculo fuerint memorie commendata. Eapropter nos Premislius et Kasimirus, Dei gracia duces Cuiavie et domini Wladislavie, ac terre Wisegrodensis, notum facimus universis presentes litteras inspecturis: quod religiosis viris, fratribus Bertholdo Abbati, et conventui ac monasterio Bysshoviensi, Ordinis Cysterciensis, Wladislaviensis diocesis, cum matura deliberacione, hereditates, villas, seu possessiones nostras *Wozino majus* et *Wozino minus,* jacentes in districtu predicte terre Wisegrodensis (²), vendidimus, tradidimus et resignavimus pro centum et

(¹) Duo inveniuntur prorsus congrua hujus tabulae archetypa membranacea in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente. Utrique eorum appensa sunt sigilla majoris formae Lesconis et Premislai, exhibentia tantum insignia Cujaviensis provinciae. Ambo sigilla efficta e cera vulgari pendent filis sericis coloris rubri et flavi. Descripsit doctissimus Stronczyński.

(²) Hodie *Wodzyn* (mały i wielki), villae territorii Bydgostiensis regionis vero Juniwladislaviensis. Vid. Müller.

decem marcis denariorum et monetę Thorunensis. Volentes, ut predicti Abbas, conventus et monasterium easdem hereditates, villas seu possessiones, cum omni jure ducatus, sicut nos easdem tenebamus, videlicet agris, nemoribus, mellificiis, pratis, aquis, molendinis, lacubus, piscacionibus, venacionibus, et omnibus ac singulis aliis fructibus, utilitatibus, et pertinenciis suis, prout ipse hereditates, ville seu possessiones in suis metis seu terminis circumferencialiter antiquitus sunt distincte, habere, tenere debeant, ac jure hereditario perpetuo libere possidere. Adicimus insuper, quod easdem hereditates, villas seu possessiones locare possint jure Theotonico (sic) Maydeburgensi, et quod homines, qui in eisdem villis locabuntur, non possint citari ad presenciam nostram, nec judicari coram nobis aut judicibus nostris, sed coram predicto Abbate, aut successore ejus, vel vicario ipsorum, in omnibus causis magnis et parvis, civilibus, criminalibus et pecuniariis citabuntur et judicabunt [ur] jure suo Maydeburgensi supradicto; tollentque ipsi Abbas, vel ejus vicarius omnia et singula, que de judiciis in penis pecuniariis poterunt evenire. Item eosdem homines ab omnibus expedicionibus, edificacione castrorum, civitatum et poncium, solucionibus, collectis, exactionibus, peticionibus, vecturis, angariis, perangariis et quibuslibet aliis serviciis juris polonici et Theothonici, quocumque nomine censeantur, facimus liberos, et esse volumus perpetuo absolutos. Promittimus insuper eisdem Abbati et conventui, ex pacto speciali, pro nobis et nostris successoribus, quod ipsas hereditates, villas seu possessiones, nunquam redimere aut liberare possimus aliqua pecunia, sed ipsi easdem debeant perpetuo, prout premissum est, libere possidere. In quorum omnium testimonium et robur perpetuum, presentes litteras sigillorum nostrorum appensione, mandavimus roborari. Actum *Wladislavie* in castro nostro, VI° Kalendas Augusti, Anno Domini Millesimo CCC° septimo, presentibus dominis: Barthosio Wladislaviensi, Johanne Wisegrodensi, Andrea de *Slonsco* Castellanis, Sudivogio judice, Vneslao subcamerario et Michaële dicto Wensicobyla militibus et servitoribus nostris. Datum per manum Magistri Petri Plebani de *Gnevcovia,* Capellani et subcancellarii curie nostre.

CC.

Strelnae, anno 1308 die 21 mensis Aprilis.

Nicolaus praepositus monasterii Cisterciensium Strelnensis sumta mutua pecunia a Gerwardo Episcopo Wladislaviensi spondet se villam *Wanore*, quam eidem oppigneraverat, ipsi cessurum esse, si ad dictum tempus debitum non solvisset (1).

Nouerint uniuersi has literas inspecturi: quod nos frater Nicolaus, dei paciencia prepositus *Strelnensis* (2), totusque conuentus fratrum et sororum ibidem ordinis premonstratensis, deliberacione habita diligenti, de communi consilio eiusdem conuentus et assensu, a reuerendo in Christo patre domino Geruardo, episcopo ecclesie wladizlauiensis, necessitate domus nostre utili perurgente, mutuauimus quinquaginta marcas et unam marcam cum lottone (sic) monete thorunensis, byennio persoluendas: obligantes eidem domino episcopo sueque ecclesie pignori villam domus nostre *Wanore* (3) wlgariter nuncupatam, pro summa pecunie supradicta. Quam eciam villam frater Johannes, quondam prepositus, noster antecessor, de consilio conuentus, necessitate ductus consimili, pro triginta marcis iam dicto domino episcopo et sue ecclesie primitus obligauit: prout in literis super hoc confectis plenius elucescit. Adicientes, fide data, quod si dictam pecuniam infra dictum byennium soluere nequiremus, extunc eandem villam, pro beneficiis gratuitis in dicta pecunia nobis impensis, prefato domino episcopo, sueque ecclesie, cum omni districtu, utilitatibus, reditibus et prouentibus, spontanee, unanimiter damus et assignamus perpetuo possidendam, nichil iuris canonici uel ciuilis, nobis aut nostris successoribus in ea repetenda penitus reseruantes. Ut autem hec ordinacio inuiolabilis perseueret, presentem paginam nostro, nostrique conuentus sigillis (sic) munimine fecimus roborari. Actum et

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Wladislauiensis asseruato descriptum. Funiculis sericis rubri coloris duo erant sigilla huic tabulae appensa; eorum unum abruptum, alterum penitus deletum.

(2) *Strzelno* oppidum territorii Bydgostiensis, regionis vero Juniwladislaviensis.

(3) *Wonorze* villa ejusdem territorii et regionis.

datum *Strelne*, anno dominj M° CCC° octauo, XI° Kalendas Maij, indictione sexta. Presentibus: fratre Johanne quondam preposito, fratre Fredrico priore strelnensibus, domino Michaële archidyacono wladislauiensi, Walthero canonico crusuiciensi, Swenthomiro et Johanne filio Shegote militibus, et alijs quam plurimis fide diginis (sic).

CCI.

Cracoviae, anno 1308 die 31 mensis Maji.

Wladislaus (Łokietek) heres Regni Poloniae seruitia comitis Stanislai palatini Cujaviensis remuneraturus eidem villas *Bodzanowo*, *Czolpin* **et** *Nakonowo* **donat** (¹).

In nomine domini, amen. Inter claras regie dignitatis laudes in eis clariore luce prefulget, dum fidelibus suis grata premia pro gratis obsequijs largiuntur. Nos igitur Wladislaus, dei gracia Dux Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancycie, Cuyauie, Pomoranie, ac verus heres tocius Regni Polonie, notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis: Quod desiderantes premiorum remuneracione bonos efficere meliores, ac principali munificencia virtuosis virtutem adicere (sic); attendentes itaque fidelia grataque obsequia, que fidelis noster miles, comes Stanislaus palatinus Cuyauiensis, nobis multipliciter et fideliter exhibuit et in posterum exhibebit, cupientes ipsum ad omnem voluntatem nostram reddere prompciorem, hereditates nostras dictas *Bozanowo, Czolpyno* et *Nakonowo*, sitas in terra Cuyauie, damus, tradimus et conferimus sibi, suisque veris heredibus et legittimis successoribus iure hereditario in perpetuum possidendas, cum omnibus utilitatibus et prouentibus, videlicet terris cultis et

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Wladislauiensis asservato. Funiculo serico coloris rubri et flavi appensum est huic tabulae sigillum maximae formae, vulgo majestaticum dictum, cujus recta pars penitus deleta. Argumentum hujus tabulae proxime accedit ad argumentum tabulae anni 1307 N^ro CXCVIII. p. 179; continet enim donationem earundem villarum eidem Stanislao palatino Cujaviensi factam, tamen aliqua ex parte tabula haec aliter est composita, et anno post illam data. Non est itaque haec tabula aliud exemplar illius credenda, ideoque eam typis exscribendam esse duximus.

incultis, nemoribus, siluis, quercetis, pascuis, pratis; jura et iurisdiciones, omnesque actiones personales, reales atque mixtas, que et quas habere potest in predictis hereditatibus ad habendum, tenendum, possidendum, et, quicquid sibi et suis successoribus deinceps placuerit, perpetuo faciendum. Liberamus autem incolas predictarum hereditatum ab omnibus solucionibus et exactionibus, que nostro dominio dinoscuntur pertinere, quocumque nomine censeantur: et generaliter dicendo, predictas hereditates prefato militi nostro damus cum eisdem iuribus, libertatibus, solucionibus, prouentibus, utilitatibus uniuersis, quemadmodum nos in eisdem hereditatibus habuimus. Exemimus (sic) autem incolas predictarum hereditatum a palatino, a castellano, a castri citacione, ab eorum iurisdicione et iudicibus, quod non comparebunt coram eis citati, nec respondebunt, set (sic) tantummodo coram nobis, dum per litteras nostras fuerint euocati, tunc comparebunt et respondebunt. Ut autem hec tam sollempnis nostra donacio, de nostra bona voluntate legitime facta, robur obtineat perpetue firmitatis, presentes conscribi fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Presentibus hijs testibus: Juliano palatino swecensi, Cesslao (sic) cancellario cuyauiensi, Paulo castellano swecensi, Bogusa iudice Pomoranie, Johanne subcamerario Tersouiensi. Actum anno domini M° C° C° C° octauo. Datum in *Cracouia,* pridie kalendas Junij, per manus Johannis subcancellarij cracouiensis.

CCII.

Cracoviae, anno 1308 mense Junio.

Wladislaus (Łokietek) Dux Cracoviae, Sandomiriae etc. sumpta mutua pecunia a Gerwardo Episcopo Wladislaviensi, eidem villas *Przypust*, *Plowce* sive *Blewo*, et *Polinowo* oppignerat (¹).

In nomine domini, amen. Quoniam ea, que frequenter legitime acta sunt, longinquitate temporis interueniente, que mater est obliuionis, a multis

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigilli abrupti superest funiculus sericus coloris rubri.

multociens in dubium reuocantur. Nos igitur Wladislaus dei gracia dux Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyauie, ac Pomoranie, notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis: Quod venerabilis pater dominus Gerwardus, episcopus wladislauiensis ecclesie, peccuniam suam et sue ecclesie, videlicet quadringentas marcas et quadraginta monete Thorunensis, dedit ad mandatum nostrum, nomine nostro, pro nostris necessitatibus et utilitate terre nostre. Nos quoque ista vice sibi satisfacere non valentes, pro eadem peccunia hereditates nostras eidem domino episcopo et sue ecclesie obligamus, scilicet *Pripust* hereditatem sitam circa Wyslam in terra Cuyauiensi, quam eciam eidem domino episcopo et sue ecclesie obligaueramus in sexaginta marcis monete Thorunensis, sicut in instrumentis super eo confectis plenius continetur ([2]), cum omnibus utilitatibus, theloneo, iure patronatus et prouentibus pertinentibus ad eandem, prout est in suis metis et terminis distincta. Insuper villas nostras, videlicet *Plowce*, alio nomine dictam *Blewo* et *Polynowo* ([3]), cuius partem dominus episcopus habet eciam obligatam in quadam peccunie quantitate, situatas in districtu *Radeyouiensi*, cum omnibus utilitatibus et earum pertinencijs, sibi et sue ecclesie similiter obligamus tali modo: quod a festo sancte trinitatis proximo nunc transacto, infra spacium trium annorum, si non exsoluerimus eandem pecuniam domino episcopo et sue ecclesie, extunc prout exnunc easdem hereditates seu villas damus, tradimus, conferimus ac eciam assignamus, et pleno ac hereditario iure appropriamus pro pecunia memorata, et ob reuerenciam, quam habemus ad virginem gloriosam, nec non ob remedium peccatorum nostrorum, cum omnibus utilitatibus, prouentibus, pertinencijs vniuersis, que nunc sunt, uel esse poterunt in futurum, prout predicte hereditates seu ville in suis metis et terminis sunt distincte. Liberantes et absoluentes incolas predictarum hereditatum ab omnibus angarijs et perangarijs, seruicijs, seruitutibus realibus, personalibus, nec non a tallijs seu collectis communibus siue singularibus, iuribus et iurisdicionibus, qualicumque nomine denotentur. Et,

([2]) De obligatione hujus villae vid. tabula praecedens Nro CXCVI. p. 177.
([3]) *Plowce* regionis Radziejoviensis, *Polynowo* hodie *Polanowice* v. *Polanowo* territorii Bydgostiensis et regionis Juniwladislaviensis.

ut breuiter singula comprehendamus, omne ius, quod in predictis hereditatibus habemus, domino episcopo iam dicto, suis successoribus, et sue ecclesie damus, tradimus et resignamus perpetuo iure in hijs scriptis. Verum quod hereditatem nostram dictam *Pripust,* Swentopelkus quondam palatinus lanciciensis tenuit, quamdiu nobis placuit possidendam, ipsam ab eo duximus reuocandam, et hoc publice protestamur. Reuocamus insuper omnia instrumenta, si qua predictus Swentopelk, uel sui successores exhibenda duxerint super hereditate superius memorata. In cuius rei testimonium, presentes conscribi fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Presentibus hijs testibus: Prandota castellano sandomiriensi, qui huius negocij fuit mediator, Stanislao palatino cuyauiensi, Nicolao preposito wysliciensi, Stanislao preposito cruswyciensi, Mychaële archidiacono wladislauiensi, Girstano ciue brestensi. Actum et datum apud *Cracouiam,* anno domini M° C° C° C° VIII., infra octauas sancte trinitatis, per manus Johannis subcancellarij cracouiensis.

CCIII.

Sine loco, anno 1309 die 14 mensis Martii.

Ebirhardus Abbas Monasterii Cisterciensium Luknensis Johannem Abbatem Byszeviensem de persoluto praetio bonorum *Swiniarzew* liberum facit (1).

Nos frater Ebirhardus Ordinis Cysterciensis Gneznensis Diocesis Abbas de *Lukna* universis, ad quos presencium noticia (sic) contigerit pervenire, constare cupimus publice protestando: Quod venerabilis in Christo pater ac Dominus, Dominus Johannes Abbas monasterii de *Byssovia,* Ordinis

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asservatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Huic tabulae appensa sunt taeniolis pergamenis duo sigilla, alterum ex longo rotundum repraesentat in aedicula gothice constructa abbatem capite nudato stantem, lituum manu sinistra tenentem. E verbis eidem sigillo inscriptis vix aliquot literae apparent. Alterum sigillum rotundum exhibet in simili aedicula Matrem Dei infantem Jesu manibus tenentem. Verborum inscriptorum vix literae: „*s. con.* . . . . " legi possunt.

predicti et diocesis Wladislaviensis, una cum suo conventu, ex integro ac totaliter, rite et racionabiliter nobis ac nostro conventui pecunias persolvit, pro quibus hereditatem *Swynerzew* (²) nuncupatam sibi vendidimus. In cujus rei peracte testimonio (sic), sigillum nostrum, cum sigillo nostri conventus, presentibus est appensum. Datum anno domini millesimo trecentesimo IX°, feria sexta ante Dominicam, qua cantatur Judica in quadragesima.

(²) Villa *Swiniarzew* regionis Juniwladislaviensis et Bydgostiensis.

CCIV.

In villa Orlow, anno 1309 die 28 mensis Aprilis.

Salomea Dux Cujaviae una cum filiis Premislao et Casimiro Ordini Teutonico piscationem in fluviis majori et minori *Kabel* et in nonnullis Vistulae partibus, tunc omnes villas in insula inter Vistulam et Nogatum sitas vendit.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. II. p. 68 Nro 58.

CCV.

Toruniae, anno 1309 die 1 mensis Maji.

Magister Prussiae provincialis Henricus in Ploczke attestatur Premislaum Ducem Cujaviae Ordini Teutonico terras in praecedenti tabula commemoratas vendidisse (¹).

Baczko Preuss. Geschichte T. II. p. 80. — Preuss. Lieferungen alter und neuer Urkunden T. I. p. 503.

CCVI.

Cracoviae, anno 1310 die 1 mensis Aprilis.

Wladislaus Locticus, ut praeclara in se uxoremque suam Gerconis civis Radziejoviensis oppidi merita, dum patria exul esset, praestita remuneretur, eidem Advocati Radziejoviensis munus et beneficia jure hereditario confert.

Tom. I. hujus Cod. p. 180 Nro CIII.

CCVII.

Juniwladislaviae, anno 1310 d. 18 men. Novembris.

Premislaus et Casimirus Duces Cujaviae et domini Wladislaviae omne jus, quod Gochsalcus dictus de Jane in villas *Wozino* major et minor existimabat se habere, monasterio Cisterciensium Byszeviensi adjudicant (1).

In nomine Domini, Amen. Nos Premislius et Kasimirus, Dei gracia duces Cuyavie et Domini Wladislavie, cupientes eorum, que aguntur coram nobis perpetuam haberi memoriam, universorum tam presencium quam futurorum, quibus presentes legere contingerit vel audire, noticie declaramus: quod cum Religiosus vir frater Bertoldus, una cum conventu suo Bysseviensi, hereditatem quandam *Wozyno* dictam, sitam in territorio Wysegrodensi, a nobis emissent pro certa pecunie quantitate (2), et nobilis vir Gochsalcus dictus de *Jane,* dictum Abbatem et conventum impetere intenderet, asserens se jus habere aliquod hereditate in eadem, tandem ex inductu proborum virorum, et precipue Reverendorum virorum Rodgeri Abbatis de

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asservatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Huic tabulae appensa sunt filis sericis flavi et rubri coloris duo sigilla majora vulgo a Ducibus Cujaviensibus usitata.

(2) Vide venditionem hanc ad a. 1307 Nro CXCIX. p. 180.

Olyva, et Godefridi Abbatis de *Pelplyn,* ac eciam sua ad hoc voluntate accedente, cessit suo et heredum suorum nomine videlicet: Michaëlis, Jacobi, Nycolai et Stephani, ac ceterorum amicorum suorum ab hereditate predicta, renuncians omni juri et omni impeticioni, qua nunc et in posterum frui posset, resignans ipsam seu assignans cum omnibus utilitatibus et proventibus Abbati et conventui supradictis, supplicans nobis per litteras suas studiose, acsi nostro conspectui personaliter assisteret, ut eandem suam resignacionem nostris litteris confirmare deberemus. Nos igitur precibus ipsius annuentes, profectui et commodo domus Bysseviensis intendere volentes, ut tenemur, donacionem hujusmodi ipsis factam presentibus confirmamus. Et ne supra eo in posterum dubitetur, presentes conscribi fecimus, et nostrorum sigillorum munimine roborari. Datum *Wladislavie,* XIIII. Kalendas Decembris, Anno domini M° CCC° decimo. Presentibus hys testibus: Johanne Wisegrodensi, Johanne Castellano ultra *Manthovas* (3), Pribislao Judice Wisegrodensi, Johanne subagazone, et aliis quam pluribus fide dignis.

(3) Quum in aliis tabulis posterioribus legatur *„territorium ultra Mantwas"* hic igitur *ultra Manthovas* est idem, quod ultra Mantwas. *Mantwy* est villa Montwy regionis Juniwladislaviensis, M. D. Posnaniensis. *Territorium ultra Mantwas* fortasse designat terras, quae nunc sunt Posnaniensis atque Bydgostiensis territorii. Sed quidnam sibi velit: *Castellanus ultra Mantwas,* haud facile potest definiri. Verisimile tamen esse videtur, nostrum privilegium, quum a Ducibus Cujaviensibus proficiscatur, ipsorum ditionis fines non transire: hic itaque non erit sermo de aliquo castellano terrae Posnaniensis, quum ibidem alii duces imperarent. In terra Juniwladislaviensi duo erant castellani, nimirum Juniwladislaviensis et Bydgostiensis, forsitan itaque is posterior hic designatur siquidem nomen *ultra Mantwas* eidem maximopere proprium esset.

CCVIII.

Juniwladislaviae, anno 1311 die 4 mensis Octobris.

Jesco filius Lupi de Lapidea Ecclesia, auctoritate Premislai et Casimiri Ducum Cujaviensium accedente, villam suam *Samociąsko* dictam, coenobio Cisterciensium Byszeviensi vendit.

Tom. I. hujus Codicis p. 181 Nro CIV.

CCIX.

Strelnae, anno 1312 *die* 30 *mensis Julii.*

Joannes prepositus monasterii Premonstratensium Strelnensis, villam *Złotowo* ejusdem monasterii propriam Geruardo Episcopo Wladislaviensi pignori obligat (¹).

In nomine domini, amen. Nos frater Johannes prepositus ecclesie Strelnensis, ordinis premonstratensis, totusque conuentus fratrum ac sororum ibidem, notum facimus uniuersis, presentes literas inspecturis: quod necessitate domus nostre nimia exigente, eo, quod defectum in victualibus habebamus, venerabili in Christo patri domino Geruardo, dei gracia ecclesie wladislauiensis episcopo, nostro dyocesano, villam ecclesie nostre *Slotouo* wlgariter nuncupatam, situatam supra lacum *Goplo* wlgariter dictum (²), pro triginta marcis grossorum, triginta sex grossos pro marca qualibet computando, duximus obligandam, ita uidelicet, quod dictam pecuniam infra quatuor annos, a festo beati Martini proxime nunc venturo computandos, persoluere tenebimur domino memorato; et si, quod absit, annis predictis elapsis, soluere non possemus pecuniam grossorum memoratam, prefatus dominus episcopus nobis superaddet, prout arbitri quatuor, duo ex parte sui, et duo ex parte nostri, et quintus ex utraque parte electus, in quos iam compromittimus in hijs scriptis inter nos, additamentum pecunie rite et racionabiliter ordinabunt, et extunc villa nostra predicta ad dominum episcopum, et ad suam ecclesiam, cum omnibus libertatibus, pertinencijs, agris, lacubus et alijs omnibus utilitatibus, que sunt uel esse poterunt in eadem, iure hereditario in perpetuum pertinebit. Nos autem cum nostro conuentu, literas seu instrumenta nostra resignacionis super bonis predictis, dare et assignare tenebimur domino episcopo memorato. Ceterum reditus et prouentus medij temporis, in eadem villa percipiendos, ecclesie crusui-

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario capituli Wladislaviensis asservato descriptum. Duo sigilla minoris formae appensa taeniolis pergamenis, figurae ovatae, ambo comminuta.
(²) Villa *Złotowo* ad lacum *Goplo* sita, territorii Bydgostiensis, regionis Juniwladislaviensis, M. D. Posnaniensis.

ciensi ad fabricam gratuite condonamus, et liberaliter indulgemus, nec eos in sortem supradicte pecunie uolumus aliqualiter computari. In cuius rei testimonium, presentem literam conscribi fecimus, nostrorum sigillorum munimine roboratam. Actum et datum in *Strelna*, anno domini M° C° C° C° duodecimo, III° Kalendas Augusti. Presentibus dominis: Alberto scolastico wladislauiensi, Michahele (sic) preposito, Panceslao decano, Johanne custode crusuiciensibus, Symislaua priorissa; fratribus nostri conuentus: Frederico et Nicolao, nec non alijs pluribus fide dignis.

CCX.

Jeżowiae, anno 1313 d. 28 mens. Februarii.

Jacobus Canonicus Cracouiensis villam *Roskidalino* a patre suo comite Stanislao, herede villae *Brzezno*, injuste possessam ecclesiae Wladislaviensi restituit (1).

Ego Jacobus canonicus cracouiensis et plebanus de *Mokrsco*, filius quondam comitis Stanislai heredis de *Brezno* (2), notum facio uniuersis, presentibus litteris protestando: quod cum venerabili patre domino Geruardo, dei gracia episcopo wladislauiensi, super bonis seu uilla, que *Roskidalino* (3) wlgariter nuncupatur, in cuius possessione (sic) pater meus et nouerca mea se intromiserant minus iuste, taliter ordinaui, quod ipsum in possessionem dicte ville mitto, ipsam sibi cum omnibus utilitatibus, que sunt, vel esse poterunt,

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Quinque sigillorum abruptorum supersunt tantum taeniolae pergamenae.

(2) *Mokrsko* villa territorii et regionis Wielunensis; sed hic intelligenda est potius villa *Mokrzko* territorii Kielcensis, regionis vero Jędrzejoviensis, quum haec sit diocesis Cracoviensis. Villa *Brzezno* est territorii Kielcensis, regionis Jędrzejoviensis: sunt tamen et aliae villae ejusdem nominis in aliis provinciis sitae.

(3) Est procul dubio villa *Roskidalino*, de qua videatur nota 2 ad tabulam anni 1303 Nro CLXXX. p. 163. In eadem nota fit mentio de *Stanislao de Brzezno*, sed ibi vocatur *Stanislaus de Breze*. Nostra conjectura in illa nota facta verane sit, an haec verisimilior, quam in nota praecedenti hujus tabulae attulimus, id lecturis dijudicandum relinquimus. Utramque conjecturam proponimus deligendam; de utraque mentionem facientes ideo, ne nobiscum pugnare videamur.

et seminibus resignando, ad solucionem eciam perceptorum fructuum, gracie predicti domini episcopi me submitto. Insuper pro fratribus meis et nouerca mea promitto, quod hanc ordinacionem, quam ego facio, inuiolabiliter obseruabunt. Predictus uero dominus episcopus patrem meum et nouercam, a sentencia excommunicacionis absoluit, quam propter possessionem ville incurrerant memorate, et ipsi patri meo iam defuncto ecclesiasticam concessit de speciali gracia sepulturam. Facta sunt autem hec coram venerabili patre et domino, fratre Dominico Mechaliensi (sic) episcopo. Presentibus dominis: Michaēle preposito crusuiciensi, Johanne archidiacono stolpensi, Theodrico archidiacono crusuiciensi, Johanne plebano de Groczna, et alijs quam pluribus fide dignis, quorum eciam sigilla una cum meo, ad euidenciam pleniorem, presentibus literis sunt adiuncta. Datum apud *Yezew* (4), pridie Kalendas Marcij, anno domini M° CCC° tercio decimo.

(4) *Jeżow* oppidum territorii Rawensis regionis vero Brzezinensis, est etiam villa *Jeżewo*, regionis Szubinensis, territorii Bydgostiensis.

CCXI.

Juniwladislaviae, anno 1313 die 20 mensis Augusti.

Lesco et Premislaus Duces Cujaviae et domini Wladislaviae juvenis attestantur Philippum filium Miroslai heredem villae *Łagiewniki*, quosdam agros ejusdem villae Episcopo Wladislaviensi oppignerasse (1).

Nos Lestco et Premislius dei gracia duces Cuyauie et domini Wladislauie juuenis, uniuersorum tam presencium quam futurorum noticie declaramus, presentibus publice protestantes: quod constitutus in nostra nostrorumque baronum presencia, Phylippus (sic) filius Miroslay et heres de *Lakewnyk* (sic), agros quosdam hereditatis eiusdem *Lakewnik*, qui agri extendunt se ad

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Taeniolis pergamenis appensa sunt duo sigilla, quorum prius minoris formae destructum, posterius vero majoris formae habet in medio sui scutum triangulare, in quo effictum est insigne provinciae Cujaviensis, videlicet dimidius leo cum dimidia aquila. Hoc quoque sigillum multum attritum.

pratum, qui (sic) vocatur *smugz* (sic) *velgky* (sic) in wlgari, et ville *Parchan* contiguos ([2]), venerabili patri domino G. ecclesie wladislauiensis episcopo, pro quatuordecim marcis argenti monete usualis obligauit infra sex annos, a die beati Michaëlis proximo nunc venturo conputandos (sic), per eundem dominum episcopum tenendos, cum omnibus fructibus agrorum eorumdem, tali pacto: quod si idem Philippus infra dictos sex annos, pro memorata pecunie summa agros eosdem non duxerit redimendos, dominus episcopus seu successores ipsius, agros ipsos perpetuo possidebunt. Et si Phylippum iam dictum infra nominatum sexennium decedere contingeret, fratres ipsius apud dominum episcopum aut ipsius successorem agros redimere poterint (sic) supradictos. In cuius rei testimonium presentes conscribi iussimus et robore nostri sigilli communiri. Datum *Wladislauie,* secunda feria infra Octauuas (sic) asumpcionis (sic) sancte Marie, anno dominj M° C° C° C° XIII°.

([2]) *Łagiewniki* et *Parchanie,* villae territorii Bydgostiensis, regionis vero Juniwladislaviensis.

CCXII.

Juniwladislaviae, anno 1314 mense Martio.

Ymislaus heres de Slusov villam *Cietrzewice* a Ducibus Cujaviae Lescone et Premislao sibi donatam, coram iisdem Ducibus conventui Cisterciensis ordinis Byszeviensi vendit ([1]).

In nomine Domini, Amen. Excellencia nostre ingenuitatis exigit et requirit, ut illos persequimur (sic) speciali prerogativa gracie et honoris, qui se nobis serviciis multiplicibus multipliciter recommendant. Igitur nos Lestco et Premislius fratres et duces Cuyavie, nec non Domini Wladisslavie Dei gracia, intuentes fidelia servicia Ymislai heredis de *Slusov,* que nobis

([1]) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asseruatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Huic tabulae appensa erant duo sigilla, eorum alterum abruptum, alterum funiculo serico rubri coloris appensum exhibet insigne, quo vulgo Dux Premislaus utebatur.

hucusque inpendit, et paratus est inpendere in futurum, hereditatem suam *Gestzrevitz* (2) wlgariter nuncupatam, tunc temporis restituimus et donavimus, sibi et nulli alii de consanguineis ipsius in perpetuum possidendam ac libere: cum patrimonium nostrum reaquisivimus, videlicet castrum *Wissegrod* et hereditates ad castrum jam dictum pertinentes, quas sibi nostri usurpaverant inimici. Preterea presentibus protestamur: quod idem Ymislaus prenotatam hereditatem domui et conventui in *Byssovia,* ordinis Cysterciensis, insinuacionis modo, cum intentione resignandi et transferendi jus suum in conventum ordinis prenotati, quod in dicta hereditate habuit, tradidit coram nobis, petens pro prefato conventu, ut vendicionem et empcionem predictas confirmare jure nostri dominii dignaremur. Nos vero ad peticionem prenominati Ymislai, et ob reverenciam ordinis predicti, nec non eciam volentes nostre saluti salubriter providere, empcionem et vendicionem predictas, de Baronum nostrorum consilio confirmamus, et jus, quod prefatus Ymislaus in pretaxata hereditate *Cesczrevitz* (sic) habuit, in prenotatos abbatem et conventum de *Byssovia* in perpetuum et libere transferimus per presentes. In cujus rei testimonium, presentem litteram nostrorum sigillorum appensione mandavimus communiri. Datum in *Wladizlavia,* proxima feria quinta (3) qua cantatur Letare Jerusalem. Anno Domini Millesimo trecentesimo quartodecimo, presentibus hys testibus: Johanne Castellano Vladisslaviensi, et Johanne Castellano de *Wissegrod,* Andrea de *Slunsco,* Theoderico de *Thuren* (4), Michahele Wensecobula, Geruno Advocato Wladisslaviensi, et aliis quam pluribus fide dignis, per manum Jesconis Notarii nostri.

(2) Est villa *Cietrzewice* v. *Trzeciewiec,* de qua jam antea mentionem fecimus.
(3) Voces *ante*, vel etiam *post dominicam*, utrum librarii, an vero describentis incuria sint omissae, non liquet nobis plane, quum archetypon non sit nobis ad manum.
(4) *Słońsk, Turzno* villae jam descriptae.

CCXIII.

Wisliciae, anno 1314 die 6 mensis Julii.

Hulislaua filia militis Andreae de Ploki vidua comitis Stanislai palatini Cujaviensis villam *Kruszyn* ecclesiae Wladislaviensi vendit, quam venditionem Wladislaus (Łokietek) heres Regni Poloniae ratam esse jubet (¹).

In nomine domini, amen. Quoniam ea, que aguntur in tempore, ne per lapsum temporis a memoria dilabantur, scripturarum testimonio et testium aminiculo perhennantur: Proinde nos Wladislaus, dei gracia heres Regni Polonie, dux Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie ac Cuiauie, notum facimus vniuersis presentibus litteris protestantes: Quod constituta in nostra nostrorumque baronum presencia domina Hulislaua, filia quondam militis Andree de *Ploky,* relicta comitis Stanislai felicis recordacionis quondam palatini nostri cuiauiensis, publice recognouit: Quod hereditatem suam *Crosino* videlicet, cum ecclesia in terra nostra Cuiauie inter *Bresthe* et *Cowale* iacentem (²), quam predictus vir suus Stanislaus sibi dederat racione dotalicij nupcialis, venerabili in Christo patri domino Gerwardo, ecclesie wladislauiensis episcopo, pro centum quinquaginta marcis grossorum ponderis cracouiensis vendidit, et perpetuo resignauit, cum omni dominio et iure patronatus, ac utilitatibus quibuscumque, que sunt vel esse poterunt in eadem, sibi suisque successoribus iure hereditario in perpetuum pacifice possidendam. Quam pecuniam dicta domina a prefato domino episcopo ex integro recepisse, coram nobis eciam exstitit protestata. Nos igitur dictam vendicionem et empcionem ratam et gratam habentes, admittimus et presentibus litteris confirmamus. In cuius rei euidenciam pleniorem, presentes easdem litteras sigilli nostri munimine mandauimus roborari. Actum anno domini millesimo CCC° quarto decimo. Presentibus fidelibus nostris: Predpelcone poznaniensi castellano, dominis

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigilli abrupti superest tantum funiculus sericus viridis coloris.

(²) Hodie villa *Kruszyn,* territorii Cujaviensis, regionis Brestensis provinciae Masoviensis.

Jarostio cracouiensi, Nicolao lanciciensi cancellariis, canonicis cracouiensibus, Petro capitaneo nostro cuiauiensi, Nawogio subcamerario sandomiriensi, Johanne castellano de *Bresco,* et aliis pluribus fide dignis. Datum aput (sic) *Wisliciam,* in octaua beatorum Petri et Pauli apostolorum.

CCXIV.

Juniwladislaviae, anno 1314 die 12 mens. Octobris.

Lesco Dux Cujaviae et Dominus Wladislaviae donationem villarum *Wozino* major et minor a fratribus suis, Ducibus Premislao et Casimiro, nec non villae *Cietrzewice* a Comite Ymislao coenobio Byszeviensi, Cisterciensis ordinis, factam confirmat (1).

In nomine Domini, Amen. Experiencia discitur (sic), actus mortalium ab humanis evelli mentibus temporis per decursum, si non fuerint litterarum apicibus et testium amminiculo posterorum noticie commendati. Eapropter nos Lesthco, Dei gracia Dux Cuyavie et Dominus Wladislavie, constare volumus universis, presencia audire contingentibus: quod ob recordacionem pie matris nostre Salomee, ejusque anime pro remedio, ac specialis devocionis intuitu, quam ad ordinem (2) habere dinoscimur, Domino Cunrado Abbati et fratribus ejus (3), ordinis Cysterciensis in *Byssovia,* hereditates videlicet: *magnum Wozyno* cum *parvo* in territorio Wissegrodensi (4), quas rite ac racionabiliter a fratribus nostris illustris (sic) principibus (5), Premislio et Kazymiro, empcionis tytulo sue domui eternaliter possidendas, nostre captivitatis intervallo, compararunt, nec non hereditatem, que *Cetzersevicz* (6) appella-

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asseruatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Sigillum parvae formae in cera vulgari effictum appensum est funiculo serico coloris coccinei. Variantes lectiones alterius exemplaris ibidem asseruati, idem doctissimus Vir inferius in notis laudatas obseruauit. Alterius exemplaris sigillum abruptum appensum erat fumiculo e filis lineis torto, coloris rubri.

(2) In altero exemplari: *ad ordinem cysterciensem.*

(3) Pro *ejus* l. *dicti.*

(4) Post vocem *Wissegrodensi* add. *sitas.*

(5) Add. *dominis.*

(6) Sunt villae *Wodzek* et *Trzecieswice* jam descriptae.

tur in prelibato territorio sitam, quam similiter nostre captivitatis tempore a comite Ymislao substantia pecuniaria contraxerunt, juris (?) presentibus fide dignis (7), cum omnibus juribus, utilitatibus, libertatibus et proventibus, que in suis privilegiis a fratribus nostris supradictis hereditatibus traditis sunt expressi, devota mente ratificamus, approbamus et diligencius confirmamus. In cujus rei testimonium, presentem kartam nostro sigillo duximus muniendam. Datum et actum in *Wladislavia* civitate nostra, Anno Domini Millesimo Trecentesimo quartodecimo, quarto idus Octobris, presentibus hijs testibus: Comitibus Unislao Castellano Wlatislaviensi, Johanne dicto de *Plomico* (sic), condam Castellano Wissegrodensi, Andrea condam castellano de *Slonsk,* Wlozymiro de *Loziow* (8), Michaële Wenzycobula, Ludewico advocato nostro, et aliis quam pluribus (9) fide dignis.

(7) Quatuor posteriores voces desunt in altero exemplari.
(8) De *Layow.* Villa *Łojewo* sita est in regione Juniwladislaviensi.
(9) In altero exemplari deest *quam.*

CCXV.

In villa Broniewo, anno 1315 die 6 mensis Aprilis.

Premislaus Dux Cujaviae et Dominus Wyszegrodiensis et Bydgostiensis, damna a ministris suis monasterio Cisterciensium Byszeviensi illata compensaturus, omnes ejusdem monasterii hereditates a jure polonico vult esse liberas (1).

In nomine Domini, Amen. Cum bene sibi perspiciat in futurum, qui ante judicium justiciam preparat, noverint igitur universi presentes visuri vel audituri: quod nos Premislius, dei gracia dux Cujavie et Dominus in *Wissegrod* et *Bydgost* ad cor revertentes consciam (sic), stimulati in animo revolvimus et consolidamus diligenter: quomodo monasterium Byssoviense

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asseruatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Sigillum majoris formae solum insigne provinciae Cujaviensis exhibens in cera vulgari effictum, appensum est funiculo serico coloris perviridis et rubri.

Cysterciensis Ordinis, Wladislaviensis dyocesis in nostro dominio constitutum, a nostris officialibus per nostram dissimulacionem ac convenienciam [?conniuenciam] aliqualem frequencius gravatur injuste, et dampna plurima irrogantur eidem, districtum Dei formidantes judicium, et saluti nostre perspicere [?prospicere] cupientes, Abbati et fratribus dicti monasterii recompensam facimus graciôsam, per hoc progenitorum nostrorum animarum remedium, ac nostrorum peccaminum indulgenciam procurare desiderantes, omnia bona concessa a predecessoribus nostris, inclitis principibus, in presentibus confirmamus. Concedimus eciam eidem monasterio et fratribus in ibi Deo famulantibus plenissimas libertates in omnibus bonis eorum, que in Dominio nostro in Castellania Wissegrodensi et Bydgoscensi (sic) possidere videntur, quorum nomina sunt hec: *Transchicz, Sucovo, Cycersewcz* cum sorte sibi adjacente *Gelitow, Stronno, Samoczanscho, Wosino* majus et minus, *Smecz, Velim* et *Glynik, Gorsevo, Wansovna, Beryn, Gozcirazc, Dambrovca, Trischin* cum *Kneya* et cum *Nenecova, Dambrova, Schodricow, Vitelno* cum sorte sibi adjacente, *Snynicz, Byssovia, Sedlno, Scarbevo, Boscho, Lypichino* (²). Damus eciam eis potestatem locandi jure theutonico, quod Meydburgense wlgariter dicitur, vel alio quocumque, prout eis videbitur melius expedire: ita, ut ab omnibus laboribus, exaccionibus, solucionibus, serviciis, vecturis, araturis, a *prevod*, a *povorove*, a *podvorove*, *povolove*, a *powoz*, a *wivoz*, a *naraz*, a *wimeth*, a *nastava*, a *vesnica*, a *mostne*, a *poradlne*, a *stroza*, a *bove*, a *vacca*, a *porco*, et ab aliis universis gravaminibus, quocunque nomine censeantur; ab omnibus eciam angariis, perangariis, cum hominibus eorum, absoluti sint penitus et exempti. Insuper plenissimam jurisdictionem ac jus integrum et judicium in omnibus omnino locis bonorum hereditatumque predictarum, et eciam in viis publicis et semitis, ac viis privatis. Insuper castra et pontes non edificabunt, nec emendabunt nec ad expediciones

(²) In parte aversa hujus tabulae literarum ductu XVII. saeculo usitato annotata sunt nomina earundem villarum, posteriori tempore aliquantum immutata, his verbis: „*Trzęsacz, Żukowo, Cietrzewiec* (hodie *Trzeciewiec* regionis Swiecensis), *Gelitowo* (hodie *Jelitowo*), *Stronno, Samociąszko* (hodie fortasse *Samocin* oppidum territorii Bydgostiensis), *Wodzyno* majus, *Wodzyno* minus, *Sniemez, Wielon, Glinki, Gorzewo, Wiezowno, Beryn, Goscieradz, Dąbrowa, Tryszczyn, Knieja, Nenekowa, Dabrowa, Szczodrkow, Wtelno, Byssovia, Sadlno, Skarbiewo, Buszkowo, Lipicino.*" Omnes hae villae sitae sunt nunc in territorio Bydgostiensi haud procul a Byszevia distantes.

ibunt: excepto solo (sic), quando *Cujavia* ab alieno exercitu invadetur, nec alicui jurisdictioni Castellanorum, palatinorum, judicum, officialium aut camerariorum, nec eorum judiciis subjacebunt, nec ad eos citabuntur, nec coram ipsis pro aliqua hereditate seu possessione, vel pro causa qualicunque comparere debeant aut respondere, set tantum coram nobis, cum per nostram litteram, nostro sigillo sigillatam citati fuerint pro hereditate vel possessione comparebunt, et in jure Theutonico, quod Meydburgense dicitur, respondebunt. Adhuc,ad majorem cumulum gracie, fratribus et monasterio predicto ipsum locum, in quo nunc monasterium est fundatum, quod *Byssovia* dicitur, cum fluvio, qui prope monasterium fluit, qui *Dbra* wlgariter nominatur, cum utroque littore intra terminos bonorum dicti monasterii, cum omni jure et judicio et utilitate, tam sub terra, quam supra terram, similiter sicut et bona alia confirmamus. Ita ut, si quid in predictis per predecessores et progenitores nostros datum non existit, nos donamus (sic) liberaliter et devote. Eodem modo in bonis, que *Transicz* et *Sucovo* appellantur, juxta *Wislam* sitis, donacionem facimus in similibus graciis, si a nostris predecessoribus aliquomodo est neglecta, confirmantes eis in dictis bonis omne jus ac libertatem, utilitates, pertinencias, gracias et judicia quelibet, sicut in bonis superius memoratis. In fluvio quoque *Wisla* jus piscandi, navigium seu passagium habendi, et judicia quelibet in ipso flumine, sicut et in terra, intra ipsorum terminos exercendi. Duas eciam insulas e regione dictorum bonorum *Transchicz,* in predicto fluvio *Wisle* sitas, ac molendina in bonis jam dictis, similiter confirmamus et conferimus, si a nostris progenitoribus non essent donata. Damus etiam, si quid minus expresse datum foret per predecessores nostros, in omnibus bonis supra memoratis eidem monasterio liberas possessiones in fluminibus, stagnis, rivis, lacubus, ac hominibus ejusdem monasterii, quibus tamen ab ipsius monasterii abbate et fratribus concessum fuerit: ita quod nulli alii liceat ibi piscari, nec castores capere similiter et venaciones, tam magnarum quam parvarum ferarum, intra terminos predictorum bonorum eisdem donamus, et nulli alii jus relinquimus, nisi nobis, cum personaliter illuc venerimus ad venandum. Habebunt eciam prenominati fratres ac eorum homines jus venandi in omnibus bonis eorum cum quibuslibet instrumentis, videlicet retibus, canibus, laqueis et pedicis. Omnia quoque bona, quocunque titulo a nostris subdictis (sic) nobilibus seu popularibus

aquisita, sive per empcionem seu commutacionem, sepe dicto monasterio et fratribus in ibi degentibus, cum graciis, libertatibus et juribus presencium patrocinio similiter confirmamus. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri, et nostri sigilli appensione mandavimus roborari. Actum in *Bronevo* (³), Octavo Idus Aprilis, Anno Domini M° CCC° XV°, presentibus hys testibus: Bogumilo subcamerario nostro, Pribislao Castellano de *Bydgost*, Jescone nostro subagazone, Nycolao Czyborski, Mychaële dicto Wenczekobila Vlodario nostro. Datum per manus Jesconis, canonici ecclesie Poznaniensis, nostri notarii principalis.

(³) *Broniewo* villa territorii Bydgostiensis, regionis vero Juniwladislaviensis.

CCXVI.

Eodem die, loco et anno.

Jaroslaus cum filiis et fratris filio, heredes villae *Plomicow* villam ipsorum *Stronno*, coram Premislao Duce Cujaviae et domino de Wyszogrod, conventui Cisterciensium Byszoviensi vendunt (¹).

In nomine Domini, Amen. Excellencia nostre ingenuitatis exigit et requirit, ut illos persequamur [?prosequamur] speciali prerogativa gracie et favoris, qui se nobis serviciis multiplicibus reconmendant (sic). Igitur nos Premislius, Dei gracia Dux Cuyavie et Dominus de *Wissegrod*, universis presentibus et futuris, ad quorum audienciam presens scriptum fuerit devolutum, esse volumus manifestum: quod nobiles viri Jaroslaus et sui filii Johannes, Rosczalius et Thomas, nec non Johannes filiolus ipsius, heredes de *Plomicow* (²), in *Bronewo* villa nostra, coram nobis et nostris Baronibus constituti, villam

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asseruatur, descripsit doctissimus Stronczyński. Sigillum majoris formae solum insigne Cujaviensis provinciae exhibens appensum est funiculo serico rubri et viridis coloris.

(²) *Plonkowo* villa territorii Bydgostiensis, regionis vero Juniwladislaviensis.

ipsorum *Stronno* wlgariter nuncupatam, sitam in districtu terre Wissegrodiensi, religiosis viris Abbati et conventui in *Byssew,* pro sexaginta marcis usualium denariorum thorunensis monete, de maturo consilio, voluntate spontanea vendiderunt, jure hereditario in perpetuum resignantes. Predicti vero Jaroslaus, sui filii et filiolus ipsius, in nostra presencia professi sun et publice protestati: quod nec ipsi, nec ipsorum consanguinei, nec eciam posteri eorumdem redimeat a prefatis abbate et conventu Ordinis Cysterciensis in perpetuum villam superius nominatam. Nos vero empcionem et vendicionem predictas ratas et firmas habentes, in remissionem (³) matris et matertere nostre, felicis recordacionis, et volentes in hoc saluti nostre providere, et ut divinus cultus tempore nostro non diminuatur, sed pocius augmentetur, eas inviolabiliter inperpetuum presentibus litteris confirmamus. Volumus insuper, ut nec predicti heredes de *Plomicow*, nec consanguinei ipsorum, nec aliqui alii, prenominatos abbatem et conventum ordinis Cysterciensis, presumant in eadem villa aliqualiter impedire: ymmo quicunque alii prenotatos abbatem et conventum in prefata villa attemptaverint inpedire, sepius dicti heredes de *Plomicow* coram nobis et nostris baronibus promiserunt omnia impedimenta ammovere. Preterea nos volentes, ut jam dicti Abbas et Conventus, ordinis supra dicti, pro nobis frequencius Deum interpellant, libertates omnes a predilectissimo patre nostro, pie memorie, super *Byssoviam* datas et confirmatas, litteris ipsius super eandem villam *Stronno* damus in perpetuum, et eas tenore presencium confirmamus. In cujus rei testimonium presentem litteram nostri sigilli appensione mandavimus communiri. Datum in *Bronewo*, octavo Idus aprilis, Anno Domini millesimo trecentesimo quinto decimo, presentibus hys testibus: Bogumilo subcamerario nostro, Pribislao Castellano de *Bydgoscé*, Jascone nostro subagazone, Nicolao de *Cżtybore* (⁴), Michaële dicto Wanzycobila Vlodario nostro: per manum Jasconis Canonici ecclesie Poznaniensis notarii nostri, et aliis multis providis et discretis.

(³) Vox *peccatorum*, aut *peccaminum*, omissa esse videtur.
(⁴) Sine dubio villa *Sciborze* territorii Bydgostiensis, regionis Juniwladislaviensis.

CCXVII.

Strelnae, anno 1315 die 10 mensis Maji.

Joannes praepositus monasterii sacrarum virginum Premonstratensium Strelnensis villas *Bronislaw*, *Bieganowo*, *Złotniki* et *Skólsk* ejusdem monasterii proprias cum decimis villarum *Łojewo* et *Dulsk* mensae Episcopi Wladislaviensis addictis commutat (1).

In nomine domini, amen. Quoniam longinquitate sepe fit temporis, quod res clara presentibus, redditur obscura futuris, et sic interdum decisa pululant, suscitantur sopita, et sepulta resurgunt; proinde sanctiones tam canonice, quam legales prouide statuerunt, ut ea, que aguntur, scripturarum testimonio perhennentur, que veritatis sunt indicium et certitudinis argumentum. Ad noticiam igitur uniuersorum tam presencium, quam futurorum volumus devenire: quod nos frater Johannes prepositus *Strelnensis* una cum conuentu nostro sanctimonialium eiusdem monasterij ordinis premonstratensis, melioracionibus bonorum nostrorum intendere, et nostram ex eo subleuare inopiam cupientes: habito consensu et licencia speciali religiosi viri fratris Johannis abbatis sancti Vincencij aput *Wratislauiam,* ordinis nostri, patris et visitatoris domus nostre: cum venerabili in Christo patre domino Geruardo, dei gracia episcopo ecclesie Wladislauiensis et suo capitulo, commutacionem bonorum nostrorum infrascriptorum fecimus sub hac forma, ita videlicet: quod eidem domino episcopo et suis successoribus villas nostras seu possessiones nostri monasterij, nulli alteri debitas, *Bronislaue, Beganouo* et *Slotouo* in territorio de *Radeow* situatas (2), nec non et *Sculsco* cum iure patronatus, sitam in crusviciensi districtu (3), prout suis certis limitibus sunt distincte, cum omnibus pertinencijs scilicet cum lacubus,

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Duorum sigillorum abruptorum supersunt funiculi serici rubri coloris. Est quoque aliud exemplar ejusdem tabulae, in eodem archivo asseruatum, cujus duo sigilla abrupta pendebant funiculis sericis rubri coloris. Variantes lectiones, hujus exemplaris adjicimus.

(2) Hodie *Bronisław*, *Bieganowo* et *Złotowo*, postrema villa hodie in Regno Prussiae, territorio Bydgostiensi, regione Juniwladislaviensi sita, ambae priores in territorio Cujaviensi regione Radziejoviensi.

(3) *Skólsk* hodie oppidum ad brachium lacus Goplo, in territorio Koninensi, regione Pyzdrensi, provincia Calisiensi situm.

agris, pratis, mellificijs, quercetis, borris, gayo et iuridicionibus, seruicijs, solucionibus, iudicijs, peticionibus seu iuuaminibus, nec non et omnibus utilitatibus, que in eisdem villis sunt, vel esse poterunt in futurum, dedimus ac eciam asignauimus (sic) iure hereditario in perpetuum libere et pacifice possidendas. Ad euictionem nichilominus predictorum bonorum, nos tenore presencium obligantes, si aliquis super eis aliquam moueret forsitan questionem. Prefatus autem venerabilis pater dominus episcopus, cum consensu sui capituli, reditus seu decimas mense sue in *Logew*, villa nostra theutonicali, et in *Dolsco* villa ducali, que sunt circa *Wladislauiam iuuenem* situate (¹), et cum noualibus nobis et monasterio nostro *strelnensi* dedit et asignauit (sic) in perpetuum, libere et pacifice possidendas. Hoc excepto, quod si dux, qui pro tempore fuerit in predicta villa *Dolsco*, aratrum suum posuerit, videlicet de tribus vel quatuor mansis decimam de eisdem suo dare poterit capellano. Aratores vero eiusdem ducis seu mediatores, nobis et nostro conuentui dare decimam tenebuntur. Sed si plus arauerit, quam tot mansos, in residuis ad nos decima integraliter pertinebit. Quam prefatus dominus episcopus, si inpediremur in ipsa, euincere et nos super eo indempnes reddere repromisit. Si autem dominus dux dictam villam in aliam transferret personam, extunc dominus ville illius, eciam de dictis mansis, quos arabit, nobis et nostro conuentui decimam integraliter asignabit (sic). In suplementum (sic) vero commutacionis predicte, idem dominus episcopus nobis et nostro conuentui centum et quadraginta marcas denariorum thorunensis monete, et centum mensuras seliginis (sic) addidit, que se tunc ad viginti marcas communi precio extendebant. Ut autem hec ordinacio seu commutacio, rite et racionabiliter facta, firma et inuiolabilis perseueret, renunciamus omnibus priuilegijs seu instrumentis, et omnibus iuribus seu consuetudinibus et auxilijs iuris canonici et ciuilis, per que predicta ordinacio posset aliqualiter inpediri. Et ne super eo in posterum dubium oriatur, presentem litteram sigillis nostro et nostri conuentus mandauimus communiri. Datum et actum apud *Strelnam*, anno domini M CCC° decimo quinto, sexto ydus May. Presentibus hijs testibus: comite

(¹) *Dulsk* et *Łojewo* villae non procul a lacu Gopło in territorio Bydgostiensi, regione Juniwladislauiensi, M. D. Posnaniensi sitae.

Johanne filio Bezdzath (5) palatino cbyauiensi, comite Dobegneo fratre ipsius judice Wladislauiensi, fratre Nicolao quondam preposito eiusdem nostri monasterij, fratre Nicolao ibidem custode, Smyslaua (6) priorissa, Sophya (7) et Hytka (8) sororibus domus predicte; dominis Thomka de *Vilicino* (9) et Ottone de *Slausco* plebanis, fratre Hermanno ordinis cysterciensis, procuratore domini episcopi, qui huius negocij extitit ordinator, ac alijs pluribus fide dignis.

(5) *Bezdzadi* in altero exemplari.
(6) *Smislaua.* (7) *Sophia.* (8) *Hydka.*
(9) *Vilcino* in altero exemplari, procul dubio *Wilczyn* oppidum in territorio Koninensi, regione Pyzdrensi, provincia Calisiensi situm. *Slawsk* (mag. et par.) villae territorii Bydgostiensis, regionis vero Juniwladislaviensis.

CCXVIII.

Strelne anno 1315 die 13 mensis Julii.

Joannes praepositus monasterii sacrarum virginum Premonstratensium Strelnensis testatur se pro villis *Bronisław, Bieganowo, Złotniki* et *Skólsk*, Episcopo Wladislaviensi permutatione alienatis, ab eodem Episcopo 160 marcas denariorum thorunensium accepisse (1).

Nouerint uniuersi presencium noticiam habiturj: quod nos frater Johannes prepositus domus Strelnensis, et priorissa, una cum conuentu eiusdem monasterij, ordinis premonstratensis, presentibus publice protestamur: a venerabili in Christo patre et domino nostro domino Geruardo, miseracione diuina Wladislauiensis ecclesie episcopo, super commutacione bonorum nostrorum, videlicet *Bronislaue, Beganouo, Sculsco* et *Slotouo* (2) cum ipso facta, recepisse sexaginta centum marcas denariorum thorunensium nobis plenarie numeratas. In cuius rei testimonium, presentem literam sigillorum nostri et conuentus munimine duximus roborandam, anno domini M° C° C° C° decimo quinto. Actum et datum aput (sic) *Strelnam* in die sancte Margarete anno domini quo supra.

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Duo erant huic tabulae appensa sigilla, quorum taeniolae pergamenae supersunt.
(2) Videatur nota 2 tabulae proxime praecedentis.

CCXIX.

Sine loco anno 1315 die 25 mensis Augusti.

Zhyra et frater ejus Woycech heredes villae *Kotomierz* limites inter eandem hereditatem et villam *Wudzyn* ecclesiae Cisterciensium Byszeviensis propriae, constitutos definiunt (1).

Notum sit universis presentibus et futuris, ad quorum noticiam presens devenerit scriptum: quod nos Zhyra una cum fratre nostro Woycech, heredes de *Cothomirze*, presentibus publice protestamur limitaciones inter hereditates, nostram scilicet *Cothomirze*, et fratrum de Byssovia *Vozino* nuncupatam, factas (2), que se extendunt a rubeto, quod dicitur *Chacinkers* usque ad paludem *Zerrovite*, et directe per paludem usque ad *Sdroge*, nec non et gades, presentibus infranotatis viris, a nobis et ab abbate predicte domus in districtu dictarum limitacionum positas, nos ratas ac firmas habituros, ipsasque a nobis, a prefato fratre nostro Woycech, et a posteris sive successoribus nostris, ymo eciam a successoribus fratris nostri, felicis memorie, dicti Zdrelik, promittimus et esse volumus irrevocabiles, irreiterabiles et inviolabiles perpetue permansuras. In hujus rei perpetue firmitatis testimonium, presentes nostro sigillo pro nobis et predicto fratre nostro: èo, quod adhuc sigillum non habuit, quia juvenis: predicto abbati, suisque fratribus tradidimus communitum. Acta sunt hec anno Domini M° CCC° XV°, VIII Kalendas Septembris, presentibus hys: Vincencio Bogotitz, Jacobo Judice de *Leszce*, Zygin de *Lysov*, Woycech de *Peztin* (3), Wencezlao Kamerario Ducis, et aliis quam pluribus fide dignis.

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asseruatur, descripsit doctiss. Stronczyński. Sigilli abrupti superest taeniola pergamena.

(2) Villa *Kotomierz* territorii et regionis Bydgostiensis, *Wudzyn* ibidem.

(3) *Leszcze*, *Lisewo* et forsan *Pietzke*, villae territorii Bydgostiensis, ambae priores Juniwladislaviensis, posterior Bydgostiensis regionis.

CCXX.

Brestiae anno 1316 die 18 mensis Aprilis.

Eustachius et Joannes fratres *Duleuici*, coram Wladislao (Lokietek) Duce Regni Poloniae sortem villae *Szawlowice*, comiti Joanni castellano Crusviciensi vendunt, eamque venditionem idem Dux ratam esse jubet (¹).

In nomine domini, amen. Quod magnifica principum decreuit auctoritas, ratum et stabile debet permanere. Nos igitur Wladyslaus, dei gracia dux Regni Polonie, Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cujauieque, ad noticiam tam presencium quam futurorum, harum serie litterarum volumus deuenire: Quod cum fideles nostri seruitores *Heusthachius* et *Johannes* fratres *Duleuici*, in nostra nostrorumque baronum presencia fuissent constituti, non vi, nec metu, sed spontanea volunptate (sic) in publico protestantes sunt professi: sortem, que ipsos contingit in hereditate *Sablovici* (²) nominata, cum agris, pratis, pascuis, lacu et omnibus aliis utilitatibus, que nunc sunt pertinentes eidem sorti, vel esse poterunt in futuro, pro duodecim marcis Thorunensium denariorum vendidisse comiti Johanni castellano crusuiciensi, sibi et ipsius legittime posteritati in perpetuum iure hereditario resignantes. Promiserunt eciam dicti Heusthachius et Johannes, tunc idem (sic) comitem Johannem a tribus suis sororibus euincere et penitus exbrigare, si ipsas vel aliquam ex eis contingeret dicto comiti Johanni de eadem sorte mouere questionem. Ad maiorem autem firmitatem et cautelam, ut eo (sic) comes Johannes et posteri eius sortem dictam possiderent pacifice et quiete, domina Swenthoslaua consors Johannis, fratris Heusthachij prenotati, obligacione fideiussoria obligauit se in hunc modum: quod si Johannes, maritus eius, et Heusthachius prenotati a sororibus ipsorum: per easdem comiti Johanni mota questione, uel liberis ipsius: sortem iam dictam euincere non

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigilli abrupti superest tantum funiculus sericus viridis et rubri coloris.

(²) In parte aversa hujus tabulae annotatum: in hoc privilegio agi de uilla *Szawlowice*, quae est territorii Calisiensis, regionis vero Wartensis.

valerent; extunc eadem Swanthoslaua comiti Johanni, uel natis eius, pecuniam prefatam soluere tenebitur ex integro. Ipsa autem pecuniam soluere non valente, hereditatem suam *Baranow* (3), que ipsam contingit racione dotis, ipsi domino Johanni et successoribus suis iure hereditario in perpetuum tenebitur resignare. Nos vero dicte sortis vendicionem, resignacionem et fideiussionem factam domino Johanni et ejus liberis ratam habentes, presentibus confirmamus. In cuius rei testimonium, presentibus nostrum sigillum fecimus appendi. Actum aput *Bresche* (sic), anno domini M° C° C° C° XVI°., in conductu pasche. Presentibus hiis testibus: Myklone cuyaviensi, Jan (sic) lanciciensi palatinis, Polubon Brescensi, Bogusio Pomoranie iudicibus, Sethegio subiudice brescensi, et aliis pluribus fide dignis. Datum per manus domini Petri scolastici sandomiriensis, notarij curie nostre.

(3) Complures sunt villae ejus nominis; verisimile tamen est, hic intelligi villam *Baranow* territorii Sochaczoviensis, aut villam *Baranowo* provinciae Plocensis, territorii et regionis Przasnyszensis.

CCXXI.

Avenione anno 1317 die 7 mensis Junii.

Joannes XXII Papa litem de constituto praeposito ecclesiae Swiecensis. Friderico de Prussia, inter Ordinem Teutonicum atque Episcopum Cujaviensem exortam, decano ecclesiae Warmiensis dijudicandam committit.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. II. p. 98. N^ro^ 80.

CCXXII.

Nieszaviae anno 1317 die 17 mensis Julii.

Venditio et resignatio terrae Michaloviensis pro quingentis sexaginta duabus marcis a Lescone duce Cujaviae Ordini Teutonico facta.

Dogiel Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 41. Nro XLIX—Stronczyński „Wzory pism dawnych" p. 29. Nro 26—Acta Borussica. T. III. p. 377.

CCXXIII.

Raciensi anno 1317 die 2 mensis Novembris.

Geruardus Episcopus Wladislaviensis, cuidam Olbrachto sculteto Raciąžensi villam *Osno* possidendam donat, certis conditionibus adjectis (1).

In nomine domini, amen. Nouerint universi, ad quos peruenerit presens scriptum: quod nos Geruardus, dei gracia ecclesie Wladislauiensis episcopus, cupientes in omnibus nostre ecclesie meliorare prouentus, habito sufficienti fratrum nostrorum capituli Wladyslauiensis consilio, pariter et assensu, hereditates nostras *Osno*, *Osencze*, *Wychrouity* et *Rudnicy* in unam has omnes hereditatem, quam uno nomine *Osno* wlgariter nuncupari volumus (2), coniunctas, discreto viro Olbrachto, quondam Strobiry, nostro de *Raczens* (3) sculteto, jure magdburgensi (sic), sub ea ordinacione, que sequitur, exposuimus ad locandum. Ita videlicet, quod eidem sculteto racione locacionis, decimum mansum liberum a censu tantum, et non a decima, et suis posteris legittimis, jure hereditario imperpetuum pacifice possidendum dedimus et conferimus per presentes. Preterea incole hereditatis nostre predicte, de mansis incultis et extirpandis, quatuor annorum gaudebunt omnimoda libertate. Infra quos tamen annos, de extirpatis et cultis decimam nobis soluent. Quibus annis libertatis euulsis, predicti incole de quolibet manso mediam marcam thoruhensium denariorum racione census in festo beati Martini, et decimam integraliter in campo tempore messis, ac linum decimale suo tempore nobis et nostris successoribus quolibet anno soluere tenebuntur. Quem censum totum prefatus scultetus noster tenebitur exigere et nobis integraliter assignare. Item predicto nostro sculteto et

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Duorum sigillorum abruptorum supersunt tantum funiculi sericì viridis coloris.

(2) *Ośno dolne*, *górne* et *podleśne* (inferior superior, et ad silvam sita) *Osiecz* (major et minor), villae regionis Brestensis. Est etiam oppidum *Osięciny* in regione Brestensi situm. *Wichrowice* villa regionis Kowalensis, *Rudki hollendry*, villa regionis Brestensis, omnes hae villae territorii Cujaviensis.

(3) Hic intelligitur non oppidum *Raciąż*, in provincia Plocensi, regione Mlavensi situm, sed oppidum *Raciążek* territorii Cujaviensis, regionis Radziejoviensis non procul a Vistulą et regione fere urbis Nieszaviae situm.

suis posteris, thabernam liberam in predicta nostra dedimus hereditate. Preterea dictus scultetus jure magdburgensi iudicabit causas magnas et paruas, que in eiusdem scultecie ipsius terminis causabuntur. Hoc addito, quod in causis precipuis et colloquijs, noster procurator vel nuncius generalis seu specialis, quem ad hoc miserimus, presens erit. De iudicato autem tercius sibi et nobis duo denarij cedent. Et admisimus sibi in actu iudicandi existenti, in minutis causis, que ad quatuor solidos se extendunt, penam parcere, cui voluerit, vel graciam facere de eadem. Quod facere non poterit, postquam de iudicio se mouebit. Et in denarijs iuramenti, prout in *Juueni Wladislauia* obseruatur, jus habebit. Item prefati incole nobis arare uno die ad estiualia, et duobus diebus ad hyemalia tenebuntur. Preterea ad necessitates nostras, quocienscumque et quandocumque pro negocijs nostre ecclesie et nostris ingruerint, dicti incole, prout jus magdburgense requirit, tenebuntur nos iuuare, et nobis debita seruicia exhibere. In cuius rei testimonium, presentes nostro et nostri capituli sigillis duximus roborandas. Actum et datum apud Radczens (sic), anno domini millesimo trecentesimo decimo septimo, in crastino omnium sanctorum. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Stanislao preposito, Mathia decano, Alberto scolastico, Theodrico custode, Wladislauiensibus; Michaële preposito, Stanislao decano, Bodzatha archidyacono, crusficiensibus, et alijs quam pluribus fide dignis, nostre curie capellanis.

CCXXIV.

Juniwladislaviae, anno 1318.

Lesco Dux Cujaviae et dominus Juvenis Wladislaviae Gerwardo Episcopo Wladislaviensi in villa *Slawsko* castri exstruendi potestatem concedit (1).

In nomine domini, amen. Nouerint uniuersi presencium noticiam habituri: quod nos Lestcho, dej gracia dux Cuyauie et dominus iuuenis Wladi-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigilli abrupti superest taeniola pergamena.

slauie, ad peticionem venerabilis in Christo patris domini Gerwardi, dei gracia episcopi Wladislauiensis ecclesie, ut in *Slausco*, villa sua in territorio ultra *Mantwas* (²), pro conseruacione rerum ac incolarum ibidem existencium, propter insultus spoliatorum ac predonum, qui, phroch (sic) dolor, in eadem villa sepius contingunt, castrum eciam, si de muro uoluerit, construat: dingnum (sic) duximus admittendum. In cuius rej testimonium, presentes litteras nostri sigilli munimine mandauimus sibi dari. Actum et datum in *iuueni Wladislauia*, anno domini M° C° C° C° decimo octauo.

(²) *Montwy* villa territorii Bydgostiensis, regionis vero Juniwladislaviensis, sita ad fluvium *Noteciam* vel *Montwey* in itinere, quod fert Juniwladislavia Strzelnam. *Slawsk* villa non procul ibidem remota circa Crusviciam sita. Vid. not. 3. ad tab. anni 1310, N^{ro} CCVII p. 189.

CCXXV.

Juniwladislaviae anno 1318 d. 13 men. Januarii.

Coram Lescone Duce Cujaviae et domino Juvenis Wladislaviae Beniamin, Bervoldus et Vlozymirus, filii comitis Andreae Lasczewicz, subagasonis Cujaviae, vendunt villam *Korabniki* Gerwardo Episcopo Wladislaviensi, quam venditionem idem Dux vult esse ratam (¹).

In nomine domini, amen. Quoniam ea, que aguntur in tempore, lapsu temporis a memoria elabuntur, nisi scripture presidio et testium amminiculo fuerint insignita (²): hinc est, quod coram nobis Lestcone (³) dei gracia duce Cuyauie et domino juuenis Wladislauie, constitutis honorabilibus uiris (⁴) dominis, Mathia decano Wladislauiensi et Gockino plebano de *Wyncz* (⁵) canonico crusuiciensi (⁶), ex parte venerabilis in Christo patris domini Gerwardi, dei gracia episcopi Wladislauiensis ecclesie, nec non fratribus vide-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigilli abrupti superest funiculus sericus coloris rubri. Alteri hujus tabulae exemplari, quod ibidem asservatur, appensum est funiculo serico coloris rubri sigillum penitus deletum. Variantes lectiones subjungimus.
(²) *Insingnita.* (³) *Lestchone.*
(⁴) *Honorabilibus uiris*, deest in altero exemplari.
(⁵) In alio exemplari *Wincz*. Vid. *Wieniec* in Indice.
(⁶) *Crusuicensi.*

licet Benyamin ([7]), Beruoldo et Vlozymiro ([8]), filijs quondam comitis Andree Lasczewicz ([9]), subagazonis Cuyauie, sunt publice protestati, quod prenotati filij Andree hereditatem ipsorum *Corabnik* ([10]) wlgariter nuncupatam, prout ab antiquo suis gadibus est distincta, situatam circa *Slausco* ([11]) in territorio ultra Mantwas ([12]), predicto domino episcopo Wladislaviensi pro duodecim marcis usualis monete, iuste vendicionis titulo, vendiderunt ([13]) sibi et sue ecclesie, cum omni iure, quo ipsi tenebant libere resignauerunt perpetuo possidendam, petentes nichilominus nos humiliter, ut vendicionem et empcionem ([14]) predictam, factam inter ipsos, ratam haberemus, et nostris literis ([15]) confirmare et ratificare deberemus. Nos autem, cum idem dominus episcopus nobis multa seruicia inpendit, et adhuc inposterum, uolente domino, inpendere est paratus, ipsius precibus inclinati, prenotatam empcionem et vendicionem ratam et gratam habentes presentibus confirmamus. Eximentes siquidem incolas predicte hereditatis perpetuo, si quos contingerit ibidem locari, ab omnibus iuribus ducalibus, seruicijs, solucionibus, angarijs et preangarijs ([16]) quibuslibet, quocumque nomine censeantur. In cuius rei testimonium, presentes litteras nostri sigilli munimine mandauimus roborare. Presentibus testibus infrascriptis, comitibus: Uneslao castellano, Dobegneuo ([17]) judice, Bogusa ([18]) subcamerario, Criuosando ([19]) subiudice, Wladislauiensibus, Gerwino aduocato; dominis: Petro plebano ibidem, Burchardo curie nostre capellano, et alijs quam pluribus fide dignis ([20]). Actum et datum in castro nostro *Wladislauiensi,* in octaua Epyphanie ([21]), anno domini millesimo ([22]) C° C° C° decimo octauo.

([7]) *Beniamin.* ([8]) *Berwoldo* et *Wlozymiro.*
([9]) *Lasczewicz*, deest in altero exemplari.
([10]) *Korabniki* villa territorii Cujauiensis, regionis vero Brestensis.
([11]) *Slafsco.*
([12]) *Mantvas*, vid. annotatio 2 ad tabulam praecedentem.
([13]) Post vocem *vendiderunt* legitur *et.*
([14]) *Empcionem et vendicionem.* ([15]) *Litteris.*
([16]) *Seruičijs ducalibus, solucionibus, angariis et perangariis.*
([17]) *Dobegnewo.* ([18]) *Bogussa.* ([19]) *Krivosando.* ([20]) *Dingnis.*
([21]) *Epiphanie.* ([22]) *M°*

CCXXVI.

Trzemesznae anno 1318 d. 24 men. Februarii.

Martinus praepositus coenobii Augustinianorum Trzemesznensis villam *Wlostowo* circa lacum Gopło sitam, tum decimas villae *Likmonow*, Geruardo Episcopo Wladislauiensi vendit (¹).

In nomine domini, amen. Temporalis expirat accio, nisi robur accipiat a uoce testium et scripturarum. Nouerint igitur uniuersi, ad quos peruenerit presens scriptum: quod nos frater Martinus, prepositus una cum conventu nostro domus *Tremesnensis* (²), ordinis sancti Augustini in extrema necessitate positi, ob defectum victualium, propter quem conuentus noster predictus dispergi debuit, hereditatem domus nostre predicte, que *Wlostowo* wlgariter nuncupatur, circa *Goplo* in territorio crusficiensi situatam, reuerendo in Christo patri domino Geruardo, ecclesie Wladislauiensis episcopo, pro quadraginta marcis denariorum monete Thorunensis vendidimus, cum decima hereditatis eiusdem, et cum decima de *Likmanow*, villa predicti domini (³), circa *Wladislauiam Juuenem* situata; pro qua quidem decima, inter nos et eundem dominum episcopum questio fuit et ambiguitas vertebatur, cui questioni et impeticioni cessimus et cedimus per presentes. Predictam autem villam *Wlostowo* vendidimus siquidem cum lacubus, insulis, pratis et omnibus pertinencijs ad eandem, ac uniuersis utilitatibus et usufructibus quibuslibet, qui in eadem sunt et esse poterunt in futurum, cum omnibus juribus et libertatibus, quibus eadem hereditas frui noscitur et gaudere; cuius quidem hereditatis possessionem cum omni jure et dominio, quod in eadem ad nos pertinere dinoscitur, predicto domino episcopo et suis successoribus resignantes, ipsam sibi assignauimus et tenore presen-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Huic tabulae appensa sunt funiculis sericis viridis coloris duo sigilla minoris formae comminuta. Est et aliud exemplar hujus tabulae ibidem asseruatum. Eidem sunt etiam funiculis sericis viridis coloris appensa duo sigilla iam deleta.

(²) *Trzemeszno* oppidum territ. Bydgostiensis, regionis vero Mogilnensis.

(³) In altero exemplari legitur post vocem domini vox *Episcopi*; pro *Likmanow* autem *Lykmanow*, sed villam hanc frustra in indicibus atque tabulis geographicis quaesivimus.

cium assignamus, renunciantes in scriptis eisdem omni accioni, inpeticioni, priuilegijs seu indulgencijs quibuscumque a sede apostolica impetratis seu eciam impetrandis, aut ab aliquo alio seculari, vel ecclesiastico judice optentis (sic) vel optinendis, omni beneficio juris ciuilis et canonici, restitucionis in integrum, et omnibus alijs auxilijs, per que predicta vendicio et empcio posset imposterum (sic) aliqualiter impediri. Et ne super hoc, procedente tempore, cuiquam dubium oriatur, presentes nostro et conuentus nostri predicti sigillis duximus roborandas. Actum et datum apud *Tremesnam*, in crastino beati Mathie apostoli, anno domini millesimo CCC° decimo octauo. Presentibus fratribus nostris: fratre Nicolao priore, fratre Godyno custode tremesnensibus, Comite Sandzyuoio judice naklensi; dominis: Mathia decano Wladislauiensis, Michaële preposito, Stanislao decano crusficiensis (sic), ecclesiarum; Swantoslao de *Polenno* herede, et alijs quam pluribus fide dignis.

CCXXVII.

Wladislaviae anno 1318 die 11 men. Junii.

Primores et nobiles viri terrae Cujaviensis concordiam de jure succedendi inter Premislaum et Lesconem fratres, Duces Cujaviae, initam testimonio suo confirmant.

Lelewel. „Począt. Prawod. Polsk." p. 215.

CCXXVIII.

Sulejoviae, anno 1318 die 23 mensis Junii.

Wladislaus (Lokietek) Dux Regni Poloniae novam emptionem villae *Roskidalino* a Gerardo Episcopo Cujaviensi factam ratam esse jubet (1).

In nomine domini, amen. Quoniam gesta magne ordinacionis solent faciliter deperire, si scripture testimonio, vel testium aminiculo non fuerint

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Cujaviensis. Sigillum majoris formae appensum est funiculo serico rubri coloris, sed jam dimidia sui parte destructum. Exhibet ducem stantem in campo, latrunculorum modo efficto, a laeva ejus parte in scuto oblique posito

memorie commendata; ideo nos Wlodizlaus, dei gracia dux Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyauieque ac heres Regni Poloniae, notum facimus uniuersis tam presentibus, quam futuris: quod cum olim Stanizlaus dictus Sirzik (2), filius quondam Swentoslay de *Breze*, miles noster, hereditatem suam, que *Roskidalino* nuncupatur, iacentem in terra Cuyauie super *Wislam*, Johanni dicto Rikaliz (3), tunc ciui nostro Brestensi, pro certa quantitate pecunie vendidisset, jdemque ciuis hereditatem eandem, venerabili patri domino Geruardo, ecclesie Wladizlauiensis episcopo, pro centum tredecim marcis denariorum monete Torunensis uendidisset iterato: postea uero eodem domino episcopo, propter capitales inimicitias et plurima legittima impedimenta, jura sua et bona ecclesie sue non ualente deffendere auxilio brachij secularis, idem Stanizlaus, nomine domine Margarethe uxoris sue, ad quam racione donacionis propter nupcias, dictam hereditatem pertinere dicebat, ipsam occupauit, nec eundem dominum episcopum eam permittebat pacifice possidere: idem autem dominus episcopus, propter bonum pacis, vexacionem suam uolens redimere, defuncto eodem Stanizlao, predicte domine Margarethe, et Johanni filio eius, sexaginta marcas memorate Torunensis monete dedit et soluit pro hereditate supradicta. Tandem ipso domino episcopo hereditatem ipsam pacifice possidente, filij dicti Stanizlay, videlicet dominus Jacobus canonicus cracouiensis, plebanus de *Mokrsko*, Petrus, Swentoslaus, Dominicus et Franciscus, super hereditate eadem ipsum iterum impetebant; demum nobilium virorum comitum Thomislay Cracouiensis, Nauoy Sandomiriensis et Clementis Siradiensis, palatinorum, multiformibus accedentibus precibus, et sedulo interuentu, dominus episcopus prelibatus predictis filijs Stanizlai XL marcas grossorum pragensium, secundum modum cracouiensem, pro eadem hereditate dedit, numerauit pariter et exsoluit: Ipsi uero Stanizlay filij supradicti, una

conspicitur insigne cujaviense: super scutum posita est cassis vulturiis pennis adornata. Verba sigillo inscripta penitus deleta. In aversa sigilli parte, cerae coloris viridis impressa est imago aquilae cracoviensis provinciae. E uerbis in ambitu hujus sigilli haec legi possunt . . . „*ve cracovie et sandom*" . . . Est et alterum hujus tabulae exemplar, quod tamen nullas variantes lectiones offert.

(2) In altero exemplari: *Syrzik.*

(3) Huic tabulae illustrandae inserviunt ea, quae in notis duabus praecedentibus tabulis annexis attulimus, videlicet in tabula anni 1303 Nro CLXXX p. 163, et tab. anni 1313 Nro CCX p. 191.

cum sororibus suis Elizabeth, uxore Thomislay palatini predicti, et Dirska relicta quondam Prezlay, et heredum ac successorum, consanguineorum quoque et affinum (sic), ac amicorum suorum nomine, omni juri, peticioni et accioni, si quod eis pro eadem hereditate competere posset aliqualiter in futurum, cesserunt et renunciauerunt, uolentes, quod idem dominus episcopus et ecclesia sua Wladizlauiensis, hereditatem eandem *Roskidalino* cum omnibus juribus, fructibus, utilitatibus, agris, molendinis, et generaliter cum omnibus suis pertinencijs, absque aliqua impeticione debeat habere, tenere et perpetuis temporibus jure hereditario possidere. Nos igitur, ad peticionem parcium predictarum, predictas vendicionem et empcionem ratas habentes et gratas, eas sub appensione nostrorum sigillorum ratificamus, approbamus et tenore presencium confirmamus. Actum apud *Suleiow*, anno domini M° CCC° decimo octauo. Presentibus hijs testibus: Nauoyo sandomiriensi, Thomislao cracoviensi, Clemente Siradiensi, palatinis; magistro Francisco cracouiensi, Nankero siradiensi, Johanne cuyauiensi, cancellarijs. Datum per manus Sbigney, vicecancellarij cracouiensis, in vigilia beati Johannis Baptiste.

CCXXIX.

Calissiae, anno 1318 die 29 mensis Augusti.

Stephanus dictus Pancaneus, Capitaneus totius Regni Poloniae ac Cujaviae, concedit vectoribus civitatis Thoruniensis plenam et omnimodam libertatem per terram procurationis suae versus Konin et Calissiam, transeundi et revertendi.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. II. p. 104. Nro 86.

CCXXX.

In villa Kinsdorf, anno 1319 die 27 mensis Julii.

Testimonium Petri de Nuwenburg ratione concordiae inter Lesconem et Premislaum Duces Cujaviae.

Stronczyński „Wzory pism dawnych" p. 31. Nro 27.

CCXXXI.

Brestiae, 1320 die 18 mensis Februarii.

Janislaus Archiepiscopus Gnesnensis una cum Gerardo Episcopo Cujaviensi, praepositum et officialem Culmensis ecclesiae certiores faciunt, sibi a Papa Joanne XXII missam esse bullam, quae de tributo vulgo *grossus Sancti Petri* dicto in toto Regno Poloniae percipiendo legem statuat; eamque totam describentes injungunt eis, ut eam ad debitum effectum adducant.

Voigt Cod. dipl. Prussicus T. II. p. 112 Nro XCIII.

CCXXXII.

Ujmae, anno 1320 die 2 mensis Aprilis.

Janislaus Archiepiscopus Gnesnensis et Capitaneus terrae Brestensis et Radziejoviensis Nicolao praeposito coenobii Premonstratensium Strelnensis concedit facultatem vendendi villas *Bytoń* et *Stróżewo* Gerardo Episcopo Wladislauiensi (1).

In nomine domini, amen. Nos Janislaus, diuina et apostolice sedis prouidencia sancte gnezdnensis ecclesie archiepiscopus, et capitaneus terre Brestensis et Radzeyouiensis, notum facimus vniuersis presentes litteras

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Tria sigilla minoris formae, omnia figurae ex longo rotundae, pendent funiculis coloris flavi et rubri, attamen omnia destructa.

inspecturis: quod constitutis in nostra presencia venerabili fratre nostro domino Geruardo, ecclesie wladislauiensis episcopo, et fratre Nicolao, preposito Monasterij *Strelnensis*, premonstratensis ordinis, wladislauiensis dyocesis, ipse prepositus suo, ac conuentus sanctimonialium eiusdem monasterij nomine nobis humiliter supplicauit: quod cum Monasterium ipsorum predictum tum per guerras continuas, tum per incursus malorum hominum, ad tantam desolacionem deuenerit, et sit tantorum debitorum multitudine oneratum, quod non possit, absque alienacione aliquorum bonorum immobilium eiusdem monasterij, in statum debitum aliqualiter reformari; quatenus sibi et conuentui predicto, super hoc paterna sollicitudine prouidere curantes, assensum nostrum eis ad hoc prebere deberemus, quod hereditates seu villas monasterij eorum, que *Bythome* et *Strosow* wlgariter nuncupantur, iacentes in territorio Radzeyouiensi (²), predicto fratri nostro vendere possent, et in aliquo ipsum monasterium reformare, ac suas indigencias plurimas, ac nimiam inopiam releuare. Nos igitur: eorum necessitati ac inopie paterno compacientes affectu, et eorum iuste peticioni annuentes: quod predictas hereditates seu villas memorato fratri nostro vendant, prout est supra dictum, tamquam Capitaneus dictarum terrarum beniuole consentimus. In cuius rei testimonium, presentes litteras fieri fecimus, et sigillorum, nostri et prepositi ac conuentus predictorum, appensione muniri. Actum et datum in *Ugyma*, villa nostra (³), quarto nonas Aprilis, anno domini millesimo trecentesimo vicesimo. Presentibus fratribus nostris: Nicolao decano, Philippo cancellario Regni Polonie, canonico ecclesie gnezdnensis, Mathia decano, Alberto scolastico, wladislauiensibus; Thomislao et Vincencio canonicis predicte ecclesie nostre gnezdnensis.

(²) Hodie *Bytoń* et *Stróżewo* villae regionis Brestensis.
(³) Procul dubio villa *Ujma* (major et minor) territorii Cujaviensis, regionis vero Radziejoviensis.

CCXXXIII.

Strelnae, anno 1320 die 6 mensis Aprilis.

Nicolaus Praepositus monasterii Premonstratensium Strelnensis, Janislao Archiepiscopo Gnesnensi permittente, villas *Bytoń* et *Stróżewo* Gerardo Episcopo Wladislaviensi vendit (¹).

In nomine domini, amen. Corporee molis lubrica condicio ita plerumque mentes sensusque mortalium obnubilat et obfuscat, ut, nisi ea, que aguntur testium adminiculo, vel scripture testimonio fuerint memorię commendata, in obliuionis omnimode precipicium dilabantur. Jnde est, quod nos Nicolaus, dei miseracione prepositus una cum fratribus nostris, et Walpurgis priorissa, ac totum collegium seu conuentus sanctimonialium monasterij *strelnensis*, premonstratensis ordinis, Wladislauiensis dyocesis, cupientes, ut rei geste plena et indubitata memoria ac noticia apud presentes et posteros habeatur, notum facimus uniuersis, presens scriptum inspecturis: quod dum, peccatis exigentibus, bona eiusdem monasterij nostri, ac ipsum monasterium et ecclesia, tum per guerras diutinas, tum per incursus malorum hominum, ac eciam quoddam incendium casuale, ad tantam desolacionem deuenissent, et tantis essent debitis onerata, quod, absque alienacione aliquorum bonorum immobilium ecclesie eiusdem, non possent in statum debitum reformari, ad reformacionem ipsorum intendere cepimus iuxta posse. Conuenientes igitur in unum, non semel sed pluries de hoc tractatum debitum habuimus et sollempnem. Tandem vero meliora prospicientes, et non dubitantes per hoc nostri monasterij, seu ecclesie, deo propicio, condicionem facere meliorem, in hoc nostra resedit intencio, quod hereditates, villas seu possessiones eiusdem monasterij et ecclesie nostre, que *Bythom* et *Strosow* wlgariter nuncupantur, iacentes in districtu Radzeyouiensi, omnes unanimi voluntate, consilio et consensu: accedente ad hoc venerabilis patris domini Janislay archiepiscopi gnezdnensis, gu-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Duo sigilla appensa funiculis sericis coloris flavi et rubri, ambo destructa.

bernatoris, rectoris seu capitanei terre Brestensis et Radzeyouiensis ([2]), ac eciam discreti viri patris nostri Johannis, prioris sancti Vincencij, wratislauiensis dyocesis, qui domini abbatis eiusdem monasterij sancti Vincencij, existentis in curia romana, ad presens vices gerit: consensu et beniuola voluntate, venerabili patri domino Geruardo, ecclesie Wladislauiensis episcopo, sue ecclesie nomine vendidimus pro centum quinquaginta marcis denariorum monete thorunensis. Volentes, ut ipse et sui successores, ac ecclesia sua Wladislauiensis, easdem hereditates, villas, seu possessiones cum omnibus et singulis fructibus, redditibus, prouentibus, iurisdicione, seruicijs, solucionibus, nemoribus seu gaijs, frutectis (sic), lacu seu piscarijs, decimis, jure patronatus, pratis, pascuis, ac pertinencijs suis uniuersis, et utilitatibus omnibus, que in terra et super terram sunt ad presens, vel esse poterunt in futurum, cum omni proprietatis et dominij jure, prout eedem hereditates in suis metis, gadibus seu terminis circumferencialiter distincte sunt, habere et tenere debeat, ac perpetuis temporibus libere et pacifice possidere. Quem eciam in earundem hereditatum possessionem induximus corporalem. Promittentes nichilominus pro nobis et nostris successoribus bona fide eandem vendicionem nostram firmiter et inuiolabiliter perpetuo obseruare, et non contrauenire aut facere aliqua racione, modo vel ingenio, verbo vel opere de iure vel de facto; et renunciantes excepcioni non numerate pecunie, et appellacioni, ac omni juris auxilio tam canonici, quam ciuilis, per quod vel quas eadem empcio ipsius domini episcopi posset aliqualiter impediri. In cuius rei testimonium et euidenciam pleniorem, presentes litteras fieri fecimus, et sigillorum nostrorum, prepositi ac conuentus predictorum, munimine roborari. Actum et datum in *Strelna*, in monasterio nostro, octauo Idus aprilis, anno domini millesimo trecentesimo vicesimo. Presentibus et se subscribi mandantibus fratribus nostris: Nicolao custode, et Johanne presbytero; item sororibus Ithca, Osanna, Suantoslaua, Susanna, Clemencia, Heduigi, Anna et Wyrzchoslaua; item dominis: Stanislao preposito, Mathia decano, Alberto scolastico, Wladislaviensibus, Michaële preposito crusficiensi, Magistro Petro cantore, Gothkyno presbytero, Jaroslao de *Slusow* et Bogufalo, canonicis predicte ecclesie Wladislauiensis.

([2]) Vide tabulam proxime praecedentem.

CCXXXIV.

Raciensi, anno 1320 die 28 mensis Aprilis.

Nicolaus Praepositus monasterii Premonstratensium Strelnensis, sibi a Geruardo Episcopo Cujauiensi, pro villis *Byton* et *Stróżewo* eidem venditis praetium solutum esse testatur (¹).

In nomine domini, amen. Nos frater Nicolaus prepositus, Walpurgis priorissa et totus conuentus sanctimonialium monasterij *Strelnensis*, premonstratensis ordinis, W(ladyslauiensis) dyocesis, tenore presencium literarum recognoscimus et publice profitemur: quod, dum venerabili patri domino Gerwardo, Wladislauiensis (ecclesie) episcopo, dyocesano nostro, villas monasterij nostri *Bythom* et *Strosow* wlgariter nuncupatas, in districtu Radzeouiensi (situatas), pro centum quinquaginta marcis denariorum Thorunensium vendidissemus: pro reformacione ecclesie ac monasterij nostri predicti casualiter igne crematis (sic), ac informacione bonorum nostrorum per gwerras vastatorum: ab eodem domino Episcopo pro eisdem villis recepimus pecuniam memoratam nobis plenarie numeratam in paratis denarijs et annonis, et eundem dominum Episcopum in prefata pecunia, nobis ut diximus integraliter persoluta, in scriptis eisdem perpetuo quietamus. Et ne cuiquam super hijs in posterum dubium oriatur, presentes literas sigillorum nostrorum, prepositi et conuentus predictorum, fecimus apensione (sic) muniri. Datum in *Radcens* (²), die beati Vitalis martiris, anno domini millesimo CCC° vicesimo. Presentibus dominis: Nicolao decano gnezdnensi, magistro Petro cantore Wladislauiensi, religiosis viris fratribus: Conrado de *Sucouia*, Nicolao de *Srelno* (sic), eiusdem ordinis, Itcha et Susanna, sanctimonialibus monasterij prenotati, Bogufalo Wladislauiensis et Stephano poznaniensis ecclesiarum canonicis, et alijs pluribus fide dignis.

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Duorum sigillorum abruptorum supersunt taeniolae pergamenae.

(²) Vid. in Indice II vox *Raciążek*.

CCXXXV.

Brestiae, circa annum 1320 die 29 mensis Maji.

Judices a Sede Apostolica delegati ob damna a fratribus *Lubissoviensibus*, Ordinis Teutonici, Episcopo Wladislaviensi illatas, possessionem bonorum, praedictorum fratrum propriorum eidem Episcopo adjudicant (1).

Magnifico principi domino Wladislao Regi Polonie illustri, Janislaus diuina et apostolice sedis prouidencia gnezdnensis archiepiscopus, et Domaratus episcopus poznaniensis, judices a sede apostolica delegati cum oracionibus deuotis paratam ad ipsius beneplacita voluntatem. Dominacioni vestre literis presentibus innotescat: quod nos a sanctissimo patre domino Johanne, sacrosancte Romane ecclesie summo pontifice, literas recepimus cum vera ipsius bulla filo canapi ad eas appensa, non cancellatas, non rasas, non abolitas, nec in parte sui aliqua viciatas, in quibus nobis dedit in mandatis, quod si aliqui essent cuiuscumque dignitatis, excellencie, ordinis aut status, qui venerabili fratri nostro domino Geruardo, Wladislauiensi episcopo, in villis, hominibus, decimis, redditibus ac qualibuscumque bonis ipsius et ecclesie sue Wladislauiensis, aliqua dampna, molestias,

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Duorum sigillorum, quae desiderantur, supersunt taeniolae pergamenae. Licet annus, quo haec tabula confecta est, non sit adscriptus, aliquatenus tamen potest constitui. Domaratus Episcopus Posnaniensis, teste Dlugossio, anno 1320 die 12 mensis Martii supremum diem obiit, Janislaus evectus est ad archiepiscopatum gnesnensem exeunte 1314 anno, vel potius ineunte 1315. Papa Joannes XXII electus est die 7 Aug. 1316: tabula haec itaque vel anno 1317 vel 1318 vel denique 1319 conscripta sit necesse est; quum die 29 Maji 1316 Joannes Papae honore nondum fungeretur, anno vero 1320 die 29 Maji Episcopus Domaratus jam in vivis non esset. Ex superioribus tribus annis, annus 1319 possit quidem designari is, quo haec tabula conscripta est; quum nimirum dies statuta, qua advocatos fratrum Lubissoviensium in judicium venire oportebat (in crastino SS. Trinitatis), hoc anno in diem 28 Maji cadat, scilicet pridie ejus diei, quo nostra tabula data est; annis autem 1317 et 1318 post diem 29 Maji incidat: attamen quum ex tabulis sequentibus annorum 1320 appareat Domaratum Episcopum Posnaniensem adhuc mense Novembri 1320 anno in vivis fuisse, et secundum plures tabulas anni 1321 etiam mense Septembri 1321 eundem vita frui videamus, haec res itaque nostrae priori conjecturae repugnat, ideoque hanc tabulam *circa annum* 1320 scriptam esse credimus, praesertim quum Dlugossius, causam in hac tabula tractatam eodem 1320 anno actam fuisse narret.

grauamina, seu injurias aliquas irrogassent, si nobis de hoc constaret, eosdem molestatores, dampnificatores et iniuriatores, ad satisfaccionem condignam eidem domino episcopo et sue ecclesie exhibendam, de plano, summarie, ac sine strepitu et figura judicij procedendo, per censuram ecclesiasticam compellere deberemus: Quia vero idem dominus episcopus coram nobis grauiter est conquestus quod . . . (sic) commendator et fratres de *Lubysow* (²), Wladislauiensis dyocesis, ordinis hospitalis sancti Johannis Jherosolimitani, ei et ecclesie sue Wladyslauiensi graues molestias et injurias intulerunt, ac dampna plurima, villas, bona et homines suos spoliando, captiuando et alios occidendo crudeliter, irrogarunt, que se ad plura milia marcarum extendunt; Nos predictarum apostolicarum auctoritate literarum, ad peticionem eiusdem domini episcopi, predictos commendatorem et fratres de *Lubysow*, dicti ordinis, ad presenciam nostram in *Brest*, ad terminum seu diem certum peremptorie fecimus euocari. In quo quidem termino, discretis viris, Alberto scolastico et Magistro, Petro cantore Wladyslauiensibus, procuratoribus memorati domini episcopi, comparentibus coram nobis, quidam frater Conradus, dicti ordinis, dicens se vicecommendatorem de *Lubysow*, in nostra presencia eciam comparuit et petiuit, quod ei: ut magistrum suum superiorem consulere posset, qualiter in causa hac habere se deberet: alium terminum concedere deberemus, in quo promisit cum advocato et procuratorio sufficienti ad procedendum in eadem causa finaliter et peremptorie conparere (sic). Nos itaque deliberacione nobiscum habita sufficienti, et communicato consilio sapientum, eidem infra duorum mensium spacium, in crastino videlicet sancte trinitatis, terminum dedimus ad predictam consultacionem, prout premittitur, faciendam. In termino igitur eodem, scilicet in crastino sancte trinitatis, prelibatis procuratoribus domini episcopi comparentibus coram nobis, prefatus frater Conradus vicecommendator de *Lubysow* non conparuit, nec aliquem responsalem vel procuratorem, aut saltem excusatorem misit, qui utcumque suam apud nos absenciam excusaret. Quem eciam ultra terminum aliquamdiu duximus expectandum. Verum eo nullatenus comparente, et predictis procuratoribus domini episcopi

(²) Erit sine dubio eadem villa *Lubiszewo* in decanatu Starogrodiensi, provincia Pomeraniae sita, de qua mentio facta est anno 1290 p. 116 et 117.

comparentibus ac petentibus instanter, quod secundum juris ordinem, ob contumaciam predictorum commendatoris et fratrum, dominum episcopum sepedictum in possessionem bonorum immobilium: cum mobilia tanta non haberent, ut ad hoc sufficerent: pro modo debiti in libello declarati, causa custodie seu rei seruande, mittere deberemus. Nos deliberacione sufficienti nobiscum habita, et communicato consilio sapientum, eundem dominum episcopum in possessionem bonorum fratrum dicti ordinis immobilium, videlicet in *Scheblencz* prope *Brest*, et *Nemoiow* prope *Wladislauiam juuenem*, in *Lubysow* quoque et alias villas, quas habent in *Pomorania* dicti fratres, Wladyslauiensis dyocesis et in *Sagoscz*, ac alias villas ad *Sagoscz* spectantes, cracouiensis dyocesis ([3]), auctoritate apostolica, causa custodie et rei serwande (sic), ex primo decreto decreuimus esse mittendum: ut dicti fratres, saltem hoc affecti tedio, coram nobis compareant et juris pareant equitati: destinato seu dato eidem domino episcopo, nostro nuncio videlilicet . . (sic) latori presencium, qui ipsum dominum episcopum, seu procuratorem aut nuncium eius specialem, scilicet dominum Mathiam, decanum Wladislauiensem, in possessionem dictorum bonorum in *Sagoscz* et pertinenciarum eius, auctoritate nostra, ymo verius apostolica mittat, ut premittitur, et inducat. Vestram igitur excellenciam ex parte sedis apostolice affectuose requirimus et rogamus, quatenus ut idem dominus episcopus, seu procurator aut nuncius ipsius, predicta bona, in vestro dominio jacencia, modo predicto possidere valeat, fauorem uestrum et gracie uestre beneplacitum dignemini adhibere; ipsumque taliter inductum velitis deffendere (sic), nec permittere in predicta possessione per quempiam molestari. Datum in *Brest*, IIII Kalendas Junij.

([3]) *Scheblencz* erit procul dubio villa *Zblensze*, hodie *Zbląg* inter Brestiam et Radziejoviam sita, *Niemojewo* villa regionis Juniwladislauiensis, *Zagość* territorii et regionis Stopnicensis, provinciae Cracoviensis.

CCXXXVI.

Brestiae, anno 1320 die 27 mensis Augusti.

Janislaus Archiepiscopus Gnesnensis, Capitaneus Regni Poloniae et Ducatus Cujaviae, Geruardo Episcopo Wladislaviensi in bona *Kościały*, Prybislai Troyanouicz Castellani Cracoviensis propria, ob non exsolutionem 150 marcarum, immisso haereditatem eorundem bonorum adjudicat (¹).

In nomine domini, amen. Nos Janislaus, diuina et apostolice sedis prouidencia sancte gneznensis ecclesie archiepiscopus, capitaneus Regni Polonie et ducatus Cuyauie, notum facimus uniuersis, presentem literam inspecturis: quod constituti in nostra et baronum infrascriptorum terre Cuyauie presencia Nassegneus Judex Cuyauie, et Albertus dictus Zydouo, fideiussores Pribislay Troyanouicz, castellani de *Couale*, nomine proprio, et nomine Nicolay dicti Dlugos confideiussoris eorum, assignauerunt et tradiderunt hereditatem dictam *Koscali* prefati Pribislai, sitam iuxta *Bronislaue* (sic) (²), tanquam fideiussores memorati Pribislay, et nomine fideiussorio pro centum quinquaginta marcis monete usualis, venerabili patri domino Geruardo, Wladislauiensi episcopo; quas marcas predictus Pribislaus tenebatur eidem, et pro quibus per ipsum fideiussores predicti fuerant obligati. Quam hereditatem dictus dominus episcopus, tunc temporis personaliter constitutus, tanquam in solutum et emptum, pro dicta summa pecunie, acceptauit, cum protestacionibus infrascriptis; primo videlicet, quod si quandocumque inpeteretur super predicta hereditate, et a quocunque de facto uel de iure, dicti fideiussores ad euiccionem tenerentur eidem; et quod si Pribislaus prefatus, uel alter, qui ad hoc se dicerent ius habere, prescriptam pecuniam a die natalis domini nostri Jesu Christi proxime affutura, non soluerint infra annum, extunc super redempcione hereditatis sepedicte esset

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigilli abrupti superest tantum taeniola pergamena.

(²) In tabula geographica Regni Poloniae a clarissimo Gilli composita, villa *Kościały* collocata est circa villam *Bronisławy*, utraque in regione Radziejoviensi sita; in tabula geographica a doct. Jul. Colberg Varsaviae anno 1840 edita, eadem villa fert nomen *Kosuzały*.

sibi silencium inpositum in perpetuum ipso facto. Nos autem prefatas assignacionem, tradicionem et resignacionem hereditatis, et protestaciones, cum sint juris, et per nos de consilio Baronum terre sentencialiter diffinite, ratas et gratas habentes, ipsas auctoritate capitaneatus, tenore presencium confirmamus, et possessionem eidem domino episcopo hereditatis supradicte tradimus dicta auctoritate, et tradidimus corporalem; et ipsum dominum episcopum, verum hereditariumque dominum, ex ui empcionis summe pecunie prenotate, ex nunc iuxta modum protestacionis pretacte constituimus per hec scripta. In cuius rei testimonium, presentes literas nostri sigilli munimine roboramus. Actum et datum in *Bresczе*, sexto Kalendas Septembris, anno dominj M° CCC° vicesimo. Presentibus nobilibus viris: Johanne palatino, Ubislao castellano, Rosdalio subcamerario, Brestensibus; Nicolao decano, Gerliko scolastico, Gneznensibus, et Tilone aduocato Brestensi, et aliis pluribus fide dignis.

CCXXXVI.

Brestiae, anno 1320 die 18 mensis Novembris.

Domaratus Episcopus Posnaniensis villam *Poryssiczi* **Gerardo Episcopo Wladislaviensi vendit** (1).

In nomine domini, amen. Quoniam ea, que geruntur in tempore digna memoria, simul cum decursu labentis temporis a noticia posterorum in obliuionis interitum effluunt et labescunt; sapientum decreuit auctoritas, ipsa autenticarum serie litterarum et subscripcione testium ad perpetuam rei memoriam perhennare. Nos igitur Domaratus, dei gracia poznaniensis episcopus (2), notum facimus vniuersis presencium noticia potituris: Quod attendentes, quia hereditas ecclesie nostre dicta *Porissiczi*, syta in dyoce-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Duo sigilla mediae formae, ex longo rotundae figurae, appensa filis sericis, prius filo coloris rubri, posterius coloris viridis. Ambo deleta.

(2) Vid. quae de eo dicta sunt in nota secunda tabulae anni 1321 Nro CCXL. p. 232.

si Wladislauiensi prope *Slawsco* (³), propter sui paruitatem est nobis et ecclesie nostre inutilis, et multis annis nullum fructum afferens iacuit desertata; eandem hereditatem, consilio maturo et tractatu sollempni habitis cum fratribus nostris, capitulo videlicet poznaniensis ecclesie, et de eorum consilio ac assensu, vendidimus venerabili patri domino Geruardo, Wladislauiensi episcopo et ecclesie sue, pro certa pecunie quantitate, videlicet triginta marcis argenti usualis monete thorunensis jure hereditario in perpetuum possidendam. Omne ius nostrum et ecclesie nostre, quod nobis in dicta competebat hereditate, una cum capitulo nostro predicto sponte et libere: ea intencione maxime, quod pro eadem pecunia maiorem hereditatem, ecclesie nostre utiliorem et viciniorem comparauimus: in prefatum venerabilem patrem dominum Wladislauiensem episcopum et suam ecclesiam, tenore presencium transferentes; et recognoscentes ex nunc, quod pecunia predicta pro hereditate prefata est nobis iam integraliter persoluta. Renunciamus igitur voluntarie omni accioni siue repeticioni hereditatis predicte, et omni auxilio juris canonici et ciuilis, per que vendicio et empcio memorate hereditatis rescindi valeant, uel quomodolibet inpediri. Promittentes nichilominus una cum dicto nostro capitulo, pro omni euiccione et omni indempnitate, si, quod absit, quispiam prefatum dominum Wladislauiensem episcopum, hereditate inpeteret pro eadem. In cuius rei testimonium ac robur perpetue firmitatis, presentes literas sigillorum nostri ac capituli nostri poznaniensis appensione fecimus communiri. Actum et datum in *Brzesczet* Presentibus honorabilibus viris, dominis fratribus nostris, prelatis et canonicis de capitulo poznaniensi, videlicet: Phyllippo (sic) preposito, Johanne archydyacono, Poznaniensibus; Nicolao decano, Gerlibo scolastico, gneznensibus; Mathya decano, Alberto scolastico, Wladislauiensibus, et Voyslao thezaurario curie nostre, anno domini M° CCC° vicesimo, in octaua beati Martini confessoris atque pontificis.

(³) Villam *Porissiczi* frustra in Indicibus locorum, et chartis geographicis quaesivimus.

CCXXXVII.

Brestiae, anno 1321 die 26 Februarii.

Fratres Lubissovienses, Ordinis Teutonici, a Commissariis Sedis Apostolicae in jus vocantur ob plurimas ecclesiae Wladislauiensi illatas injurias (1).

Janislaus, diuina et apostolice sedis prouidencia sancte gnezdnensis ecclesie archiepiscopus, et Domaratus, eadem gracia poznaniensis episcopus, et Nicolaus decanus gneznensis, judices a sede apostolica deputati, discretis viris . . (sic) de *Gniewa* et . . (sic) de *Raycow*, rectoribus ecclesiarum Wladislauiensis dyocesis, salutem in domino, et mandatis apostolicis firmiter obedire. Querelam grauem venerabilis fratris nostri domini Geruardi, Wladislauiensis episcopi recepimus continentem, quod . . (sic) comendator et fratres de *Lubissow*, ordinis sancti Johannis hospitalis Gerosolymitani, in uindictam processuum nostrorum, quos dudum, ad instanciam eiusdem Wladislauiensis episcopi pro dampnis et iniurijs per ipsos in bonis ecclesie sue multipliciter irrogatis, contra ipsos fecimus auctoritate sedis apostolice, qua fungebamur et fungimur in hac parte, mala malis cumulantes, bona ecclesie predicti domini episcopi, videlicet *Sobcow*, *Milobancz*, *Malenino*, *Messczino*, *Gemelcze* et *Goczessouo* (2) hostiliter spoliarunt, et bona mobilia rapta ibidem ausu temerario abduxerunt, et, quod nephandius (sic) est, honorabiles viros, dominos Paulum scolasticum crussuiciensem, procuratorem ipsius domini episcopi, et Henricum rectorem ecclesie de *Milobancz*, capellanum ipsius, presumpcione dampnabili captiuarunt, et vinculatos ac grauiter afflictos aliquo tempore turpiter tenuerunt, et astrictos fideiussionibus et fideiussoribus, ab eisdem magnas pecunias extorserunt; quas ipsos de bonis ecclesie, quamuis bona eadem non sint eorum propria, sed ecclesie, licet inuitos et renitentes iniuste soluere opportebat: et insuper expostfacto discretum virum dominum Rynkonem, procuratorem ipsius domini episcopi, et Stanislaum

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Supersunt taeniolae pergamenae trium sigillorum abruptorum.

(2) In aversa hujus tabulae parte annotatum est has villas in provincia Pomeraniensi sitas esse, et sane villae *Sobkowy* et *Milobądz* adnumerabantur decanatui Tczeviensi (Dirschau).

clericum eiusdem, equis et rebus aliis violenter presumpcione dampnabili spoliarunt: quare asserens hoc esse notorium, petebat de ipsis sibi iusticiam exhiberi et reddi. Cum igitur tenore literarum apostolicarum, per quas nobis in dicto negocio, et aliis negociis ipsius domini episcopi, potestas et auctoritas est commissa, aliis executoribus in mandato eis facto ad citacionem faciendam, et ad alios processus eis factos, uel contra eos faciendos, predictis comendatori et fratribus de *Lubissow* de verbo ad verbum inseruerimus, ut est dictum, et quarum literarum apostolicarum eis copiam mandauimus exiberi (sic). Propter quod vestre discrecioni auctoritate apostolica sub excomunicacionis pena, quam in vos ex nunc auctoritate predicta ferimus in hijs scriptis, si nostro presenti mandato, ymo verius apostolico, non curaueritis obedire, quatinus accedentes personaliter ad dictos commendatorem et fratres de *Lubissow*, ipsos ad nostram citetis presenciam, eis *quinta feria proxima sequente dominicam, qua cantatur letare, in Brzescze* (³), coram nobis terminum peremptorium propter more (sic) et animarum periculum assignando, ut tunc appareant, facturi et audituri in dicta causa, quod iusticia et juris racio postulat et requirit. Alioquin, eorum contumacia non obstante, nos procedemus in eodem negocio, quantum de jure fuerit procedendum. Datum in *Brzescze*, quarto Kalendas Martij, anno domini M° CCC° vicesimo primo. Reddite literam in signum execucionis, vestris sigillis appensis.

(³) Voces literis sic dictis cursivis exaratae in archetypo deletae sunt tenui lineola, et super eas haec scripta leguntur: „*in crastino beati Dominici confessoris in Poznania.*"

CCXXXVIII.

In villa Kaczyniec, anno 1321 die 4 men. Aprilis.

Geruardus Episcopus Wladislauiensis cuidam Nicolao sculteto Mlyniecensi aquam de riuo *Lubownica* ad molendinum Mlyniecense deducendi confert potestatem (1).

In nomine domini, amen. Nouerint uniuersi presencium noticiam habituri: Quod Nos Geruardus, dei gracia ecclesie Wladislauiensis episcopus, de consensu fratrum nostrorum capituli Wladislauiensis, admisimus et admittimus per presentes Nicolao dicto de *Culmze*, sculteto nostro de *Mlynyecz*, quod valeat aquam de riuulo, qui dicitur *Lubownycza* (2), per eadem bona nostra transire ducere ad molendinum suum ibidem, ad augumentandam (sic) aquam, in qua idem molendinum per eum est edificandum (sic), et si volet, liceat sibi in eodem molendino rothas duas edificare. De quo quidem molendino duas marcas denariorum thorunensium cum illa marca, quam ex priuilegio prius super idem molendinum per nos sibi dare (sic) soluere tenetur, racione census nobis et nostris successoribus in dominica inuocauit, singulis annis soluere, piscina vero eiusdem molendini non debet transire in mensam. Item in piscina eadem nos et idem scultetus piscabimur per nostros, et ipse per suos piscat(ores), quociens et quando nobis fuerit oportunum. Jn cuius rei testimonium, presentes sibi dedimus, sigillorum nostri et capituli nostri p . . . munimine roboratas. Datum in *Kaczin* (3), sabbato ante dominicam (ju)dica, anno domini 1321. Presentibus fratribus nostris, dominis: Bodzacha (sic) decano cracouiensi, Mathia decano, Alberto scolastico, Wladislauiensibus; Pribislao cantore crusficiensi et Goszczina plebano . . . . canonico Wladislauiensi. Et damus eidem molendinatori totum agrum colentem (sic) circa molendinum iacentem, pacifice colere et pratum falcastrare.

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum deest. Literarum ductus parum accuratus, imo negligentior, quam in tabulis hujus aetatis vulgo cernitur, tum verborum compositio hujus tabulae movent nos, ut hanc tabulam aliqua ex parte spuriam esse credamus.

(2) *Culmsee*, polonice *Chełmża*, oppidum et *Mlyniec*, villa regionis Torunensis, parochiae Ciechocinensis: *Mlyniec* villa sita ad rivum *Lubownica*, qui non procul ab ea villa Drwęcam influit; est quoque alia villa *Mlyniec*, ex opposito illius sita in Regno Poloniae, quum prior est in Regno Borussiae.

(3) *Kaczyniec* villa territorii Cujaviensis, regionis vero Brestensis.

CCXXXIX.

Brestiae, anno 1321 die 3 mensis Julii.

Fratres Lubissovienses, Ordinis Teutonici, a Commissariis Sedis Apostolicae denuo in jus vocantur ob injurias ecclesiae Wladislaviensi illatas (¹).

Janislaus diuina et apostolice sedis prouidencia sancte gneznensis ecclesie archiepiscopus, Domaratus, dei gracia poznaniensis ecclesie episcopus, et Nycolaus, decanus ecclesie gneznensis, judices a sede apostolica delegati: Discretis viris . . . (sic) de *Gnieua* et . . (sic) de *Raycow* ecclesiarum rectoribus, Wladislauiensis dyocesis, salutem in domino, et mandatis apostolicis firmiter obedire. Nouerit discrecio vestra: quod nos, receptis litteris sanctissimi patris domini Johannis, sacrosancte romane ecclesie summi pontificis, in quibus nobis mandabat, quod omnes et singulos, qui venerabili fratri nostro domino Ger(wardo), Wladislauiensis ecclesie episcopo, in suis, aut ecclesie sue, bonis aliqua dampna seu iniurias irrogassent, ad satisfaciendum sibi de ipsis compellere auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam deberemus; inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, commendatorem et fratres de *Lubissow*, Wladislauiensis dyocesis, ordinis sancti Johannis Jerosolimitani, qui eidem domino Wladislauiensi episcopo, prout ex querela ipsius accepimus, in bonis ecclesie sue ac hominum ipsius multa et grauia dampna irrogasse dicebantur, ad nostram fecimus, peremtorie ad certum terminum, presenciam euocari. Quibus in eodem termino coram nobis nec per se, vel per responsalem ydoneum, comparentibus, ymo se contumaciter absentantibus, ad instanciam eiusdem domini episcopi, seu procuratoris ipsius, iusticia suadente, ipsum dominum episcopum in possessionem bonorum immobilium dicti commendatoris et fratrum, ymo verius ordinis supradicti ex primo decreto, causa custodie, sew (sic) rei seruande, comunicato sapientum consilio pro modo debiti in libello

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniolis pergamenis erant appensa quinque sigilla, quorum reliqua, videlicet primum, tertium et quintum valde sunt destructa.

declarati decreuimus esse mittendum. Cui eciam corporalem possessionem seu tenutam ipsorum bonorum, videlicet in *Lubyssow* et villis spectantibus ad *Lubyssow,* in *Scheblancz* et in *Nemoyow,* Wladislauiensis dyocesis, item in *Zagoscz*, in *Janusouicz* et in *Wlosczowa,* ac alijs villis ad *Zagoscz* spectantibus (²), cracouiensis dyoçesis, per certos executores fecimus assignari. Verum quia prefati commendator et fratres de *Lubyssow,* ac Magister ordinis eorum, post dictam missionem iam infra annum et amplius, in sua contumacia perseuerant nec caucionem parendi iuri coram nobis, aut personis autenticis exhibere voluerunt plurimum expectati, nos, ad peticionem prefati domini episcopi Wladislauiensis, exigente iusticia, in veram possessionem dictorum bonorum ipsum dominum episcopum mittere intendimus, iuris ordine in omnibus obseruato. Quocirca discrecioni vestre, auctoritate apostolica, sub pena excomunicacionis, quam in vos in hijs scriptis ferimus, si nostrum, ymo verius apostolicum mandatum contempseritis, aut neglexeritis adimplere, iniungendo mandamus, quatenus accedentes personaliter ad predictos commendatorem et fratres de *Lubyssow* ac magistrum ipsorum, si ibi inueniri poterit, ipsos uno edicto pro tribus peremtorie citetis, quod coram nobis in *Poznania*, sequenti die beati dominici, qui est octauo Idus Augusti, per se, vel per procuratorem ydoneum, compareant, sentenciam nostram missionis in veram possessionem ipsorum bonorum ex secundo decreto finaliter audituri. Alioquin nos in ipso negocio, eorum absencia non obstante, prout de iure faciendum fuerit, procedemus. Diem autem citacionis, et quidquid extra id feceritis, nobis per vestras litteras fideliter intimetis. Hanc nobis nichilhominus (sic) vestris sigillis appensis litteram remittentes. Datum in *Bresczе,* quinto nonas Julij, anno domini millesimo trecentesimo vicesimo primo.

(²) Vid. tabula Nro CXXXV p. 221 anni 1320, in qua eaedem villae afferuntur praeter villam *Januszowice*, quae sita est in territorio et regione Kielcensi, et *Wloszczowa*, nunc oppidum ejusdem territorii et regionis.

CCXL.

Rawae, anno 1321 die 3 men. Septembris.

Limites diocesis Episcoporum Wladislauiensis et Plocensis constituuntur ([1]).

In nomine domini, amen. Nos Janislaus, diuina et apostolice sedis prouidencia sancte gneznensis ecclesie archiepiscopus, et Domaratus, dei gracia poznaniensis episcopus ([2]), arbitri, arbitratores, amicabiles compositores, laudatores et diffinitores, per venerabiles fratres nostros, dominos Geruardum, ecclesie wladislauiensis, et Florianum, ecclesie plocensis episcopos, communiter electi et assumpti, suo et ecclesiarum eorum nomine, de consensu et voluntate capitulorum ecclesiarum ipsorum, in causis, litibus ac controuersiis, que vertuntur seu verti sperantur inter ipsos, super limitibus dyocesis ecclesiarum ipsorum, qui sunt trans *Uislam,* versus terram *dobrinensem*, et super decimis villarum iacencium in vicino iuxta eosdem limites: Quarum villarum nomina sunt hec: *hospitale* siue *ecclesia sancti Gothardi*, ordinis fratrum cysterciensium, *Sussyci, Culino, Cupirzici, Zarzeceuicz, Ceslino, Bogucino, Pabianouici, Luscouo, Popouo, Lachocino, Ostrouite, Radomici, Vycosino, Radczyno, Radczino* (sic) *Jacobi*; item *Nassignew, Scorzyno, Scorzyno Potrasij, Chelmnicza, Trusczyno, Vythouo, Curouo, Gluziczi, Zadusnici, Crobiczsino, Chmelino, Crampa, Olesno, Malessouo, Brezno, Pacane* et *Bobrouniki*; item *Rybithui, Potstola et Zamneuo* ([3]): ac iure episcopali, quo ad legem iurisdicionis et dyocesanam, in

([1]) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniolis pergamenis duo erant appensa sigilla, quorum reliquum unum jam destructum.

([2]) Długossius aliorum historicorum testimonia secutus, hunc Episcopum Posnaniensem die 12 m. Martii supremum diem obiisse narrat. Ex hac autem tabula, aeque ac ex duobus anterioribus videre licet, Domaratum adhuc mense Septembri 1321 anno in vivis fuisse.

([3]) Omnes hae villae sitae sunt in territorio Plocensi. Earum nomina sic se habent hodie: in regione Lipnensi villae: *hospitale* siue *ecclesia sancti Gothardi*, hodie procul dubio *Szpethal dolny i górny* (superior et inferior) *Suszyce, Kulino, Zarzyczewo, Bogucin*, est quoque *Bogucin* in regionibus Mlavensi et Przasnyszensi, *Popowo, Ostrowite, Radomice, Radziki* (major et minor), *Witkowo, Kurowo*, (est etiam *Kurowo* in regionibus Mławensi et Przasnyszensi), *Zaduszniki, Krobia, Krępa, Oleśno, Maliszewo, Brzezno, Rybitwy*, et oppidum *Bobrowniki*; in regione Mławensi villae: *Cieślin*; *Pabianowici*, (villa nusquam in provincia Plocensi occurrit),

predictis villis et ecclesijs in eis iacentibus: prout in literis compromissi super hoc confectis plenius continetur; visis, auditis et intellectis probacionibus, racionibus, iuribus et allegacionibus utriusque partis, prehabita nobiscum et cum peritis et sapientibus deliberacione sufficienti, et omnibus plene discussis, presentibus dictis dominis fratribus nostris, dei nomine inuocato, pronunciamus, laudamus, sentenciamus, ordinamus et diffinimus: quod terminum (sic) villarum iacencium in parochiis ecclesie seu *hospitalis Sancti Gothardi* et ecclesie de *Bobrouniki*, ac ecclesie de *Przipust*: quarum villarum nomina sunt hec: *Zarzeceuice*, *Crampa*, *Crouicino*, *Lewye*, *Mlesno*, *Ostrouite* et *Radomicze*: item ville pertinentes ad ecclesiam de *Bobrounicz* (sic): *Malesouo*, *Brezno*, *Pacane*: item ville ad ecclesiam in *Przipust* pertinentes: *Ribithui*, *Pothstola* et *Zamneuo* versus terram *dobrinensem* (4), sunt et esse debent perpetuis temporibus limes inter dyoceses wladislauiensem et plocensem. Item pronunciamus, dicimus, sentenciamus et diffinimus, quod omne ius episcopale, quo ad legem iurisdiccionis et dyocesanam, et expresse decime in omnibus ac singulis villis predictis, inter prefatum limitem et fluuium *Wyslam* iacentibus, ad prelibatum dominum episcopum Wladislauiensem et suam ecclesiam similiter debeant pertinere. Hec dicimus, laudamus et diffinimus, reseruata nobis, si opus fuerit et expediens videbitur, nostrum arbitrium, laudum, pronunciacionem ac difinicionem interpretandi, corrigendi et emendandi, plena et omnimoda potestate. Que omnia et singula supradicta dicimus et precipimus, sub pena in compromisso contenta, per utramque parcium predictarum debere perpetuo firmiter et inuiolabiliter obseruari. In cuius rei testimonium, presentes literas scribi fecimus, et sigillorum nostrorum appensione muniri. Actum et datum in *Raua*, opido (sic) Masouie, gneznensis dyocesis, in ecclesia parochiali, III nonas septembris, anno domini M° CCC° vicesimo primo. Presentibus honorabilibus et discre-

Luszewo, (est quoque alia villa ejusdem nominis in territorio et regione Przasnyszensi), *Gluzek*, in regione Przasnyszensi: *Truszki*, *Chmieleń* et *Pacane*, fortasse *Pacuszki*, in regione Plocensi: *Lachowiec*, *Wykowo*; villae *Potstola* et *Cupirzici*, non occurrunt in his regionibus, similiter et villa *Zamneuo*, est tamen rivus *Mniew*, oppidum Lipno praeterfluens, et in Vistulam se effundens, hic itaque forsitan villa *Zamnieuo* sita erat.

(4) Omnes hae villae in nota praecedenti sunt jam designatae, praeter villas *Crovicino* et *Mlesno*, quae fortasse sunt *Krojczyn* et *Mleczewka*, villae regionis Lipnensis; et *Lewye*, fortasse *Lewino*, villa regionis Plocensis.

tis viris, dominis: Nicolao gneznensi et Mathia wladislauiensi, decanis; Johanne magnifici domini Regis Polonie cancellario, Lanch preposito sancti Michaëlis ecclesie apud Cracouiam, Alberto scolastico, Bartholomeo archidiacono, Magistro Petro cantore, wladislauiensibus; Scarbimiro custode crusuiciensi, Gothkino, Sbiluto canonicis wladislauiensibus; Alberto custode, Magistro Andrea, Gabriele, Dzirscone ac Nicolao, canonicis plocensibus et aliis fide dignis.

CCXLI.

Osiecii, anno 1322 die 16 mensis Decembris.

Rex Wladislaus Locticus civibus oppidi *Radziejoviae*, molam vento agitari solitam prope oppidum aedificandam, et pascua paludesque oppidum circumjacentia utenda fruenda concedit, vectigali quodam utrobique praestando sibi reservato.

Tom. I. hujus Codicis p. 184 N^ro^ CVI.

CCXLII.

Rypini, anno 1323 die 24 mensis Junii.

Wladislaus et Boleslaus Duces Dobrinenses coenobio Rypinensi certa privilegia largiuntur, idque monasterio Miechoviensi subjectum esse volunt.

Nakielscii Miechovia p. 247. W. H. Gawarecki „Opis Ziemi Dobrzyńskiéj w Płocku 1825" p. 149.

CCXLIII.

Circa annum 1324.

Consules civitatis Golubeasis attestantur quendam Joannem de *Linde* obtinuisse a Mathia Episcopo Wladislauiensi potestatem construendi molendini in fluvio Gwysczyna ([1]).

Nos Vlricus magister ciuium de *Golub,* Mychaël pistor, Reynko pistor, Petrus scoltetus de *Osterwycz,* Pecze (sic) in ponte (sic), consules ciuitatis predicte. Notum facimus uniuersis: quod constitutus coram nobis Johannes de *Linde*, quondam noster conciuis, confessus est publice, nullum ius habere ad minere (sic) iacenti super fluuio dicto *Gwesczyna*, quod a venerabili in Christo patre domino Mathia, Wladislauiensi episcopo repetebat, renuncians omni iuri et accioni, si quod ipsum (sic) in predicto minere (sic) habere videretur. Profitemur eciam: quod idem Johannes, a predicto domino episcopo in predicto fluuio *Gwysczyna* locum suscepit molendini, ita, quod in eodem fluuio molendinum de tribus rotis construere debet, tenendum per ipsum et ipsius pueros, si quid in eo humanitus contingerit, per viginti quatuor annos. Soluet nichilhominus (sic) de predicto molendino quinque marcas singulis annis pecunie usualis, domino episcopo memorato. Post elapsum uero eorumdem annorum, predictus Johannes dicto domino episcopo molendinum dimittet constructum de tribus rotis, ut premittitur, cum lapidibus molaribus, ferrimentis (sic) et omni alio apparatu. In cuius rei testimonium et euidenciam pleniorem, sigillum nostre ciuitatis presentibus est appensum. Insuper idem Johannes et sui successores ab eo tempore, quo molendinum molere incipiet, post annum proxime elapsum predictum censum soluet, molenti eciam domino episcopo supradicto unam lastam silliginis, absque percepcione mensure quolibet anno.

([1]) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum appensum taeniola pergamena exhibet mulierem stantem inter duas arbores nudas foliis, in quibus sedent duae aves rostra in mulierem conversa habentes. Inscriptio literis sic dictis scholasticis expressa talis: „†. *s. civium civitatis de Goluba.*" Inde a voce *insuper* usque ad finem tabulae, licet literarum ductus idem appareat, attamen color atramenti nigrior indicat verba haec posteriori tempore adscripta fuisse.

CCXLIV.

Brestiae, anno 1326 die 21 men. Martii.

Villa *Celeshici* et particula villae *Sandishowsca Niua* alienantur Episcopatui Wladislauiensi ab haeredibus villae *Koneczsco* nonaginta marcis (¹).

Nos Ubislaus castellanus, Nasegneus iudex, Zyra camerarius, Rosdzalius subcamerarius, Jerandus subdapifer cuyauienses, ac Vincencius castellanus de Starogrod, harum serie literarum recognoscimus ac publice protestamur: quod nobiles viri Meczslaus, Dirslaus una cum patre suo Stanizlao, nec non Adam de *Koneczsco* (²) heredes, in nostra constituti presencia manifeste sunt confessi, quod patruus eorum Kreslaus, quondam a felicis memorie domino Gerwardo, Wladislauiensi episcopo, sexaginta marcas monete Thorunensis recepit, pro quibus eidem hereditatem *Celeshici* et sortem *Sandishowsca Niua* (³), et successoribus ipsius assignauit. Tandem predictus Meczslaus, dictis fratribus suis et nepote coram nobis presentibus et consencientibus, a venerabili patre domino Mathia, eiusdem Wladislauiensis ecclesie episcopo, triginta marcas nominate monete recepit integras et completas; proinde sepefati heredes bona fide, omnis doli scrupulo procul moto, eidem domino Mathie episcopo promiserunt dictas hereditatem et sortem per ipsos uel per ipsorum successores, non aliqualiter ulterius repetendas, immo eundem dominum episcopum et successores suos ab ipsis et eorum successoribus frui possessione pacifica et tranquilla. Si quispiam autem amicorum, aut propinquorum eorundem heredum, bona superius nominata a dicto domino episcopo, uel aliquo successorum eius iudicialiter euinceret, tunc sic euincens LX suprafatas marcas, per prenotatum Creslaum receptas, tenebitur restaurare, triginta vero marcas

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sex sigilla huic tabulae appensa erant, uti ex taeniolis pergamenis videre licet.

(²) *Koneck* villa territorii Cujaviensis, regionis vero Radziejoviensis.

(³) Villam *Cieleszyce* et *Sędziszowska Niwa* frustra quaesivimus; attamen e tabula anni 1359 apparet, eam in regione Radziejoviensi sitam fuisse.

per Meczslaum in nostra presencia acceptas, idem Meczslaus ac süi liberi, nec non successores legittimi restituere domino episcopo uel suis successoribus tenebuntur. Data apud *Bresc* (sic), XII Kalendas aprilis, anno M° CCCXX sexto.

CCXLV.

Brestiae, anno 1326 die 21 men. Martii.

Argumentum hujus tabulae idem quod proxime praecedentis (¹).

Nouerint uniuersi presencium noticiam habituri: Quod cum inter me, Meczslaum de *Konoyeczsco* (sic) heredem, parte ab una, et venerabilem in Christo patrem dominum Mathiam, Wladislauiensem episcopum, parte ex altera, super hereditate *Celeshici* et quadam sorte *Sandishowsca Niua* nominata, orta esset materia questionis; tandem ad meam reuersus conscienciam cum prefato venerabili patre super dictis hereditate et sorte, perpetuo concordaui, ipsum et successores suos quietando ab omni, que michi seu meis liberis ac legittimis successoribus super hiis competit, actione, renunccians controuersiis quibuslibet, publice recognosco: quod a felicis recordacionis domino Gerwardo, predecessore nominati domini episcopi, pro eadem hereditate et sorte recepisse patruum meum Creslaum sexaginta marcas thorunensis monete, quas pro sua ipsius captiuitate assignauit. Ego eciam ab eodem domino Mathia episcopo, triginta marcas dicte monete pro hijsdem hereditate et sorte recepi, promittens sepefato domino Mathie et successoribus suis, quod si quispiam meorum amicorum seu consanguineorum, dictas hereditatem et sortem euicerit ab eodem, tunc ego et successores mei legittimi, ad soluendas triginta marcas predictas, volumus ineuitabiliter obligari; sexaginta vero marcas antedictas, que dicto patruo meo fuerant, prout premittitur, assignate, propinqui uel quicumque repentes (sic) et euincentes soluere tenebuntur. In cuius rei euidenciam, presentibus meum sigillum volui applicare. Data in *Brest*, XII Kalendas aprilis, anno domini M° CCCXX sexto.

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum minoris formae taeniola pergamena appensum penitus destructum.

CCXLVI.

Lendae, anno 1328 die 20 men. Decembris.

Mathias Abbas monasterii Cisterciensium Lendensis villam *Łęg* et decimas villae *Kłobia* commutat cum villa *Godzesowo*, ac decimis villarum *Kłodawa*, *Trąbki*, *Chozemin*, *Zakrzewo* Episcopatus Wladislauiensis propriarum (1).

In nomine domini, amen. Humanorum actuum gesta, obliuione faciente, consueuerunt tractu temporis deperire, si scripture testimonio, vel testium suffragio non fuerint memorie commendata. Inde est, quod Nos frater Mathias, diuina miseracione abbas de *Lenda*, ordinis Cysterciensis, gnezdnensis dyocesis, cupientes, ut gestorum inter venerabilem patrem dominum Mathiam, diuina et apostolice sedis prouidencia ecclesie wladislauiensis episcopum, et capitulum ipsius, nomine ecclesie ipsorum ex parte una, et nos ac conuentum nostrum, nomine ecclesie nostre Lendensis ex altera, plenior apud posteros memoria habeatur; notum facimus uniuersis, tam presentibus quam posteris, presencium noticiam habituris: quod attendentes, qualiter villa, possessio seu hereditas ecclesie nostre, que *Lang* wlgariter nuncupatur, iacens in terra Cuyauie prope antiquam Wladislauiam, una cum septem maldratis (2) decimalibus in villa magnifici principis domini Wladislay Regis Polonie, que *Cloba* dicitur, iacentibus (3), ad nostrum monasterium spectantibus, propter longam locorum distanciam minus utiles ecclesie nostre fore viderentur, et considerantes, quod villa, hereditas seu possessio ipsius domini episcopi wladislauiensis *Godzesowo* wlgari vocabulo nuncupata, una cum ecclesia et decima ipsius ecclesie, molendino et lacu ipsius ville, ac alijs decimis in villa seu grangia nostra *Clodaua*, ac sortibus adiacentibus, et in *Trambky*, *Chosemino*, *Szacrzeuo*

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum appensum funiculo serico coloris viridis, jam deletum.

(2) Maltra (Maltrum, Maldrus, Maldrum, Malter), promiscue, mensura Germanica, continens quatuor modios, (modius vero comprehendit quatuor quartales). Vid. Ducange s. h. v.

(3) Villae *Łęg* et *Kłobia*, sitae sunt in provincia Masoviensi, territorio Cujaviensi, regione Brestensi, ambae publicae.

quoque in terra Pomoranie iacentibus ([4]), ad mensam ipsius domini episcopi spectantibus, propter loci vicinitatem dicte grangie nostre *Clodaua*, et utilitatem uberiorem, que exinde Monasterio et ecclesie nostre, deo propicio, poterit prouenire, cum ipso domino episcopo, de consensu capituli sui, nostri conuentus similiter consensu accedente, de dicta villa nostra *Lang*, et septem maldratis in terra Cuyauie iacentibus in villa domini Regis prenotata ad nostrum monasterium seu ecclesiam spectantibus, permutacionem fecimus iuxta modum infrascriptum. Eidem siquidem domino episcopo, ecclesie sue predicte nomine dedimus, tradidimus et resignauimus predictam villam, possessionem seu hereditatem nostram *Lang*, una cum septem maldratis decimalibus predictis in prefata *Cloba* ad nostrum monasterium spectantibus, tytulo permutacionis, cum omnibus iuribus, fructibus, utilitatibus, pratis, nemoribus, mellificijs, piscacionibus in *Visla*, et alijs aquis, molendino quoque et minera ferri, ac alijs uniuersis et singulis pertinencijs suis, que nunc habentur, uel imposterum poterunt reperiri. Ab ipso vero domino episcopo, ecclesie sue nomine, habito maturo consilio et deliberacione sufficienti, de consensu capituli sui, nostri conuentus similiter consensu accedente, pro omnibus et singulis predictis, simili tytulo permutacionis recepimus dictam villam ipsius *Godzesouo* una cum ecclesia, et decima ipsius ecclesie, iure quoque patronatus, molendino et lacu ipsius ville, ac alijs decimis ville seu grangie nostre *Clodaua* et sorcium adiacencium, et in *Trambky*, *Chosemino*, ac *Sacrzeuo* in terra Pomeranie existentibus eodem modo, cum uniuersis et singulis iuribus, fructibus, utilitatibus et pertinencijs suis, que nunc sunt, vel esse poterunt in futurum. Volentes et tenore presencium decernentes, quod ipse dominus episcopus et ecclesia wladislauiensis sua, omnia et singula predicta per nos sibi data et assignata modo predicto, Nos quoque et monasterium nostrum, ac ecclesia nostra lendensis similiter uniuersa et singula prelibata, per ipsum nobis tradita et assignata debeamus vicissim iure hereditario perpetuo possidere: temporalibus pro temporalibus et spiritualibus pro spiritualibus sic canonice permutatis. Promittimus insuper nomine monasterij et ecclesie nostre pro no-

([4]) Villae hae sunt procul dubio: *Grodziszewo* decanatus Tczeviensis siue Dirschoviensis, item *Trąbki wielkie*, *Kłodawa* decanatus Gedanensis, ibidem etiam *Zakrzewo* atque *Chozemin*.

bis et successoribus nostris eidem domino episcopo et ecclesie ac successoribus ipsius de euiccione predicte ville *Lang,* ac septem maldratarum prelibatarum, ut, si quispiam eam vel eas imposterum euinceret, nos et monasterium ac ecclesia nostra, et successores nostri ad recompensam euictorum, ex pacto inter nos habito, tenebuntur. In cuius rei testimonium, presentes litteras eidem domino episcopo dedimus, nostri sigilli munimine roboratas. Datum in *Lenda,* monasterio nostro, tercio decimo Kalendas Januarij, anno domini millesimo trecentesimo vicesimo octaue. Presentibus honorabilibus et discretis viris dominis: Alberto preposito, Goschone decano, Bogufalo scolastico, Petro cantore, Bartholomeo archydiacono, wladislauiensibus; ac religiosis viris fratribus: Johanne priore, Alberto subpriore, Nicolao celerario, Henrico portario, Gyselberto bursario monasterij lendensis, et alijs quam pluribus fide dignis.

CCXLVII.

Raciensi, anno 1329 die 4 men. Januarii.

Mathias Episcopus Cujaviensis monasterio Cisterciensium Olivensi spondet se restituturum esse superfluum viginti mansorum silvae *Brzeznensis,* sibi ab eodem monasterio venditae.

Leop. v. Ledebur neues Allg. Archiv. für die Geschichte Preussens. T. II. p. IV. p. 290.

CCXLVIII.

Toruniae, anno 1329 die 3 men. Aprilis.

Joannes Rex Bohemiae dat potestatem Magistro Ordinis Teutonici novas villas in Terra Dobrzynensi aedificandi ac deserta extirpandi, exceptis his, quae ad castrum Dobrzyń pertinent.

Dogieli Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV p. 48 Nro LIII.

CCXLIX.

Brestiae, anno 1329 die 8 men. Maji.

Mathias Episcopus Wladislauiensis fratribus Ordinis Teutonici minatur, se illos anathematis poena mulcaturum, nisi damna ecclesiis suis illata resarciri curauissent (1).

Mathias, diuina et apostolice sedis prouidencia, episcopus wladislauiensis ecclesie, discretis viris . . (sic) decano et ebdomadarijs ecclesie nostre conuentualis *crusuiciensis*, in *Brest*, in *Raczens*, in *Juueni Wladislauia*, in *Nesouia*, ac uniuersis et singulis alijs ecclesiarum rectoribus nostre dyocesis, et eorum vicarijs residuis, in terris Cuyauie, Pomoranie, ad quos presentes peruenerint uel poterint peruenire, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cura pastoralis officij vehemencius nos urgente, ecclesiarum nobis subiectarum cogimur attencius inuigilare necessitatibus, earum procurare comoda et periculis ipsarum, quantum est possibile, obuiare. Sane considerantes et lamentabili cordis amaritudine crebrius meditantes, qualiter . . (sic) magister generalis et . . (sic) prouincialis terre *culmensis*, ac commendatores de *Nesouia*, de *Thorun*, de *Golub*, de *Coprziwnicia* siue de *Engelsborch*, de *Dobrin*, et de *Swecza* (2), ac ceteri fratres ordinis hospitalis sancte Marie Jerosolimitane de domo Theutonica, et eorum satellites et ministri, anno nuper preterito, nos, ecclesiam nostram, ac alias ecclesias dyocesis nostre et clerum uniuersum, et malis preteritis eciam hoc anno deteriora crudeliter cumulantes, grauissime leserint, villas ecclesie nostre predis animalium, ac aliarum omnium rerum, nullis nostris exigentibus culpis, hostiliter spoliarunt, et quod nequius est, edificia omnia villarum ipsarum, opidumque nostrum et ecclesie nostre *Racczens* (sic), cum omnibus predijs adiacentibus, ac quasdam ecclesias parrochiales cremauerunt,

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Novem erant huic tabulae taeniolis pergamenis appensa sigilla, quorum sex reliqua sunt rotunda minoris formae et unum ex longo rotundum, omnia ecclesiastica cum inscriptionibus maximam partem deletis.

(2) *Nieszawa* oppidum territorii Cujaviensis, regionis Radziejoviensis, *Gollub* urbs territorii Kwidzynensis, regionis Brodnicensis (Strasburg) ad Drwęcam sita, ex opposito Dobrini, hodie ditionis Prussicae. *Engelsburg* (Koprzywnica) oppidum territorii Kwidzynensis, regionis Graudentinensis (Grudziądz). *Swecza*, idem quod Swiecie.

et, quod cum graui cordis cruentacione lamentabiliter dicimus, ciuitatem nostram *Wladislauiam antiquam,* et, quod horrendum est dicere, ecclesiam nostram kathedralem ibidem, cum omni ornatu suo, et decore venusto, ac uniuersis rebus, que in ipsa erant, ignis incendio tyrannice consumpserunt, homines quam plurimos, quosdam ignis impetu, alios in ore gladij occidendo; attendentes eciam, quod grandia et grauia sunt hec, et non possunt, absque diuina offensa, conniuentibus oculis diucius et ulterius preteriri; et paterna sollicitudine cupientes, ut predicti omnes et singuli dei timorem ad oculos reuocent, quem ad tergum obstinata seuicia proiecerunt: cum ad eos, propter feritatem ipsorum pro monicione facienda, nec personaliter possimus accedere, nec aliquos nuncios destinare, eo, quod ad se citacionem, vel monicionem, aut illos, qui eas facerent, accedere non permittunt, publice coram populo uniuerso in ciuitate seu opido brestensi, ubi nunc delitescimus, de kathedra nostra per eos eiecti, paterno affectu inducimus (sic) et hortamur, ac nichilominus primo, secundo et tercio canonice ammonemus, et vobis uniuersis et singulis in uirtute sancte obediencie et sub pena excommunicacionis, ac priuacionis beneficiorum vestrorum, districte precipimus et mandamus, quatenus eosdem . . (sic) magistrum generalem, et . . (sic) prouincialem terre *culmensis*, comendatores de *Nesouia,* de *Thorun,* de *Golub,* de *Coprziwnica* siue de *Engelsberch*, de *Dobrin* et de *Swecza,* predictorum scelerum inhumane tyrannidis precipuos auctores, nec non et uniuersos ac singulos alios fratres dicti ordinis in terris *Cuyauie, Prusie* (sic) et *Pomoranie* commorantes, ac alios eorum satellites et ministros, qui predicta crimina, ipsorum nomine, auctoritate et mandato non sunt veriti perpetrare; et quoslibet alios, qui ad hoc consilium, auxilium et fauorem inpenderunt, comunicantes in crimen criminosis, in ecclesijs vestris, ipsis vicinis, publice coram populo, si aliquis est residuus, diebus dominicis et festiuis inducere et hortari curetis; ipsos primo, secundo et tercio salubriter commonentes, quod nobis et ecclesie nostre predicte, ac alijs ecclesijs et rectoribus earum, ac clericis uniuersis de premissis iniurijs usque ad quinto (sic) ydus mensis Junij proxime venturo satisfacere procurent, et dampna omnia nobis, ecclesie nostre, et alijs ecclesijs et rectoribus earum per eos, et auctoritate ac mandato eorum illata, debeant resarcire. Alioquin, cum ipsi, seu ordo eorum, in dyocesi nostra, terra videlicet *Cuyauie* et *Pomoranie* obtinere do-

micilia dinoscantur, ceterique, qui in alijs dyocesibus commorantur, in nostra dyocesi delinquentes, racione delicti nostrum forum sint sortiti, et qui auctoritate, ut predicta committerentur, prestiterunt, et consilium, auxilium et fauorem ad hoc inpenderunt, ac premissa omnia et singula eorum auctoritate et nomine perpetrata rata habuerunt et habent, spolia in bonis nostris accepta recipiendo et captiuos detinendo: cum is vere committere dicatur, cuius auctoritate et mandato aliquid committitur, et dubium non existat, quod violatores et incendarij ecclesiarum, et quorum auctoritate et mandato ecclesie violantur et incenduntur, et qui ad hoc consilium, auxilium et fauorem inpendunt, ipso facto ex statutis canonum sint excommunicacionis sentencia innodati, contra eos huiusmodi sentenciam in locis, ubi expedire videbitur, faciemus sollempniter, domino adiuuante, publicari. Datum in *Brest,* octauo ydus mensis Maij, anno domini M° CCC° vicesimo nono. Execucione facta, in signum ipsius, sigillis vestris aliquibus appositis, presentes nobis litteras remittatis.

CCL.

Brestiae, anno 1330 die 23 mensis Januarii.

In judicio Brestensi quidam *Lewna*, nomine suo, nec non matris suae Preczslavae, ac sororis Swiętoslawae, haereditatem *Oporowo* Comiti Swiętoslao quinquaginta marcis vendit (¹).

In nomine domini, amen. Nos Albertus Palatinus, Chebda Castellanus, Nasengneus iudex, Brestenses, notum facimus uniuersis presentes literas inspecturis: Quod constitutis in nostra presencia in iudicio regali domina Preczslaua, relicta quondam dominici, et Lewna filio eiusdem, ac Swentoslaua sorore ipsius; ipse Lewna suo, et matris ac sororis, et aliorum consanguineorum suorum nomine hereditatem suam, que *Oporowo* wlgariter nuncupatur, iacentem in terra Juuenis Wladislauie, super fluuium qui

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Tria sigilla taeniolis pergamenis appensa penitus deleta.

Nothes dicitur ([2]), predictam matrem suam racione dotis contingentem, confessus est se vendidisse nobili viro comiti Swentoslao, fratri venerabilis in Christo patris domini Mathie Wladislauiensis episcopi, pro quinquaginta marcis pecunie usualis: ut se de captiuitate liberaret: et eandem sibi coram nobis tradidit et resignauit, volens, quod ipse comes Swentoslaus et sui heredes ac successores, ipsam hereditatem cum omnibus iuribus, utilitatibus et pertinencijs suis, debeat habere, tenere, ac iure hereditario perpetuo possidere. Promisit insuper idem Lewna, quod si quispiam in posterum ab ipso comite Swentoslao, seu heredibus aut successoribus eius, dictam hereditatem euinceret, ipse Lewna hoc tenebitur amouere; quod si non faceret, memoratus Comes Swentoslaus, accepto Ministeriali a iudicio regali, se de hereditate ipsius Lewne, que *Lubencz* ([3]) vocatur, intromittat, eamque habeat, teneat et possideat iure hereditario loco dicte hereditatis *Oporowo*, donec predictam hereditatem *Oporowo* recuperet, aut quinquaginta marcas predictas ei soluat. Promisit insuper ipse Lewna, quod, dum dominus Rex Polonie terram Cuyauie ingressus fuerit, dictam resignacionem ipse Lewna et mater ipsius predicta, coram eo iterum innouabunt. In cuius rei testimonium, presentes literas fieri fecimus, et nostrorum sigillorum appensione roborari. Actum et datum in *Brest*, in domo iudicis predicti, decimo kalendas mensis februarij, anno domini millesimo trecentesimo tricesimo. Presentibus nobilibus et discretis viris dominis: Preczslao cancellario cuiauiensi, Zira *coualensi*, Wincencio *starogrodensi*, Bogumilo *pacoscensi* ([4]), castellanis; Rosczalio subcamerario Brestensi, Jarando subcamerario dobrinensi, Zira de Cloba demetrij, et alijs pluribus fide dignis ad predicta testibus vocatis et rogatis.

([2]) Hodie *Oporowek*, praedium rusticum in territorio Bydgostiensi, regione Juniwladislaviensi ad fluvium Noteciam situm; est quoque villa *Opporowo*, territorii Bydgostiensis, regionis Szubinensis.

([3]) Forsitan villa *Lubcz* regionis Mogilnensis, territorii Bydgostiensis.

([4]) *Pakość* oppidum ad Noteciam fluvium situm territorii Bydgostiensis, regionis vero Mogilnensis.

CCLI.

Metis, anno 1330 die 16 mensis Martii.

Joannes Rex Bohemiae terram Dobrzynensem pro quatuor millibus et octingentis sexagenis denariorum Pragensium Magistro et Ordini Cruciferorum vendit, utque idem Ordo a praestatione decimarum ex praefata terra sit immunis, curaturum se promittit. Cum Wladislao Rege Cracoviae non prius pacem faciet, nisi ipse, et Zemoviti fratris illius filius, juri suo ad terram Dobrzynensem renuntiaverint.

Dogiel Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 49.
Baczko Gesch. Preuss. T. II. p. 138.
Voigt Cod. dipl. Prussicus. T. II. p. 179. Nro 136.

CCLII.

Toruniae, anno 1330 die 24 mensis Augusti.

Mathias Episcopus Wladislaviensis et Wernherus de Orsela Ordinis Teutonici Generalis Magister controversias inter se habitas componunt (¹).

In nomine domini, amen. Benedictus deus pacis auctor in donis suis, qui, dum simultates et odia, operante humani generis inimico, inter homines fuerint suscitata, spiritus sui adiuuante clemencia, ea tandem ad pacis de-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Huic tabulae appensa sunt funiculis sericis coloris cineracei septem sigilla, omnia ecclesiastica; ambo priora exhibent episcopos stantes, lituos manibus tenentes; duo sequentia maximam partem destructa, tria reliqua repraesentant S. V. Mariam manibus Jesu tenentem solioque magnifice exornato insidentem. In secundo sigillo, e cera rubra facto haec legi possunt: „*s. fris rudolfi... zamen epi.*" In fragmento quarti sigilli, e cera viridis coloris facti nonnisi sequentia legi possunt: „*floriani dei gra...*" In sexto sigillo e cera subnigra confecto, in circuitu haec sunt scripta „*matei misericordia salu... tulum vladislavien. ecce.*" Concordia haec typis exscripta est in G. Lengnichi opere „*Gesch. der Preuss. Lande*" T. I. Doc. Nro 16. p. 46. Quum opus laudatum non sit nobis ad manum, non potest nobis constare, utrum tabula a nobis exhibita discrepet ab illa in opere Lengnichi vulgata, nec ne? Tabula, in opere Lengnichi exscripta est fortasse ex archetypo, quod erat in manibus Ordinis Teutonici; nostra vero tabula descripta est ex archetypo capituli Wladislaviensis.

ducit et concordie unionem. Inde est, quod nos Mathias, diuina et apostolice sedis prouidencia, ecclesie wladislauiensis episcopus, et nos frater Wernherus de *Orsela,* fratrum ordinis hospitalis sancte Marie domus Thewtonice Jerosolimitani generalis magister, notum facimus uniuersis, tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris: Quod, dum inter nos dissensionis scrupulus, satore zyzanie seminante, exortus fuisset, et aliquamdiu perdurasset super diuersis amfractibus hinc et inde . . (sic); Nos tandem, auctore domino, eum extinguere cupientes, super ipsis amfractibus, de consensu fratrum nostrorum, nostro et successorum nostrorum nomine, concordandum duximus iuxta formam et modum inferius annotatos (sic). Primo siquidem promisimus mutuo puram et sinceram amicitiam ac fidelitatem inter nos adinuicem perpetuis temporibus fideliter et inuiolabiliter obseruare, et eam sollicitis studijs enutrire. Ut autem eadem inter nos firmius roborentur, omnes et singulas iniurias et dampna ex utraque parte, verbo uel facto quomodolibet irrogata, nobis inuicem pure et totaliter dimittimus et eciam relaxamus, ita, quod neutri nostrum pro eis accio conpetat in futurum. Nos insuper, episcopus predictus, promittimus bona fide facturos et curaturos, quod de castro nostro *Radczens,* per nos et nostros et quoslibet alios nulla dampna magistro, fratribus, terris et hominibus ipsorum deinceps debeant irrogari: excepto dumtaxat, si dominus Rex Polonie castrum ipsum, vel aliquis alter sua potencia vel fraude expungnaret (sic) vel occuparet, nobis inuitis; ex quorum facto nolumus obligari. Hoc tamen, in quantum poterimus, cauebimus bona fide. Preterea super soluendis decimis tocius terre Pomoranie nostre, predicti magistri et fratrum dicioni subiecte, per dyocesim wladislauiensem inter nos extitit taliter ordinatum: Quod ex nunc de quolibet manso flamingo locato et exculto omnium personarum, incolarum tam religiosarum (sic), quam secularium debeant solui tres scoti culmensis monete pro decima domino episcopo predicto et successoribus suis, singulis annis in die Martini, per colonos ipsorum mansorum, siue milites, siue cuiuscumque condicionis existant: exceptis dumtaxat priuilegiatis priuilegijs sedis apostolice, aut litteris episcoporum, antecessorum nostrorum, episcopi predicti; qui siue religiosi, siue seculares fuerint sacerdotes, nomine suarum ecclesiarum dictum censum percipiant, prout eis ex priuilegijs ipsis conpetet, vel super hoc datis instrumentis. De terris autem locandis post conpletam libertatem: quam

dederit quilibet locatorum suis colonis de scire (sic) domini Episcopi, ut sciat, quanto tempore data sit libertas: similiter de quolibet manso flamingo soluetur tantumdem perpetuis temporibus in futurum, secundum modum et formam supradictos (sic). Quam decimam soluendam si per censuram ecclesiasticam exigere non poterint cum effectu, Nos Magister et fratres predicti ipsos, ut obtineat (sic) iuuabimus, cum fuerimus requisiti. Verum quatuor ville, videlicet *Singher, Schobelowe, Gordyn* et *Slancze thewtonicalis* (²) (sic) decimam soluant duodecim annis continuis, a data presencium continue computandis, sicut antea persoluebant. Quibus annis elapsis, de quolibet manso tres scoti, sicut de alijs, de cetero perpetuo persoluentur. Nos insuper, magister et fratres prefati, volentes eidem domino episcopo, suis canonicis et ecclesie sue aliquid fauoris et amicicie specialiter exhibere, et celebratam inter nos concordiam dignis karitatis indicijs in opere declarare, ipsum dominum episcopum cum clero suo, bona, villas et possessiones ipsorum sitas in terris dicioni nostre temporali subiectis, in nostram proteecionem recipimus specialem, ipsos manutenere et protegere in eisdem pro nostris viribus cupientes, ne ab aliquo perturbentur; de alijs vero bonis ecclesie wladislauiensis predicte, sub dicionibus aliorum principum constitutis, ne per nos vel nostros ledantur, prohibebimus et cauebimus, in quantum poterimus bona fide. Insuper Nos Magister et fratres supradicti volumus et ordinamus, quod prefatus dominus episcopus bona, possessiones et villas suas et ecclesie sue, in terra Pomeranie nobis subiecte (sic), et eciam in aliis territorijs nostris occupatas per quoscumque, ex nunc libere rehabeat, teneat et possideat cum omni iure proprietatis, possessionis et dominij, honoribus, iurisdicione et pertinencijs suis, sicut antea idem dominus Episcopus et antecessores sui ac ecclesia wladislauiensis pacifice habuerunt, tenuerunt et libere ac quiete possederunt. Sed percepcio censuum et prouentuum eorumdem bonorum maneat in suspenso, donec dominus episcopus sepedictus litteras suas et capituli sui super hac ordinacione dabit, et litteras confirmacionis a domino Archiepiscopo Gnesniensi (sic) et suo capitulo, roboratas sigillis eorum, prout cicius poterit, inpetrabit et Magistro et fratribus presentabit . .

(²) *Slonez*, villa territorii Kwidzynensis, regionis Culmensis; *Schobelove*, fortasse *Stablewitz*, villa in propinquo villae Slonez sita; reliquae ambae villae, scilicet *Singher* et *Gordyn* non occurrunt in Indicibus locorum.

(sic). Huius eciam confirmacionem ordinacionis procurabit idem dominus episcopus, cum auxilio et promocione domini Magistri et fratrum suorum infra spacium unius anni, si poterit a sede apostolica inpetrari. Quod si non posset efficere quoquomodo, et hoc liqueret per litteras procuratorum utriusque partis, sibi hoc a nobis et fratribus nostris, non debeat aliqualiter inputari. Nichilominus idem dominus episcopus instabit apud dominum apostolicum modernum, et successores ipsius, pro eadem confirmacione sollicitus bona fide, donec eiusdem ordinacionis confirmacio ab eadem sede apostolica fuerit inpetrata. In huius rei euidenciam pleniorem, et perpetuam firmitatem, presentes litteras scribi fecimus, et eas sigillis nostro et nostri capituli, et nostro, Magistri generalis, et fratris Ottonis de *Banscorph* nostre principalis domus magni commendatoris, ac fratris Ottonis de *Luterberg*, prouincialis terre culmensis, ac venerabilium patrum dominorum: Floriani plocensis, Ottonis culmensis, et Rudolfi pomezanensis, episcoporum, qui presenti ordinacioni interfuerunt, fecimus communiri. Datum et actum in *Thorun*, anno domini millesimo trecentesimo tricesimo, in die sancti Bartholomei apostoli. Presentibus dominis episcopis supradictis, ac honorabilibus viris, dominis: Nicolao decano ecclesie gneznensis, Alberto preposito, Bogufalo scolastico, Bartholomeo archidiacono, Petro cantore ecclesie nostre wladislauiensis et Sygardo de *Swarczborch* in *Byrglow*, Jascone in *antiquo castro*, Henrico dicto Rutheno in *Engelsbergch*, Henrico dicto Rueb in *Thorun*, et Henrico de *Huguicz* in *Papow*, commendatoribus ([3]); et alijs pluribus fide dignis religiosis et secularibus ad hoc rogatis et vocatis.

([3]) *Birglau*, oppidum regionis Torunensis, *antiquum castrum*, sine dubio *Starogrod* (Stargard) oppidum ad Verissam (Ferse) fluvium situm, territorii Gedanensis, regionis sui nominis caput, *Engelsburg* (Koprzywnica), *Popow* haud liquet, quae villa intelligenda sit, plures enim villae *Popowo* dictae tam in territorio Posnaniensi, quam in Bydgostiensi occurrunt, est etiam villa *Poppau*, territorii et regionis Gedanensis.

CCLIII.

Avinione, anno 1331 die 31 mensis Martii.

Bulla excommunicationis Apostolicae contra Magistrum, Provincialem et Commendatores Ordinis S. Mariae Teutonicorum Jerosolymitanorum latae, pro devastatione hostili Episcopatuum Wladislaviensis et Culmensis.

Dogieli Codex dipl. Reg. Pol. T. IV p. 50 Nr. 55.

CCLIV.

Lanciciae, anno 1332 die 18 mensis Julii.

Castellanus Brzezinensis attestatur, subditos ecclesiae Wladislaviensis, castellaniam Brzezinensem incolentes castellanorum judicio non subesse (1).

In nomine domini, amen. Nos Petrus heres de *Pomczouuicz* (sic), castellanus de *Bresini* (2), ad uniuersorum noticiam deducimus per presentes: Quod cum incole seu kmetones villarum venerabilis in Christo patris domini Mathie, diuina et apostolice sedis prouidencia Episcopi et ecclesie sue Wladislauiensis, in terra lanciciensi, in dicta *Bresnensi* castellania iacencium, de nostro mandato sepius citati fuissent, et coram nobis minime conparere curarent, et nos, ipsos cum ob huiusmodi contumaciam inpignorare seu turbare vellemus; veniens honorabilis vir et discretus dominus Przedslaus Archidiaconus crusuiciensis, et procurator venerabilis in Christo patris domini episcopi et ecclesie sue predictorum: Nos ad presenciam serenissimi principis domini Wladislai ducis Lanciciensis vocari procurando, coram eodem domino duce, in presencia suorum Baronum, efficacibus instrumentis sufficienter probauit et ostendit, quod incole seu kmetones villarum ecclesie Wladi-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigillum taeniola pergamena appensum penitus destructum.

(2) Forsitan *Pękowice*, villa territorii et regionis Kielcensis. *Brzeziny*, oppidum territorii Rawensis.

slauiensis prelibate, in dicta castellania *brzesinensi* iacencium, nec per nos, aut castellanum brzesinensem citari, aut coram nobis comparere, seu castellanie predicte castellanum quoquomodo iudicari deberent: super quo nobis (sic) idem dominus dux per Johannem pincernam lanciciensem silencium imposuit, et ne, contra libertatem et imunitatem ecclesie Wladislauiensis sepedicte, homines villarum eiusdem ecclesie in prenotata castellania Brzesinensi situatarum citaremus aut iudicaremus, firmiter prohibuit et iniunxit. In cuius rei testimonium, presentes sibi dedimus nostro sigillo sigillatas. Actum et datum in *Lancicia*, in crastino sancti Allexij, Anno domini millesimo trecentesimo tricesimo secundo. Presentibus nobilibus et discretis viris, comitibus: Borziwoio palatino, Paulo dicto Cauda castellano, Falone de *Zychlino* (3) iudice, et Johanne pincerna, Lanciciensibus; cum ceteris fide dignis.

(3) Żychlin oppidum territorii Gostynensis, regionis vero Orłoviensis.

CCLV.

Pragae, anno 1332 die 11 mensis Septembris.

Joannes Bohemiae Rex, promittit se Ordinem Teutonicum in possessione terrarum inter Vistulam et Noteciam (Netz) fluvios sitarum tutaturum esse (1).

Nos Johannes, dei gracia Boëmie et Polonie Rex, ac Lucemburgensis Comes, scire volumus quibus expedit universos: Quod nos religiosos viros dominos fratrem Ludherum, Ducem Brunswicensem, summum Magistrum, ceterosque fratres ordinis sacre domus Theutonice, tum ob amorem et affectum, quem ad ipsos fratres et ordinem specialiter gerimus, tum eciam propter multa, que nobis exhibuerunt prompte et gratanter servicia, si nos cum Rege *Chracovie* (sic) concordanter [?concordari] continget, in omnibus et singulis, que inter aquam *Wyzla*, usque ad aquam *Necz* in Cujavia sunt sita, et in *Pra-*

(1) Ex archetypo membranaceo cujusdam privati tabularii, quod est in Regno Galiciae, descriptum. Taeniola pergamena appensum est sigillum majoris formae e cera vulgari expressum, exhibens equitem cristatum, equo insidentem, dextra manu gladium, sinistra vero scutum tenentem, eoque se tegentem; ex literis in ambitu exaratis haec leguntur: *„ioh. . . . . nsis comes.“*

burch cum suis pertinencijs graciose promittimus conservare ([2]). Harum testimonio literarum. Datum *Prage*, sexta feria post festum Nativitatis beate Marie virginis gloriose, anno domini millesimo trecentesimo tricesimo secundo.

([2]) Fluvius *Necz* (Netz) polonice Noteć, sed quidnam sibi velit *Praburch*, neutiquam nobis liquet.

CCLVI.

Lagoviae, anno 1334 mense Januario.

Mathias Episcopus Wladislaviensis haereditatem *Pothercow*, ecclesiae Wladislaviensis propriam, scultetis Wylkano et Johanni filio ejusdem, colonis frequentandam jure Sredensi concedit ([1]).

In nomine domini, amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi: quod nos Mathias, divina et apostolice sedis providencia Wladislaviensis Episcopus, cupientes ecclesie nostre Wladislaviensis predicte meliorare fructus et proventus, de consilio et consensu fratrum nostrorum Capituli Wladislaviensis, hereditatem nostram et ecclesie nostre prefate in districtu *Lagoviensi* iacentem, *Pothercow* wlgariter dictam ([2]), hominibus nostris et ecclesie nostre Wylkano et Johanni filio ipsius, scultetis nostris, jure novi fori sive Sredensi ad mansos per nos flamingitos (sic), sub ea ordinacione, que sequitur, exposuimus et dedimus informandam et locandam. Primo siquidem Wilkanus et Johannes sculteti nostri predicti, racione locacionis in eadem villa, duos mansos liberos dumtaxat a censu, sed non a decima: quam, sicut et alij villani eiusdem hereditatis, nobis et nostris successoribus in campo manipulatim solvere debent: cum suis posteris pacifice et quiete jure hereditario perpetuo possidebunt. Jncolis vero hereditatis predicte, a solucione census et decime, ac prestacione omnium serviciorum quatuordecim annorum, a data presencium computandorum, plenam et omnimodam concedi-

([1]) Ex transsumpto anni 1431, quod in tabulario capituli Wladislaviensis asseruatur. Duo sigilla, quae huic privilegio appensa erant, diligenter et accurate describuntur in ipso transsumpto. Cf. tabula anni 1431.

([2]) Non *Piotrkow*, sed *Piotrow*, villa uti et *Łagów*, oppidum territorii et regionis Opatoviensis.

mus libertatem: quibus elapsis, decimam manipulatim in campo et unum fertonem grossorum, racione census, ipsi et eorum posteri nobis et successoribus nostris, singulis annis in die Beati Martini, de quolibet manso solubili integraliter solvere tenebuntur; quem censum ijdem sculteti nostri et eorum posteri exigent et colligent, et nobis ac successoribus nostris aut nuncio nostro ad hoc misso, integraliter presentabunt. Damus eciam scultetis nostris predictis et posteris ipsorum, a qualibet solucione liberos (sic) tabernam et molendinum, que proprijs sumptibus et expensis debent edificare, preter iudicia contingencia foris, et in eisdem, que pro nobis et nostris successoribus reservamus. Libertate vero elapsa, in ipso molendino annonas nostras et nostrorum successorum ad nostram curiam pertinentes, ipsi sculteti et eorum posteri molere tenebuntur, mensura non recepta de eisdem. Jncole eciam hereditatis nostre predicte, elapsa libertate prenotata, ad estivalia semel, ad yemalia vero ter, perpetuo nobis et nostris successoribus arabunt, arpicabunt, et nostris seminibus seminabunt in hereditate nostra *Lagow* dicta, vel alia eidem eque vicina. Judicabunt autem sculteti nostri predicti et ipsorum posteri, jure predicto Novifori, omnes causas parvas et magnas, civiles et criminales, eciam si exigant capitis vel membrorum mutilacionem, infra terminos predicte hereditatis nostre contingentes, presente nostro nuncio generali vel speciali ad hoc misso — De iudicatis autem nos et nostri successores duos denarios, et ipsi sculteti tercium recipiemus. Ea vero, que de iuramentis obvenerint, inter ipsos scultetos et nostrum procuratorem seu nuncium per medium dividentur. Preterea ipsi sculteti et eorum posteri, ac incole ville ipsius, tenebuntur nostrum et nostrorum successorum procuratorem vel alium nostrum nuncium generaliter vel specialiter missum, ter quolibet anno recipere ad colloquium seu iudicium generale faciendum, et sibi cum sua comitiva communiter expensas ministrare. Item si contra scultetos nostros predictos vel posteros ipsorum, pro aliquo excessu nos vel nostri successores aliquid agere vel querulari haberemus, iudicabuntur ibidem per nostros judices jure predicto Novifori: quos ad hoc duxerimus ordinandos: et si sculteti ipsi aut eorum posteri sculteciam ipsam alicui in parte vel in toto vendere vel obligare vellent, hoc non facient sine nostra (sic) et nostrorum successorum consensu et voluntate. Statuimus eciam, quod sculteti ipsi et eorum posteri, villani quoque seu incole in ipsa villa, ex speciali pacto per-

sonaliter debeant residere; quod si quispiam ipsorum hoc contempneret, et in ipsa villa non resideret, sculteti scultecia, et villanus manso, et quidquid ibi aliud immobile habebit, ipso facto seu jure omnimode sit privatus. Quodque nullus villanus seu incola plus, quam duos mansos inibi debeat obtinere. Insuper sculteti nostri memorati et incole ville ipsius ac ipsorum posteri, nobis et nostris successoribus iura, servicia, peticiones et honores exhibebunt iuxta jus novifori, et consuetudinem terre. In cuius rei testimonium, presentes litteras ipsis dari fecimus, nostro et capituli nostri sigillorum munimine roboratas. Actum et datum in *Lagovia*, infra octavas Epyphanie, anno domini millésimo trecentesimo tricesimo quarto. Presentibus fratribus nostris dominis: Jaroslao archidiacono Cracoviensi et Canonico nostro Wladislaviensi, Alberto preposito, Borislao archidiacono, Bartholomeo Cantore, Wladislaviensibus; Jaroslao preposito, Troyano scolastico, et Sandkone custode Crusviciensibus, et Canonicis Ecclesiarum, cum ceteris fide dignis.

CCLVII.

In Lessania, anno 1334 die 13 mensis Februarii.

Literae Theodorici Ordinis Fratrum Teutonicorum Magistri Generalis super cessione ipsius de Terris Brestensi et Dobrinensi.

Dogieli Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 53, Nro LVI.— Sommersberg Scriptores rerum Silesiacarum. T. III. p. 78.— Preussische Sammlung T. III. p. 527. Voigt Gesch. Preuss. T. IV. p. 514.

CCLVIII.

In Nyorsk, anno 1334 die 28 mensis Septembris.

Ziemovitus Dux Masoviensis significat, urbem et terram Brestenses a se Magistro Ordinis Teutonici saepius oblatas, ab eodem acceptas non esse.

Voigt Cod. dipl. Prussicus, T. II. p. 192, Nro 147.

CCLIX.

Wyszogrodiae, anno 1335 die 7 men. Maji.

Sententia arbitralis a Carolo Hungariae, et Joanne Bohemiae Regibus lata, qua Pomerania Cruciferis, Dobrzinensis vero et Cujaviensis Terra Regi Poloniae adjudicatur.

Dogieli Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 54, Nro LVII.—Dlugossii Hist. Pol. T. I. p. 1033 Lib. IX (Ed. Lip.).—J. Du Mont Corps universel diplomatique. T. I. Par. II. p. 151, Nro 216. Acta Borussica T. III. p. 545.— Baczko Gesch. Preuss. T. II. p. 141.

CCLX.

Wyszogrodiae, anno 1335 die 9 mensis Maji.

Wladislaus Dux Lanciciensis et Dobrinensis attestatur sibi damna, quae tempore belli inter Ordinem Teutonicum et Regem Poloniae gesti passus esset, a Magistro ejusdem Ordinis compensata esse.

Ludewig Reliqu. Mscr. T. V. p. 604 Nro 78.

CCLXI.

(Sine loco) circa annum 1335.

Fratres Ordinis Teutonici Lubissovienses restitutis villis, quas Episcopo Wladislauiensi injuste abstulerant, pollicentur se minime easdem villas vi repetituros esse (¹).

Nos Clemens dei gracia episcopus plocensis (²). Notum facimus uniuersis presentes literas inspecturis: Quod, dum inter venerabilem patrem dominum Mathiam, diuina et apostolice sedis prouidencia, wladislauiensem episcopum et capitulum ecclesie eiusdem ex parte una, et reuerendos ac re-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum deest.
(²) Tabulam hanc anno 1335 scriptam esse credimus, quippe Florianus, qui Clementem praecessit in episcopatu Plocensi, anno 1334 supremum diem obiit.

ligiosos viros, fratrem Wernherum de *Orsela* generalem magistrum, ac fratres hospitalis sancte Marie Jerosolimitane de domo Thewtonica ex altera, super litibus, controuersijs ac dampnis, inter eos ex utraque parte hinc inde habitis, per venerabiles patres dominum Florianum, felicis memorie episcopum plocensem antecessorem nostrum, et dominum Ottonem, diuina et apostolice sedis prouidencia episcopum culmensem, ac alios plures viros prudentes, sub anno domini millesimo trecentesimo tricesimo, in die beati Bartholomei, in castro thorunensi sollicite tractaretur ([3]); inter ceteros articulos, de quibus tractatus huiusmodi habebatur, iste specialiter exstitit diffinitus: quod religiosi viri commendator et fratres ordinis sancti Johannis Jerosolimitani de *Lubissow* in terra Pomoranie, super dissensionibus, iniurijs et dampnis factis inter ipsos, et predictum dominum episcopum wladislauiensem, et capitulum seu ecclesiam suam, ac super bonis seu possessionibus, videlicet: *Sagoscz*, *Winari*, *Scotniky* et *Janusewicze* in dyocesi cracouiensi, *Nemoyow* et *Sczeblancz*, in dyocesi wladislauiensi ([4]), ipsi domino episcopo et ecclesie sue adiudicatis, per iudices a sede apostolica deputatos, ipsi commendator et fratres de *Lubissow* restitutis villis seu possessionibus prefati domini episcopi et capituli sui seu ecclesie sue wladislauiensis, quas in terra Pomoranie occupauerant, nichil per violenciam aut potenciam occasione dictarum villarum, ipsi domino episcopo et ecclesie sue, ut dictum est, adiudicatarum, deberent repetere aut vendicare, sed tantummodo quidquid possent iudicio ecclesie, coram iudice competenti ab ipso requirere, illud obtinere deberent, et eo contenti ab omni dissensione et discordia debebant desistere seu cessare. Hec igitur ita fuisse gesta a predicto domino antecessore nostro, nos audiuisse veraciter protestamur. Confitemur eciam et protestamur super eodem negocio nos vidisse literas prefati venerabilis patris domini Ottonis episcopi culmensis, sui maioris sigilli appensione roboratas. In cuius rei testimonium, presentes literas fieri fecimus, et nostri sigilli munimine roborari.

([3]) Videatur tabula anni 1330, Nro CCLII p. 245.
([4]) Villae *Zagość*, *Winiary*, *Skotniki* (białe), *Januszowice* omnes in provincia Cracoviensi, territorio vero et regione Stopnicensi sitae; villae autem Niemojewo et *Zbląg*, jam descriptae.

CCLXII.

Lanciciae, anno 1335.

Laurentius haeres villae *Goslub* coram Wladislao Duce Lanciciensi et Dobrinensi comprobat, se in villa sua *Goslub* exercere eadem jura, quae ab aliis militibus in ipsorum villis exerceantur (¹).

In nomine domini, amen. Ab humana memoria gesta mortalium faciliter recedunt, nisi scriptis autenticis firmiter memorie commendantur. Sciant igitur universi tam presentes, quam futuri presentem paginam inspecturi: quia veniens Laurentius heres de *Goslub* (²) coram nobis Wladislao, Dei gracia Duce Lanchiciensi et Dobrinensi, et coram nostris baronibus, contra comitem Paulum Castellanum Lanchiciensem per personas idoneas et privilegia hoc ostendit: quia omnia jura, que decent militem, habet in sua villa, que nuncupatur in wulgo *Golslub* (sic), sicut omnes nostre ville habent. Et omnes penas sive emendas in suis kmethonibus, qui ibidem sunt in villa, et si capud (sic) occideretur de suis kmethonibus in villa, sive metis ejusdem ville, penam illam, que vocatur *Glovne* predictus Laurencius percipiet illam penam. Item kmethones in prefata villa nullus judicet, nec palatinus, neque Castellanus, nec coram aliquo nostro officiali, nec per eorumdem ministerialem debent citari.— Et hec acta sunt in *Lancicia*, coram nobis et nostris baronibus. Eapropter presentes sibi scribi fecimus, nostrum sigillum appendentes. Presentibus hiis nobilibus: Precslao Thesaurario, Bernardo vexilifero dicto Brozek, Miroslao tribuno, Strescone filio palatini, Johanne subdapifero, Stephano subvenatore. Anno Domini M° CCC° XXX quinto. Datum per manus Johannis notarii curie nostre.

(¹) Ex archetypo membranaceo doctissimi Stronczyńscii proprio. Sigillum appensum funiculo serico coloris rubri deletum.

(²) *Goslub*, villa territorii Lanciciensis, regionis vero Zgierscensis.

CCLXIII.

Lendae, anno 1336 die 17 mensis Maji.

Mathias Abbas monasterii Cisterciensium Lendensis villam *Łęg* **et decimas villae** *Kłobia* **commutat cum villa** *Godzesowo* **ac decimis villarum** *Kłodawa, Trąbki, Chozemin, Zakrzewo,* **Episcopatus Wladislauiensis propriarum** (1).

In nomine domini, amen. Humanorum actuum gesta, obliuione faciente, consueuerunt tractu temporis deperire, si scripture testimonio, vel testium suffragio non fuerint memorie commendata. Inde est, quod nos frater Mathias, diuina miseracione abbas de *Lynda*, ordinis Cysterciensis, gneznensis dyocesis, cupientes, ut gestorum inter venerabilem patrem dominum Mathiam, diuina et apostolice sedis prouidencia ecclesie wladislauiensis episcopum et capitulum ipsius, nomine ecclesie ipsorum ex parte una, et nos ac conuentum nostrum, nomine ecclesie nostre Lyndensis ex altera, plenior apud posteros memoria habeatur; notum facimus uniuersis, tam presentibus quam posteris, presencium noticiam habituris: quod attendentes, qualiter villa, possessio seu hereditas ecclesie nostre, que *Lang* wlgariter nuncupatur, iacens in terra Cuyauie prope *antiquam Wladislauiam*, una cum septem maldratis decimalibus in villa magnifici principis domini Wladyslai Regis Polonie, que *Cloba* dicitur, iacentibus, ad nostrum monasterium spectantibus, propter longam locorum distanciam minus utiles ecclesie nostre fore viderentur: et considerantes, quod villa, hereditas seu possessio ipsius domini episcopi wladyslauiensis *Godzesouo* wlgari vocabulo nuncupata, una cum ecclesia et decima ipsius ecclesie, molendino et lacu ipsius ville, ac alijs decimis in villa seu grangia nostra *Clodaua*, ac sortibus adiacentibus, et in *Trambky, Chosemino, Szacrzewo* quoque in terra Pomoranie iacentibus, ad mensam ipsius domini episcopi spectantibus, propter loci vicinitatem dicte grangie nostre *Clodaua*, et utilitatem uberiorem, que exinde monasterio et ecclesie nostre, deo propicio, poterit prouenire; cum ipso domino episcopo, de con-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniolis pergamenis duo erant appensa sigilla, quorum unum reliquum maxima ex parte deletum.

sensu capituli sui, nostri conuentus similiter consensu accedente, de dicta villa nostra *Lang* et septem maldratis in terra Cuyauie iacentibus, in villa domini regis prenotata, ad nostrum monasterium seu ecclesiam spectantibus, permutacionem fecimus iuxta modum infrascriptum. Eidem siquidem domino episcopo, ecclesie sue predicte nomine, dedimus, tradidimus et resignauimus predictam villam, possessionem seu hereditatem nostram *Lang*, una cum septem maldratis decimalibus predictis in prefata *Cloba*, ad nostrum monasterium spectantibus, tytulo permutacionis, cum omnibus iuribus, fructibus, utilitatibus, pratis, nemoribus, mellificijs, piscacionibus in *Visla* et alijs aquis, molendino quoque et minera ferri, ac alijs uniuersis et singulis pertinencijs suis, que nunc habentur, vel in posterum poterunt reperiri. Ab ipso vero domino episcopo, ecclesie sue nomine, habito maturo consilio et deliberacione sufficienti, de consensu capituli sui, nostri conuentus similiter consensu accedente, pro omnibus et singulis predictis, simili tytulo permutacionis, recepimus dictam villam ipsius *Godzesouo*, una cum ecclesia et decima ipsius ecclesie, iure quoque patronatus, molendino et lacu ipsius ville, ac alijs decimis ville seu grangie nostre *Clodaua* et sorcium adiacencium, et in *Trambky*, *Chosemino* ac *Szacrzewo* in terra Pomoranie existentibus, eodem modo cum uniuersis et singulis iuribus, fructibus, utilitatibus et pertinencijs suis, que nunc sunt, vel esse poterunt in futurum. Volentes et tenore presencium decernentes, quod ipse dominus Episcopus et ecclesia Wladyslauiensis sua, omnia et singula predicta, per nos sibi data et assignata modo predicto, nos quoque et monasterium nostrum, ac ecclesia nostra Lyndensis similiter uniuersa et singula prelibata, per ipsum nobis tradita et assignata, debeamus vicissim iure hereditario perpetuo possidere. Temporalibus pro temporalibus, et spiritualibus pro spiritualibus sic canonice permutatis. Promittimus insuper, nomine monasterij et ecclesie nostre, pro nobis et successoribus nostris eidem domino Episcopo et ecclesie, ac successoribus ipsius de euictione predicte ville *Lang* ac septem maldratarum prelibatarum, ut, si quispiam eam vel eas inposterum euinceret, nos et monasterium ac ecclesia nostra et successores nostri ad reconpensam euictorum, ex pacto inter nos habito, tenebuntur (sic). In cujus rei testimonium, presentes litteras eidem domino episcopo dedimus nostro et nostri conuentus sigillorum munimine roboratas. Datum in *Lynda*, monasterio nostro, sexto decimo Kalendas mensis Junij, anno do-

mini millesimo trecentesimo tricesimo sexto. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Johanne decano wladyslauiensi, Jaroslao preposito, Borislao scolastico, Trayano cantore, Sandchone custode, crusficiensis, et Nicolao, canonicis wladyslauiensis ecclesiarum; item fratribus nostris: Alberto priore, Johanne subpriore, Nicolao celerario, Arnoldo portario, et alijs pluribus nostri conuentus.—Per hoc autem instrumentum litteris, sigillo communi abbatis et conuentus ecclesie Lyndensis sigillatis, per nos, abbatem et conuentum predictos, prefato venerabili in Christo patri domino Mathie, episcopo wladyslauiensi, et ecclesie ipsius sub anno domini millesimo trecentesimo vicesimo octauo datis super eadem commutacione ([2]): que cum presentibus sunt eiusdem continencie et tenoris: non intendimus preiudicare, ymo ipsas approbantes et confirmantes, cum instrumento presenti eandem vim decernimus habituras.

([2]) Vid. tabula anni 1328. Nro CCXLVI. p. 238.

CCLXIV.

Pakościae, anno 1337 die 4 mensis Martii.

Casimirus Rex Poloniae Wladislao Duci Dobrynensi, a quo Terram Dobrynensem jure donationis acceperat, Terram Lanciciensem ad vitae tempora tenendam confert.

Dogieli Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 56. Nro LIX.

CCLXV.

Nescinae (?), *anno 1338 die 3 mensis Januarii.*

Philippus haeres villae *Łagiewniki*, partem ejusdem villae Mathiae Episcopo Wladislauiensi oppignerat ([1]).

In nomine domini, amen. Nos frater Heynricus de *Zenge*, comendator *Nescinensis* et de *Murzin*, notum facimus uniuersis presencium noticiam ha-

([1]) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum appensum taeniola pergamena minimae formae multum attritum, exhibet tres viros juxta se stantes, quo-

bituris: Quod constitutus in nostra presencia Phillippus heres de *Lagewnik* (2) confessus est et publice recognouit: quod ipse venerabili in Christo patri domino Mathie, diuina et apostolice sedis prouidencia ecclesie wladislauiensis episcopo, partem hereditatis eiusdem de *Lagewnik*, que olim eciam fuerat obligata in decem marcis denariorum monete thorunensis pignori obligauit. Hoc adiecto, quod idem Philippus vel quicunque successor ipsius legitimus partem eandem hereditatis redimere possit, data eadem pecunie quantitate quandocumque. Quam obligacionem nos, comendator predictus, admittimus et eam ratam habentes tenore presencium confirmamus. Promittentes, quod de eadem parte hereditatis eo tempore, quo eam predictus dominus episcopus aut sui successores in obligacione tenebunt, nos et successores nostri nullum ius ducale repetemus. In cuius rei testimonium, presentes literas fieri fecimus et nostri sigilli appensione roborari. Datum in *Nescina*, III° nonas Januarii, anno domini M° CCC° XXX° VIII°. Presentibus discretis viris: Thoma de *Brenna* judice *gnewcouiensi*, Pribislao de *Cobelicz*, Bartholomeo de *Wizschoslauicz*, Albrico de *Lype* et Nicolao de *Grabe* (3), cum ceteris fide dignis.

rum qui est in medio statura utrosque alios praestans, Christum columnae alligatum ab utrisque aliis flagellis caesum repraesentare videtur. Ex verbis inscriptis vix literae „*cod*. ..” conspici possunt.

(2) *Murzyno*, villa territorii Bydgostiensis, regionis vero Juniwladislauiensis.—*Nescinensis* fortasse *Nieszaviensis*. *Łagiewniki* villa ejusdem ac Murzyno regionis.

(3) *Branno* (profanata) villa in decanatu Gniewkoviensi, *Kobielice* villa territorii Cujaviensis, regionis vero Radziejoviensis: *Wierschoslawice* territorii Bydgostiensis, regionis vero Juniwladislaviensis et Gniewkoviensis parochiae: ibidem etiam villae *Lipie* et *Grabie*.

CCLXVI.

Juniwladislaviae, anno 1339 die 5 men. Januarii.

Magistratus civitatis Juniwladislaviensis attestatur a haerede villae *Łagiewniki* partem eiusdem villae Mathiae Episcopo Wladislaviensi pignori obligatam esse (1).

In nomine domini, amen. Nos Consules, Nicolaus Peregrini proconsul, Nicolaus Glaz, Nicolaus Poznanie, Filo Rosmulner Cunadus (sic) Ruf-

(1) Ex archetypo membranaceo doctissimi Stronczyński proprio. Taeniola pergamena appensum est sigillum mediae formae, in eoque effictae tres turres juxta se stantes: inscriptio in ambitu deleta.

fus, Petrus Sturlus, Johannes Muzhe, Franciscus Springisgut, Civitatis *Wladyzlavie Juvenis*, ad universorum noticiam deducimus per presentes: quod, cum in consistorio sedentes et de negocijs dicte Civitatis tractantes vel agentes (sic), discretus vir heres de *Lagewnik* in nostra presencia constitutus confessus est et publice recognovit, quod ipse causa sue necessitatis venerabili in christo patri, domino Mathie, divina et sancte sedis apostolice providencia Episcopo sancte Wladyzlaviensis ecclesie, partem hereditatis eiusdem *Lagewnik*, circa *Parchane* sitam, que olim fuerat obligata in decem marcis denariorum monete Thorunensis, et pratum eidem parti iunctum in duabus marcis denariorum similium nomine pignoris obligavit. Hoc addito, quod idem Phylippus vel quicumque successor suus legitimus eandem partem hereditatis data pecunie quantitate prenominata pacifice liberabit quandocumque. In cuius rei testimonium, presentes sibi dedimus sigilatas (sic) sigillo dicte civitatis. Actum et datum in *Juveni Wladyzlavia*, feria tercia proxima ante Epyphaniam domini, sub anno eiusdem M° CCC° XXX° IX°.

CCLXVII.

Varsaviae, anno 1339 die 15 mensis Septembris.

Sententia definitiva, qua Commissarii et judices a Sede Apostolica delegati Casimiro Regi et Regno Poloniae Pomeraniam, nec non Culmensem, Michaloviensem, Cujaviensem, Dobrinensem terras adjudicant, et ratione damnorum perceptorum ad centum nonaginta quatuor millia et quingentas marcas Polonici ponderis, et ad mille sexcentas marcas ratione impensarum, Magistrum et Cruciferos condemnant.

Dogieli Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 56. Nro LX.—Dlugossii Hist. Pol. Tom. I. Lib. IX. p. 1045. (Ed. Lip.) J. Du Mont Corps Univ. Diplom. T. I. Par. II. p. 175. Nro 254.

CCLXVIII.

Brestiae, anno 1339 die 28 mensis Septembris.

Pars haereditatis *Kicko*, de cujus dominio lis orta erat inter quemdam Nicolaum Bank ejusque consanguineos, nec non Mathiam Episcopum Wladislaviensem, a judicibus delegatis huic posteriori adjudicatur (1).

In nomine domini, amen. Nos Wincencius, Castellanus *Starogrodensis*, et Johannes dictus Haslach, per religiosum et discretum virum fratrem Bertoldum de *Ende*, ordinis fratrum sancte Marie hospitalis Jerosolimitani, domus thewtunice in causa, que inter Nycolaum dictum Bank et consanguineos ipsius ex parte una, et venerabilem in Christo patrem dominum Mathyam, diuina et apostolice sedis prouidencia Wladislauiensem episcopum et capitulum ipsius parte altera (sic), super parte hereditatis *Kydsco*, que *Sowcze* wlgariter dicitur (2), uertitur (sic), judices delegati, uisis, auditis et intellectis iuribus, allegacionibus et probacionibus utriusque partis hinc inde propositis; quia inuenimus, quod idem dominus episcopus et capitulum suum predictam partem hereditatis iuste tenuit et possedit, et sufficienter suam esse probauit; idcirco, iusticia exigente, parte utraque presente, dei nomine inuocato, comunicato consilio militum, in presencia dicti comendatoris diffiniendo pronunciamus, prefatam partem hereditatis ad dictum dominum episcopum et capitulum ipsius pertinere. Absoluentes ipsum dominum episcopum et capitulum suum ab impeticione Nycolay memorati et suorum consanguineorum, ipsis super eadem parte hereditatis perpetuum sillencium (sic) inponentes. In cuius rei testimonium, presentes literas predicto domino episcopo et capitulo ipsius dedimus, nostris sigillis sigillatas. Actum et datum in *Brest*, in die sancti Wenceslay, anno domini millesimo trecentesimo tricesimo nono. Presentibus discretis viris: Johanne Wladislauiensi, Alberto Brestensi, palatinis; Johanne Wladislauiensi, Nasengneuo, dicto Colaczek,

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniolis pergamenis appensa duo sigilla deleta.

(2) *Kicko*, villa territorii Bydgostiensis, regionis vero Juniwladislauiensis.

Brestensi, judicibus; Johanne, dicto Strbanczek, subagazone wladislauiensi et Jarando subdapifero brestensi, cum ceteris fide dignis testibus ad predicta vocatis et rogatis.

CCLXIX.

In villa Wieniec, anno 1339 die 29 men. Septembris.

Limites inter villam *Witowo*, Episcopatus Wladislauiensis propriam, ac villam *Pouolouicze* componuntur (1).

In nomine domini, amen. Nouerint uniuersi presentes literas inspecturi: Quod, cum inter venerabilem in Christo patrem dominum Mathiam, diuina et apostolice sedis prouidencia wladislauiensem episcopum et ecclesiam ipsius ex una parte, ac discretos viros: Alexium, Jacobum, Stefanum, Stanislaum, Petrum, Paulum dictum Slappa, et Wisatam (sic), heredes de *Pouolouicz* ex altera, super limitibus seu granicijs de *Witowo*, villa dicti domini episcopi et ecclesie ipsius, ac *Pouolouicze* hereditate ipsorum prefata (2), coram judicio incliti domini Wladislai Regis Polonie materia questionis exorta fuisset, tandem, utraque parte in iudicio comparente, per modum amicabilis composicionis, de consensu et permissu (predi)cti judicij domini regis, et voluntate litigancium partis utriusque, per nos Albertum palatinum et Nasengn (eum) (judi) cem brestensem, taliter extitit inter ipsos determinatum seu diffinitum: quod ipse dominus episcopus propter bonum p. . . . . quod limites seu gades, prout stant et facte sunt inter predictas hereditates *Witowo* et *Pouolouicze* perpetuo (immuta)biles stare deberent. Et ne de cetero alique controuersie super eisdem gadibus seu granicijs orirentur, de.... predictis heredibus, prout dedit et assignauit, decem marcas denariorum monete usualis, qui hered(es suo) ac successorum suorum nomine firmiter promiserunt, quod dictis domino

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Duorum sigillorum, quae desiderantur, supersunt taeniolae pergamenae, quibus appensa erant.

(2) *Witowo*, villa territorii Cujaviensis, regionis Radziejoviensis, ibidem et villa *Powolowicze*, uti contigua villae *Witowo*, sita fuerit necesse est, sed in antiquis tabulis geographicis occurrit tantum villa *Powalkowice*.

episcopo et ecclesie ipsius nunquam super limitibus eisdem deinceps perpetuis temporibus vellent aliquam mouere questionem, omni juri, si quod in eisdem limitibus haberent, suo et successorum suorum nomine voluntarie renunciantes, illud in manus dicti domini episcopi et ecclesie ipsius wladislauiensis resignando. In cuius rei testimonium, ad peticionem dictorum heredum de *Pouolouicz*, presentes literas ipsi domino episcopo dedimus, nostris sigillis sigillatas. Actum et datum in *Winecz*, in die sancti Michaëlis archangeli. Presentibus nobilibus comitibus: Johanne palatino, Johanne judice, et Jascone dicto Sterbanczecz subagazone, wladislauiensibus; Jarando quoque venatore brestensi, cum ceteris fide dignis ad predicta vocatis et rogatis, sub anno domini M° CCC° XXX° nono.

CCLXX.

In Villa nova, anno 1342 die 4 mensis Augusti.

Commissio Benedicti Papae XII a Clemente VI innovata, qua Dobrzinensis et Cujaviensis Terra et decem millia florenorum a Magistro Cruciferorum Regi et Regno solvi jubentur.

Dogieli Cod. dip. Reg. Pol. T. IV. p. 66 Nro LXI.

CCLXXI.

Raciensi, anno 1342 die 22 mensis Novembris.

Mathias Episcopus Wladislauiensis cuidam Jacobo villam *Smolino* jure culmensi coloniis frequentandam concedit (¹).

In nomine domini, amen. Humanorum (sic) gesta, obliuione faciente, consueuerunt tractu temporis deperire, si scripture testimonio, vel testium adminiculo memorie non fuerint commendata. Inde est, quod nos Mathias

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Duo sigilla, quae huic tabulae erant appensa, desunt; superest tantum funiculus sericus coloris viridis, quo unum eorum appensum erat.

diuina et apostolice sedis prouidencia wladislauiensis episcopus, cupientes, ut rei geste inter nos ex una parte, et discretum virum Jacobum, scoltetum nostrum de *Smolino* (²), ville nostre ecclesie, ex altera, apud posteros memoria plenior habeatur, notum facimus uniuersis presentes literas inspecturis: Quod intendentes melioracioni bonorum ecclesie nostre predicte, ut ex eis, auctore domino, fructus uberior ualeat prouenire; de voluntate et consensu capituli nostri wladislauiensis, predicto Jacobo prefatam villam nostram *Smolino*, exposuimus locandam iure Meydburgensi, prout in terra Culmensi tenetur; ad paruos mansos flamingicos sub ea, que sequitur, ordinacione: Primo siquidem eidem scolteto nostro et suis posteris, racione locacionis, damus decimum mansum a censu et decima liberum, et medietatem taberne, iure hereditario perpetuo possidendum, eidem scoltecie molendinum nostrum ibidem adiungentes, de quo molendino prelibatus noster scoltetus et sui posteri, nobis et nostris successoribus, singulis annis in die purificacionis sancte Marie virginis gloriose, racione census, alteram dimidiam marcam soluere, et annonas nostras pro nobis et curia nostra ibidem molere, mensura de eisdem non recepta, tenebuntur. Incole vero dicte nostre ville *Smolino*, ewlsis quinque annis libertatis, a data presencium computandis, similiter singulis annis in die predicte purificacionis sancte Marie, nobis et nostris successoribus, racione census, octo scotos monete usualis, et duos pullos, et, racione decime, quatuor siliginis, quatuor ordei et quatuor mensuras auene, de quolibet manso solubili, assignare tenebuntur. Quem censum et frumenta scoltetus ipse et sui posteri exigent et colligent, et nobis ac successoribus nostris, vel certo nostro nuncio, quem ad hoc mittemus, integraliter presentabunt. Preterea scoltetus noster predictus et sui posteri, omnes causas paruas et magnas, ciuiles et criminales, infra terminos dicte hereditatis nostre contingentes, presente nostro nuncio generali vel speciali iudicabit. De iudicatis nos et nostri successores duos denarios, et scoltetus cum suis posteris tercium recipiemus. Statuimus eciam, quod scoltetus ipse et sui posteri, villani quoque seu incole in ipsa villa, ex speciali pacto, personaliter debeant residere. Quod si quispiam ipsorum hoc contempneret, et in ipsa villa non

(²) Hodie forsitan *Smoln*, (Smolner Weide) villa territorii Kwidzynensis, regionis Torunensis.

resideret, scoltetus scoltecia et villanus mansis et quicquid ibi aliud inmobile habebit, ipso facto seu iure, omnimode sit priuatus; quodque nullus villanus seu incola plus, quam duos mansos in ibi debeat obtinere. Et quod eciam scoltetus ipse et sui posteri scolteciam eandem nulli in parte vel toto uendere ualeant vel obligare, nisi ei, quem nos vel nostri successores admittemus. Ordinamus insuper, quod, si nos vel nostros successores aduersus scoltetum nostrum, vel suos posteros pro excessu aliquo agere contingat, ipsi in curia nostra ibidem coram nostro judice, quem ad hoc ponemus, iure predicto Meydburgensi respondebunt. Addicimus (sic) preter hoc, ut, quando nos vel nostros successores, ipsam villam contigerit intrare, incole ipsi omnia nostra utensilia ad villam nostram viciniorem educent proprijs vecturis. Scoltetus autem insuper ipse et sui posteri, ac incole ville ipsius, expleta libertate predicta, nobis et nostris successoribus honores, peticiones et seruicia, iuxta consuetudinem terre et iuris Meydburgensis exhibebunt. In cuius rei testimonium, presentes literas sibi dedimus, nostro et capituli nostri sigillorum munimine roboratas. Actum et datum in *Raczens* (³), X° kalendas mensis Decembris, anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Alberto preposito, Johanne decano, Bogufalo scolastico, Borzislao archidiacono wladislauiensibus; et Sandcone custode crusuiciensi, et canonicis ecclesiarum, cum ceteris fide dignis.

(³) *Raciążek* oppidum in regione Radziejoviensi, territorio Cujaviensi, provincia Masoviae situm.

CCLXXII.

Raciensi, anno 1342 die 23 mensis Decembris.

Mathias Episcopus Wladislauiensis cuidam Gregorio villam *Zakrzewo* jure culmensi colonis frequentandam concedit (¹).

In nomine domini, amen. Quoniam generacio preterit, et generacio aduenit, nichilque in humana condicione stabile persistit, ymmo propter mor-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladisleviensis. Huic tabulae appensa erant duo sigilla, alterum funiculo serico rubri coloris, ejusque superest parvum fragmentum, alterius ne funiculus quidem restat.

talitatem hominum et labilem memoriam eorumdem in obliuionem indubitanter deuenire consueuit; idcirco discretorum virorum consilio salubre remedium est inuentum, ut ea, que ab humanis actibus aguntur, scripturis autenticis ad perpetuam memoriam confirmentur; ut exinde habeatur congnicio (sic) veritatis, si super hijs, que acta sunt, subhoriri (sic) contingat aliquid questionis. Inde est, quod nos Mathias, diuina et apostolice sedis prouidencia, ecclesie wladislauiensis episcopus, cupientes, ut rei geste inter nos ex una parte, et discretum virum Gregorium scolthetum ville nostre et ecclesie nostre *Zachrewo* wlgariter dicte, site in terra Cuyauiensi ex altera, apud posteros memoria plenior habeatur, notum facimus uniuersis presentes literas inspecturis; et intendentes ecclesie nostre condicionem facere meliorem, *Zachrewo* villam ecclesie nostre predictam prefato scolteto nostro iure Meydburgensi, prout in terra Culmensi tenetur, ad mansos paruos flamingicos exposuimus locandam sub modo et forma infrascriptis.— Primo siquidem scoltetus ipse et sui posteri, racione locacionis, decimum mansum a solucione census liberum, sed non a decima, in eadem villa iure hereditario perpetuo pacifice possidebunt. Incole vero ville ipsius, elapsis octo annis libertatis, a data presencium computandis, de quolibet manso solubili octo scotos monethe usualis, et duos pullos, racione census, in festo purificacionis beate Marie virginis gloriose soluere, et decimam manipulatim in campo tempore debito, singulis annis asignare (sic) nobis et nostris successoribus perpetuo tenebuntur. Quem censum scoltetus ipse cum suis successoribus exigent et colligent, et nobis ac successoribus nostris integraliter presentabunt. Judicabit autem scolthetus ipse cum suis posteris omnes causas paruas et magnas, ciuiles et criminales, infra terminos predicte hereditatis nostre contingentes, iure predicto Meydburgensi, presente nostro nuncio generali vel speciali ad hoc misso. De iudicatis vero, de iuramentis, ac de thaberna, nos et nostri successores duos denarios, et scoltetus ipse cum suis posteris tercium, recipiemus. Statuimus insuper, quod scoltetus ipse cum suis posteris, villani quoque seu incole in villa ipsa, ex speciali pacto, personaliter debeant residere. Et si quispiam ipsorum hoc contempneret, et alibi resideret, scoltetus scoltecia, et villanus manso, et quidquid ibi aliud immobile habebit, ipso facto seu iure, omnimode sit priuatus. Quodque nullus villanus seu incola ibidem plus, quam duos mansos debeat obtinere. Et quod eciam scolthetus ipse et

sui posteri, sculteciam eandem nulli vendere aut obligare in parte, vel in toto valeant, preter nostram et nostrorum successorum voluntatem et consensum. Preter hec, si nos, vel nostros successores, aduersus eundem scoltetum, vel suos posteros, aliquid agere vel querulari contingat, ipsi coram nostro et nostrorum successorum judice, quem ad hoc posuerimus ibidem, iure predicto Meydburgensi respondebunt. Tenebuntur eciam scoltetus ipse cum suis posteris, et incole ville ipsius, nostrum et nostrorum successorum procuratorem, vel alium nuncium ad hoc missum ter quolibet anno recipere ad colloquium generale faciendum, et sibi metquarto expensas communiter ministrare. Et quando nos vel nostros successores eandem villam contingerit (sic) intrare, incole ipsi omnia nostra utensilia educent ad villam nostram viciniorem. Volumus eciam, quod, si quando aliqua dubia in iudicio emerserint inter scabinos ville nostre memorate, non alias, nisi in *Raczens* accedant pro eisdem discutiendis. Ordinamus eciam, quod scolthetus ipse et sui posteri ac incole ville ipsius, racione annonarum missalium, singulis annis in festo purificacionis predicto, soluant dimidiam mensuram siliginis et dimidiam auene rectori ecclesie in *Lubocina*, in qua audient officia diuina et percipient ecclesiastica sacramenta. Admittimus insuper, quod scoltetus ipse et sui posteri in eadem villa nostra oues habere et pascere specialiter infra terminos eiusdem hereditatis valeant abs (sic) dampno cuiuslibet et inpedimento. Scoltetus insuper ipse cum suis posteris, ac incole ville ipsius honores, peticiones et seruicia, iuxta consuetudinem terre et iuris Meydburgensis, nobis et nostris successoribus exhibere tenebuntur. In cuius rei testimonium, presentes literas sibi dari fecimus, nostro (sic) et capituli nostri sigillorum munimine roboratas. Actum et datum in *Raczens*, X° kalendas mensis Januarij, anno domini millesimo CCC° XL° II°. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis fratribus nostris: Alberto preposito, Johanne decano, Bogufalo scolastico, Borislao archidyacono, wladislauiensibus; Jaroslao preposito, Trebeslao decano, Troyano scolastico, Sandywoio custode, crusuiciensibus, et canonicis ecclesiarum, cum ceteris fide dignis.

CCLXXIII.

Calissiae, anno 1343 die 8 mensis Julii.

Casimirus Rex Poloniae et Ludolphus Cunig Magister Generalis Ordinis Teutonici promittunt se confirmationem concordiae inter se de terris Cujaviensi et Dobrinensi initae a Sede Apostolica impetraturos esse (1).

Noverint vniversi presentes literas inspecturi: quod nos Kazimirus, dei gracia Rex Polonie, Reverendo et religioso viro domino et fratri Ludolpho Cunig, magistro generali ordinis beate Marie domus Theutonice Jerosolimitane hospitalis, et fratribus eiusdem ordinis, presentibus literis promittimus et spondemus, nos specialiter obligantes, ut, postquam consumata cum eodem Magistro et fratribus concordia, terras Cuyavie et Dobrinensem habuerimus, ac civitates, castrum et fortalicia, in eisdem terris consistencia, plene posse-derimus, et in eorum plena et pacifica possessione fuerimus, extunc infra triduum nuncios nostros cum nostris literis, pro petenda confirmacione concordie inter nos et Magistrum ac fratres predictos, inspirante domino, celebrate, ad Romanam Curiam curabimus destinare, et a domino nostro Papa petere et inpetrare confirmacionem huiusmodi concordie, dolo et fraude cessantibus, ac eam nostris expensis et sumptibus expedire: qua expedita et presentata procuratori magistri et fratrum predictorum in Curia Romana: postquam de expedicione et presentacione ipsius, Magistro ipsi in partibus fuerit facta fides: Magister ipse tenebitur nobis dare et tradere infra quindenam decem milia florenorum boni auri de Florencia, iuxta ordinacionem domini Benedicti beate memorie Pape XII, et ratificacionem ordinacionis eiusdem sanctissimi patris nostri domini Clementis Pape VI, ut in literis ipsorum plenius continetur. Si vero eosdem nuncios nostros contigerit huiusmodi literas Apostolicas confirmatorias concordie prelibate obtinere non posse, quod absit, aut si ijdem nuncij nostri in inpetrandis literis negligen-

(1) **Ex archetypo membranaceo cujusdam privati tabularii, quod exstat in Regno Galliciae. Sigilli abrupti superest taeniola pergamena.**

tes fuerint aut remissi, extunc licitum sit Magistro et procuratori ordinis in Romana Curia easdem literas Apostolicas confirmacionis concordie, ut premittitur, suis expensis et sumptibus inpetrare. Et quantum in inpetrandis literis huiusmodi Magistrum et procuratorem suum expendere fideliter continget, tantum de dictis decem milibus florenorum compensare Magistro tenebimur, prestito super huiusmodi expensis per procuratorem suum in animam Magistri corporali primitus iuramento. Residuam quoque partem eorundem decem milium florenorum, ipse Magister, postquam sibi de inpetracione confirmacionis constiterit, infra quindenam, ut premittitur, nobis tenebitur ex integro presentare — De literis vero Apostolicis super eadem concordia nobis Magister fidem faciet fidem (sic) sine mora. In cuius rei testimonium, presentes nostro insignio (sic) iussimus communiri. Datum *Kalis*, die beatorum Martyrum Kyliani et eius sociorum, Anno domini M° CCC° XL° tercio.

CCLXXIV.

Lanciciae, anno 1343 die 15 mensis Augusti.

Casimirus Gniewcoviensis et **Wladislaus** Lanciciensis atque Dobrinensis Duces, foederi inter Casimirum Regem Poloniae et Ordinem Teutonicum inito accedunt.

Preussische Sammlung. T. III. p. 737.

CCLXXV.

Lanciciae, anno 1345 die 24 mensis Junii.

Wladislaus Dux Dobrinensis et Lanciciensis novum oppidum Ripini condit, idque fundis et variis libertatibus donatum jure Culmensi regi vult.

W. H. Gawareccii „Przywileje, nadania, i swobody i t. d. miastom Województwa Płockiego." — p. 218. N^ro XXXIII.

CCLXXVI.

Lanciciae, anno 1346 die 14 mensis Februarii.

Wladislaus Dux Lanciciensis et Dobrinensis Peczkoni sartori suo duos mansos liberos, extra civitatem Lanciciensem sitos, donat (1).

In nomine domini, amen. Que de mera liberalitate principum, ob merita subditorum ac fidelia obsequia, conferuntur, testium amminiculo et testatione literarum perennentur (sic) ad perpetuam memoriam futurorum. Hinc est, quod nos Vladislaus, dei gratia dux Lancitiensis et Dobrinensis terrarum, recognoscimus universis presentibus et futuris, presentium notitiam habituris: Quod consideratis et inspectis meritis ac fidelibus seruitijs, nobis per Peczkonem sartorem nostrum fideliter sepius impensis, et adhuc in posterum impendendis, ut etiam merita meritorum vicissitudine se gaudeant repensarj, eidem Peczkonj duos mansos liberos ante ciuitatem *Lancitiensem* sittos, dedimus, addidimus, donauimus sibi suisque veris heredibus ac legittimis successoribus jure hereditario, libere absque omni exactione et solutione, tam generali quam speciali, in perpetuum tenendos, habendos, atque possidendos, videlicet vendendos, donandos, sive commutandos pro sua suorumque posterorum omnimoda voluntate, cum nostra tamen connivencia pariter et consensu. Ut autem hec donatio de maturo consilio ac salubritate habita, donationisque protestatio presens, robur obtineat perpetue valiturum, presentes fieri mandavimus et nostro sigillo majori roborari et communiri. Actum in *Lancitia*, presentibus his testibus, Comitibus: falone palatino, Johanne succamerario, Stephano vexillifero, Schamborio Tezaurario, Dominico subjudice, Mathia subpincerna, Lancitiensibus, et aliis quam pluribus testibus fide dignis. Datum per manus Andree Nottarij nostri, in die beati Valentini, anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto.

(1) Ex confirmatione Regis Sigismundi I. anni 1537, quae inserta est libro Metrices Regni Nro LIV. p. 244, cui adiuncta est confirmatio Regis Wladislai anni 1398.

CCLXXVII.

Brestiae, anno 1346 die 20 mensis Aprilis.

Jaroslaus Archiepiscopus Gnesnensis attestatur se tredecim villas castellaniae Lagoviensis, Episcopi Wladislaviensis propriae, ad tredecim annos conduxisse (¹).

In nomine domini, amen. Nouerint uniuersi presentes literas inspecturi: Quod nos Jaroslaus, diuina prouidencia sancte gneznensis ecclesie archiepiscopus, a venerabili in Christo fratre domino Mathia, diuina et apostolice sedis prouidencia wladislauiensi episcopo, villas suas et ecclesie sue predicte, castellanie *Lagouiensis*, dyocesis Cracouiensis, infra spacium tredecim annorum, a data presencium computandum, cum omnibus fructibus, redditibus ac utilitatibus uniuersis, per nos tenendas et possidendas sub annuo censu, pro quadraginta marcis grossorum pragensium, quadraginta octo grossos pro qualibet marca computatis (sic), per nos eidem domino episcopo et successoribus suis in festo natiuitatis Christi singulis annis soluendis, in omnem euentum recepimus ad firmam. Hoc tamen excepto, quod si in bonis seu villis predictis, tempestate grandinis, aut incursu exercituum extraneorum, in hijs, que nos recipere deberemus, aliquid dampni seu destruccionis casualiter eueniret nobis, secundum proborum taxacionem ad hoc per eundem dominum episcopum, seu successores ipsius, et nos electorum, equipolenter partem peccunie, quam sibi racione huiusmodi exposicionis soluere deberemus, defalcabit; hoc eciam adiecto, quod si interim eidem domino episcopo, vel successoribus ipsius, mangna (sic) et euidens necessitas eueniret, et ipsum vel suos successores de bonis ecclesie sue wladislauiensis, que in partibus alijs optinet (sic), quod deus auferat, contingeret exulari, extunc pro rata temporis dicte peccunie defalcacione facta, eidem domino episcopo, vel successoribus ipsius, villas seu possessiones dicte castellanie Lagouiensis, absque inpedimento quolibet, restituemus. Promittimus insuper eidem domino episcopo sua jumenta et consanguineorum

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti superest tantum taeniola pergamena.

suorum, in dicta castellania Lagouiensi per ipsorum pastores pascenda: quibus necessaria tenebuntur ministrare: si opus fuerit, tenere et conseruare; et nichilominus dicta bona, prout melius potuerimus, bona fide locare et informare, et ipsa cum omnibus et singulis frumentis, segetibus, seminibus tam estiualibus, quam yemalibus, pecoribus et alijs rebus, que ibidem in principio prime ordinacionis inuenerimus, elapsis annis exposicionis supradictis, sine dissensione et contradiccione qualibet, restituere et integraliter assignare. Et si quando eundem dominum episcopum vel successores ipsius dictam castellaniam contingeret intrare; sibi cum sua comitiua infra triduum vel quadriduum expensas decenter ministrare. In cuius rei testimonium, presentes literas sibi dedimus; presentibus dominis: Ywone preposito, Preczlao archidiacono, Nicolao cancellario, gneznensibus; Alberto preposito, Bogufalo scolastico, Johanne custode, wladislauiensibus, et alijs pluribus fide dignis, nostri sigilli munimine roboratas. Actum et datum in *Brest*, quinta feria infra octauas resureccionis domini nostri, anno domini M° CCC° XL sexto.

CCLXXVIII.

Brestiae, anno 1346 die 18 mensis Novembris.

Casimirus Rex Poloniae scultetiam villae *Volya regalis* prope civitatem *Brestensem* in terra Cuiaviensi sitae Marconi dicto Pomorka vendit (1).

In nomine domini, amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi solenni testimonio literarum robur perhennetur. Igitur nos Kazimirus, dei gracia Rex Polonie, Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie, Russie, nec non dominus et heres terre Pomeranie, notum facimus universis, presentem literam inspecturis: Quod volentes utilitates et fructus Regni nostri augmentare, extunc de maturo nostro consilio et baronum nostrorum scultetiam in villa nostra *Volya regali*, sitam (sic) prope ciuitatem Brzestensem, nostre

(1) Ex confirmatione Regis Alexandri anno 1504 Brestiae data. Descriptum ex libro Metricae Regni Nro XX. p. 243.

terre Cuyavie, prouido viro Marconi dicto pomorka de terra *pomeranie*, pro sexaginta sexagenis grossorum pragensium, numeri polonicalis, sibi et suis successoribus legittimis vendidimus, quinque mansos liberos, tercium denarium de quolibet judicio, unam tabernam, tres ortulanos, octo *morgos* prati in villa nostra *Lagyewniki* circumfossatos, et unum piscatorem ex utraque parte fluvij dicti *Sgowyanthka*, usque ad piscinam nostram Brestensem, sine omni impedimento tenetur piscari. Et ut vendicio hec predicte scultecie utilius et uberius hic et in perpetuum permaneret et duraret, prefatus Marcus et sui successores legittimi, in equo proprio pro duabus sexagenis in *pancerio* siue lorica, cum balista et sub galea, ad expedicionem generalem: dummodo generalis proclamacio omnium terrigenarum nostri regni fuerit proclamata: sub nostro vexillo nobis et nostris successoribus seruire tenetur. Item prenominatum Marconem dictum Pomorka et suos successores legittimos liberamus ab omnibus alijs seruicijs, solucionibus, angarijs et preangarijs, exactionibus, duntaxat excepta expedicione predicta, in qua astrictus est nobis seruire. Et insuper prefatum Marconem et suos legittimos successores, liberamus ab omnibus judicibus, quocunque iure et nomine censeantur, nostre terre Cuyauie, ut nullas (sic) alias, nisi coram nobis vel nostris capitaneis respondere tenetur (sic), et hoc per nostrum anulum vel nostri Capitanei euocatus seu citatus extiterit. Deinde prefixo Marconi et suis legittimis successoribus in borra nostra *Cowaliensi* damus ligna et edificia omnia pr osuis necessitatibus scindere et seccare (sic) libere, sine omni impedimento et quiete. Posthoc pretacto Marconi et suis successoribus legittimis in predicta scultecia, siue circa villam vel hereditatem predictam, etiam damus aues capere et lepores venari cum proprijs retibus et canibus. Quam quidem sculteciam prenominatus Marcus et sui successores legittimi (?) habendam, tenendam, possidendam, vendendam, commutandam, prout sibi et suis successoribus legittimis (²) jure (sic) hereditario in meliores usus seu fructus conuertendam. In cuius etc. Actum et datum in *Bresczie*, in octaua beati Martini confessoris gloriosi atque pontificis, sub anno domini 1346. Presentibus his testibus, nobilibus viris et dominis: Neherza palatino Sandomiriensi, Alberto palatino Cuiauiensi, Pascone castellano Brzestensi, Dobeslao

(²) Librarii incuria plures voces hujus periodi sunt omissae, ideoque totius periodi constructio claudicat.

castellano Cruschuiciensi, Oswaldo castellano Juniwladislauiensi, *Jectore* judice Cuiauiensi, et alijs fide dignis. Per manus Johannis vicecancellarij nostre curie.

CCLXXIX.

Brestiae, anno 1347 die 14 mensis Decembris.

Casimirus Rex Poloniae villae *Smilowice* jus teutonicum magdeburgense largitur, ejusdemque villae scultetiam cuidam Tilconi civi Brestensi 60 marcis vendit (1).

In nomine domini, amen. Quod magnifica regum magestas facere decreuit, debet esse firmum et stabile, roburque perpetue firmitatis obtinere. Proinde nos Kazimirus, dei gracia Rex Polonie, notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris, hanc literam inspecturis: Quod cupientes villas nostri Regni meliorare et vberius locare, villam nostram dictam *Smilouicze* (2) de iure polonico in ius theutonicum, quod Maydburgense dicitur, quo ciuitas Brestensis est locata, transferentes perpetuo duraturum, vendidimus sculteciam in eadem villa discreto viro Tilconi, filio Johannis dicti Ornandi, ciui de *Brest* suisque legittimis successoribus, jure hereditario in perpetuum et inretractabiliter pro sexaginta marcis monete currentis in terra Cuyauiensi tenendam, habendam, donandam, commutandam cum omnibus utilitatibus ad ipsam sculteciam pertinentibus pro sua et suorum posterorum voluntate conuertendam. Racione cuius scultecie damus predicto Tilconi et ipsius posteris perpetuo quatuor mansos liberos, predicto iure theutonico mensuratos, quatuor ortos sitos in eisdem mansis, locum seu aream pro domo locanda ipsius sculteti et ad sculteciam pertinentem, circa molendinum nostrum, intrando villam de *Brest* a dextera, tabernam liberam, fabrum, carnificem, sutorem; ea licitum sit sibi locare in media villa. Molendinum libe-

(1) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nro 598 descriptum. Funiculo filis sericis coloris viridis et rubri torto, appensum est sigillum maximae formae vulgo *maiestaticum* dictum, exhibens regem tribunali insidentem, dextra sceptrum sinistra vero manu globum tenentem. In ambitu sigilli legitur inscriptio: „† *kazimirus. di. gra. rex. polonie. cracouie. sadom. sirad . . . . cuyau. po. . . . . aie.?*"

(2) Hodie *Smilowice* villa territorii Cuiaviensis, regionis Kowaliensis.

rum cum piscina infra piscinam et molendinum nostrum. Eciam damus sibi et sue posteritati tercium denarium de judicio, duobus duntaxat pro nobis reseruatis. Excipimus tamen, quod dictus scultetus et sui posteri debent nobis et nostris successoribus seruire ad expedicionem cum uno hastario in equo valenti sex marcas vsualis monete in terra Cuyauiensi, et omnia facere iura secundum quod ipsum Theutonicum, quo Ciuitas Brestensis est locata, jus requirit. Preterea ut eo cicius predicta villa locaretur (sic), omnibus et singulis kmethonibus predicte ville a data presenti ad decem annos damus et concedimus omnimodam libertatem: qua elapsa, extunc kmethones predicti de quolibet manso, semper in festo beati Martini, nobis et posteris nostris pro censu et decima ac totali solucione per decem et octo scotos currentis monete in terra Cuyauiensi soluent. In causis criminalibus, puta: furti, et in alijs quibuscunque infra limites ipsius hereditatis, judicandi, condempnandi iuxta ipsum jus theutonicum et puniendi sculteto, qui pro tempore fuerit, damus omnimodam facultatem. Ceterum predictum Tilconem scultetum, posteritatemque suam perpetuo, ac kmethones dicte ville absoluimus et liberamus ab omnibus juribus polonicalibus, judicijsque ac jurisdicionibus quibuscunque, quorumcunque castellanorum, palatinorum, ministerialium quoque ipsorum; ita, quod coram ipsis vel ipsorum aliquo ipse scultetus vel kmethones citati, minime teneantur respondere, nisi coram nobis vel nostro Capitaneo scultetus, qui pro tempore fuerit, jure quo supra, kmethones vero coram sculteto iam dicte ville tenebuntur respondere. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum duximus presentibus appendendum. Data in *Brest*, in crastino beate Lucie, anno domini M° CCC° XL° septimo. Presentibus hijs testibus: Jarando Capitaneo Syradiensi, Chebda Castellano Brestensi, Sencziuogio agazone, Pribcone subagazone, Vilczcone Sandomiriensi et Dobeslao Cracouiensi subdapiferis et alijs multis.

CCLXXX.

Brestiae, anno 1348.

Limites inter villam *Kurowo* nec non villas *Gumowo* et *Baruchowo* constituuntur (1).

Nos Wincencius, Judex Cuyauiensis, uniuersis et singulis, quorum audiencie scriptum presens fuerit recitatum, protestando publice profitemur: Quod honorabilis vir Dominus Preczslaus Gneznensis Archidiaconus, in domini nostri Regis Polonie, et nostra, ac baronum infrascriptorum, presencia, ex parte sanctimonialium Beate Marie Magdalene apud *Ploczk*, ordinis Premonstratensis, procuratorio nomine personaliter constitutus, cum Msczigneo, herede de *Baruchowo*, super limitibus inter hereditates infrascriptas, *Curowo* videlicet ad eundem conuentum pertinentem, parte ex una, et *Gumowo* ac *Baruchowo* (2) predicto, villis dicti Msczignei, parte ex altera faciendis, iudicialiter contendit. Cum igitur termini super idipso (sic), ad comparendum coram nobis eisdem per nos fuerant asignati: prefato domino Archidiacono, durantibus terminis eisdem, plures iniurie ex parte dicti Msczignej fuere illata (sic), causis ex pluribus, et precipue ex eo, quod filius suus Jacobus familiares domini Archidiaconi presumptuose verberauit. Nos itaque visis iniurijs eisdem et diligenter consideratis, de mandato domini nostri Regis prenarrati, et de consilio prematuro Baronum nobis tunc assistencium, adiudicauimus difinitiue pronunciando: Quod ubicumque prelibatus Dominus Archidiaconus, ad faciendas granicias inter hereditates prescriptas, equo suo personalem transitum fecisset, ibi granicie perpetuo durature, per nos una cum Ministeriali, nomine Barczich, debuerunt (sic) asignari (sic). Captata ergo opurtunitate (sic), visoque transitu domini Archidyaconi supradicti, granicias inter hereditates prenotatas, ad mandatum pretacti domini regis, cum prefato Ministeriali signauimus perpetuis temporibus duraturas: pretacto Msczigneo super eisdem limitibus denuo repetendis perpetuum silen-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislaviensis. Sigillum appensum taeniola pergamena exhibet in medio sui scutum triangulare, in transversum cujus efficta est zona sive cingulum cum tribus rosis. Inscriptio in ambitu haec: „*†. s. vincencii iudicis.*"

(2) *Kurowo* et *Baruchowo* villae provinciae Masoviensis, territorii Cujaviensis, regionis Kowaliensis; *Gumowo* autem non occurrit in propinquo earundem villarum.

cium inponentes. In quorum testimonium et euidenciam pleniorem, presentem literam scribi fecimus, et nostri sigilli munimine roborari. Actum et datum in *Brest*, sub anno domini M° CCC° XLVIII°. Presentibus hijs testibus: Alberto palatino brestense (sic), Jarando capitaneo siradiensi, Chebda castellano brestensi, Mathia castellano bitgoscensi, Dobeslao vexxillifero (sic) brestensi, Socziwuyo subiudice brestensi, et alijs pluribus fide dignis.

CCLXXXI.

Raciensi, anno 1348 die 19 mensis Februarii.

Mathias Episcopus Wladislauiensis scultetiam villae *Brzezno* cuidam Cletusio, civi Raciązensi, sexaginta marcis monetae thorunensis vendit (1).

In nomine domini, amen. Ne ea, que aguntur in tempore, per lapsum temporis a memoria dilabantur; scripturarum testimonio perhennari consueuerunt. Inde est, quod nos Mathias, diuina et apostolice sedis gracia ecclesie wladislauiensis episcopus, notum facimus uniuersis presentes literas inspecturis: Quod cupientes, ut villa seu hereditas nostra et ecclesie nostre, *Brzesno* wlgariter dicta, in districtu Raczensi (sic) situata, jure maydeburgensi locata, prout in terra Culmensi tenetur, sub regimine sculteti utilius gubernetur, sculteciam eiusdem ville, cum tribus mansis a censu tantum, sed non decima liberis, prouido viro Cletusio, ciui nostro de *Raczans*, de consensu capituli nostri wladislauiensis vendidimus pro LX marcis numeri et monete thorunensium, per eum et suos heredes ac successores iure hereditario perpetuo possidendam. Ordinamus autem, quod omnes causas paruas et magnas, ciuiles et criminales, infra terminos dicte hereditatis nostre contingentes, ipse scultetus et sui successores, presente nostro et nostrorum successorum nunccio generali vel speciali, iudicabit. De iudicatis nos et nostri successores duos denarios et medietatem taberne, et scultetus ipse cum suis posteris tercium et similiter medietatem taberne recipiemus.

(1) Ex transsumpto membranaceo anni 1398, in tabulario capituli Wladislaviensis asseruato. Transsumptum ipsum inferius ad annum 1398 est insertum, ubi etiam sigilla eidem appensa describuntur.

Villani vero eiusdem ville decimam frumenti eodem? manipulatim in campo, nobis et nostris successoribus assignare, et dimidiam marcam denariorum monete usualis, cum duobus pullis, racione census, in festo beati Martini, de quolibet manso solubili singulis annis soluere, tres quoque dies ad yemalia et unum ad estiualia arare perpetuo tenebuntur. Quem censum scultetus ipse et sui posteri exigent et colligent, nobisque ac nostris successoribus integraliter presentabunt. Statuimus eciam, quod ipse scultetus et sui successores, villanique seu incole in ipsa villa, ex speciali pacto, personaliter debeant residere. Et si quisquam hoc ex ipsis facere contempneret et alibi resideret, eo ipso scultetus scultecia, (villanus) manso et quidquid ibi aliud mobilis (sic) habebit, omnimode sint priuati. Preterea volumus, quod nullus villanus plus, quam duos mansos in ibi debeat obtinere; quodque scultetus ipse et sui successores sculteciam unquam, in parte vel in toto, nulli vendere, donare, obligare aut aliquomodo alienare ualeant, sine nostro et successorum nostrorum consensu et voluntate. Et si nos vel nostri successores aduersus eundem scultetum vel suos posteros aliquid agere vel querulari haberemus, scultetus ipse et sui posteri in villa ibidem coram nostro iudice, quem ad hoc ponemus, jure predicto maydeburgensi respondebunt. In tribus vero generalibus iudicijs, quolibet anno faciendis, procuratorem nostrum vel alium nunccium (sic), quem ad hoc mittemus, recipient, et sibi cum famulis suis expensas communitus ministrabunt. Preterea lacum ibidem, qui *Scrinka* wlgariter dicitur, pro nobis et nostris successoribus specialiter reseruamus, in quo sine nostra et nostrorum successorum licencia, nulli penitus piscari licebit. Alium vero lacum, inter mansos sculteti et kmethonum iacentem, ipsi sculteto et eisdem kmethonibus donauimus ita, quod scultetus in cymba reti poterit piscari; alij vero kmethones, quorum mansos idem lacus contingit, vadando reti aut hamo piscabuntur. Insuper scultetus ipse cum suis posteris, ac incole ville eiusdem, nobis et nostris successoribus honores, peticiones et seruicia, iuxta terre conswetudinem et juris Maydeburgensis, exhibere tenebuntur. In cuius rei testimonium, presentes literas sibi dari fecimus, nostro et capituli nostri sigillorum munimine roboratas. Actum et datum *Raczans*, XII ([2]) kalendas

([2]) Anno vulgari XII kalendas Martii est 18 Februarii, sed quum annus 1348 sit intercalaris, ideo posuimus 19 diem Februarii.

Marcij, anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo octauo. Presentibus honorabilibus viris, dominis: Sbyluto preposito plocensi decretorum doctore, Throyano archidyacono, Borislao cantore, wladislauiensibus; Johanne preposito, Sbyluto archidyacono, Sandziuoyo cantore, Sandziuoyo custode, cruschwiciensibus, et canonicis ecclesiarum, cum ceteris fide dignis.

CCLXXXII.

Lanciciae, anno 1348 die 24 mensis Junii.

Jaroslaus Archiepiscopus Gnesnensis superarbiter inter Vladislaum ducem Lanciciensis et Dobrinensis Terrarum et Clementem Episcopum Plocensem, villas *Rui, Trambino* et alias Episcopo Plocensi adjudicat.

Vid. T. I. h. C. p. 197. Nro CXIV.

CCLXXXIII.

Brestiae, anno 1349 die 24 mensis Martii.

Particula haereditatis *Osniszewo*, de cujus dominio contentio erat inter Ubislaum haeredem de Dambrowa, et Mathiam Episcopum Wladislauiensem, huic posteriori adjudicatur (1).

Nos Vincencius, judex brestensis, notum facimus uniuersis presentes litteras inspecturis: Quod veniens ad nos, in iudicio domini Regis Polonie, discretus vir Hubislaus, heres de *Dambrowa*, recepto a nobis ministeriali, venerabilem in Christo patrem dominum Mathiam, wladislauiensis ecclesie episcopum, ad nostram presenciam et ad iudicium domini predicti Regis citauit. Quo citato pro quadam parte hereditatis *Oszniszovo* dicta (2), predictus dominus episcopus et Hubislaus iam dictus in termino eis prefixo personaliter comparuerunt, et in causa ipsorum processerunt. Predictus

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti superest tantum taeniola pergamena.

(2) *Osniszewo* villa territorii Bydgostiensis, regionis Juniwladislauiensis.

vero Hubislaus dominum episcopum iam dictum inpetebat coram nobis querulando, asserens iam dictam partem hereditatis suum verum patrimonium esse, quod eciam vellet testibus autenticis approbare. Quibus conscriptis contra dominum episcopum predictum et suum capitulum, minime probauit, nec in termino sibi peremptorio (sic) prefixo cum eisdem testibus, non comparuit, nec parere curauit, nec accionem ceptam approbauit. Nos vero habito consilio fratrum nostrorum, et assessorum iudicio predicto (sic), salubri, predictam partem hereditatis in *Oszniszczewo* (sic) domino episcopo ecclesie predicte et suis successoribus tercia feria proxima post dominicam Letare iure hereditario seu perpetuo adiudicauimus tenendam ac possidendam, Hubislao sepedicto et suis posteris silencium perpetuum inponentes, ut de cetero nullam super eandem partem et suis posteris mouere debeant accionem. Et ne super hoc alicui dubium oriatur, presentes litteras fecimus sigillo nostro roborari. Datum in *Brest,* anno domini millesimo CCC° quadragesimo nono. Presentibus honorabilibus viris baronibus: domino Chebda castellano, Pretpelkone fratre subpincerna, brestensibus; Dobeslao castellano covaliensi, Sandywoyo subiudice brestensi, Nemerza de *Przjueczerzino,* Virzchoslao eciam de *Przjueczerzino* (3), et alijs quam plurimis fide dignis.

(3) *Przywieczerzyn* villa territorii Cujaviensis, regionis Radziejoviensis.

CCLXXXIV.

In oppido Bobrowniki, anno 1349 d. 15 men. Aprilis.

Wladislaus Lancicienais et Dobrinensis Dux oppido Lipno jus teutonicum Culmense confert.

Gawareccii. „*Przywileje i t. d. nadane miastom Województwa Płockiego*" p. 108. Nro XVII.

CCLXXXV.

Ibidem, anno 1349 die 19 mensis Aprilis.

Wladislaus Dux Lanciciensis et Dobrinensis militi Nasironi mericam in Terra Dobrinensi sitam, una cum silva *Gorzechovo*, ipsius hereditati Żyrniki adjacenti, vendit.

Vid. Tom. I h. C. p. 201. Nro CXV.

CCLXXXVI.

Ibidem, anno 1349 die 3 mensis Maji.

Concordia inter Wladislaum Dobrinensem et Lanciciensem Ducem, atque monasterium ordinis Sepulchri Domini Rypinense de commutandis certis agris juxta idem oppidum sitis inita.

Nakielscii Miechovia p. 271.

CCLXXXVII.

Brestiae, anno 1349 die 25 mensis Augusti.

Vincentius Judex Brestensis attestatur limites inter villas *Witowo* et *Powolowice* constitutas esse (¹).

Nos Wincencius, judex brestensis, per presentes puplice (sic) profitemur: Quod venientes ad nostram et iudicio (sic) domini regis presenciam in crastino beati Bartholomei apostoli, venerabilis in Christo pater dominus Mathias, ecclesie wladislauiensis episcopus et Paulus dictus Slapa, heres de *Pouolouicze*, coram nobis confessi sunt granicias siue gades inter villam predicti episcopi et sue ecclesie wladislauiensis *Vitouo* (²) dictam, et inter *Po-*

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti superest nonnisi taeniola pergamena.

(²) *Witowo* villa territorii Cujaviensis, regionis Radziejoviensis, villa autem *Pouolouice*, neque in tabulis geographicis, nec in Indice locorum occurrit.

uolouice villam Pauli iam dicti et fratrum ipsius, vero et iusto modo esse limitatas; prout ab antiquo erant facte et limitate. Et ne super hoc alicui dubium oriatur, presentes literas sigillo nostro fecimus roborari, inponentes Paulo predicto et suis posteris perpetuum silencium per presentes. Actum et datum in *Brest*, anno domini millesimo CCC° quadragesimo nono. Presentibus strenuis et honorabilibus viris, dominis: Chebda castellano, Przetpelkone fratre suo subpincerna, brestensibus; Dobeslao castellano coualiensi, Sandywoyo subiudice brestensi, Virzchoslao, Nemerza heredibus de *Prziueczerzino* et alijs quam plurimis fide dignis.

CCLXXXVIII.

Brestiae, anno 1349 die 28 mensis Augusti.

Limites inter molendinum *Orla* dictum et villam *Glussyn* constituuntur (1).

Nos Wincencius, judex brestensis ad uniuersorum noticiam deducimus per presentes: Quod constituti coram nobis et iudicio domini Regis Polonie, quarto die post diem beati Bartholomei, in ciuitate *Brest*, venerabilis in Christo pater dominus Mathias, dei gracia ecclesie wladislauiensis episcopus, et Jacobus dictus Vitrzesk, heres de *Gluszina*, puplice (sic) confessi sunt profitentes: Quod granicie seu gades inter molendinum predicti domini episcopi et sue ecclesie *Orla* dictum, et *Gluszinam* (2), villam Jacobi prenotati, justo et vero modo sunt limitate. Que granicie seu termini inter predictum molendinum et villam ante dictam se sic extendunt. Juxta viam (parti)s sinistre, per quam itur de terra Cuyauie versus lac(um), qui *Malke* nuncupatur, circa quem lac(um) ultima granicies terminatur. Et quod eciam iam dictus Jacobus et sui posteri ad lacum predictum *Malke*, nec ad aquam molendini nullam habeant iuridicionem, nec ipsam aquam in nullo inpediant. Nec super predictas granicias prefatus Jacobus et sui posteri ulterius quoram (sic) aliquo

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum deest.
(2) *Glussyn*, villa territorii Cujaviensis, regionis Brestensis, sita circa lacum, cujus nomen in tabula geographica non est indicatum, qui tamen sine dubio *Malke* sive potius *Mialkie* vocabatur.

aliquam moueant questionem, et nos eciam eisdem silencium inponimus perpetuum per presentes. Et ne super hoc alicui dubium oriatur, presentes sigillo nostro litteras fecimus roborari. Actum in *Brest*, et datum anno domini millesimo CCC° quadragesimo nono. Presentibus strenuis et honorabilibus viris (dominis Chebda Castellano), fratre suo Przetpelk subpincerna, brestensibus; Do(be)slao castella(no Covaliensi), Zadone, Sandywoyo subiudice brestensi, Virzchoslao herede de (Prziveczerzino), et alijs quam plurimis fide dignis.

CCLXXXIX.

Raciensi, anno 1349 die 19 mensis Octobris.

Trojanus Archidiaconus Wladislauiensis cuidam Jacobo scultoto villam *Sodlkowo* colonis frequentandam confert (1).

In nomine domini, amén. Antiquorum decreuit prouisio, nec displicet ingenio modernorum, ut facta hominum perpetuitate indigencia per reddiuiuum literarum testimonio perhennentur. Inde est, quod nos Mathias, diuina et apostolice sedis gracia ecclesie wladislauiensis episcopus, una cum capitulo nostro wladislauiensi, cupientes, ut rei geste inter nos et capitulum nostrum wladislauiense, ac honorabilem virum dominum Troyanum, archidiaconum nostrum wladislauiensem ex una parte, et discretum virum Jacobum, scoltetum de *Sodlkowo* (2) ville capituli wladislauiensis ex altera, aput posteros memoria plenior habeatur, notum facimus uniuersis, presentes literas inspecturis: Quod honorabilis vir dominus Troyanus, archidiaconus wladislauiensis predictus, qui ex donacione capituli wladislauiensis predicti, villam pro nunc tenet eandem, intendens melioracioni bonorum ville predicte, de voluntate et consensu nostro, ac ca-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilla duo appensa sunt funiculis sericis, alterum funiculo coloris viridis et rosei, alterum funiculo coloris viridis. Utrumque sigillum valde laesum. In fine ambitus alterius sigilli legi possunt voces: „*vladislavien. ecce.*"

(2) Villa *Sodlkowo* sive, ut in externa tabulae parte scripta est, *Syodkowo*, in nullo locorum Jndice occurrit; nonne hic credenda est villa *Slodkowo*, territorii Calissiensis, regionis Wartensis.

pituli wladislauiensis predicti, scolteto predicto dictam villam *Sodlkowo* ad mansos paruuos (sic) flamingicos exposuit ad locandum sub ea, que sequitur, ordinacione. Primo siquidem predicto scolteto et suis posteris, racione locacionis, damus tres mansos in dicta villa, a censu tantum liberos, sed non a decima iure hereditario perpetuo pacifice possidendos. Incole vero ipsi, elapsis quatuor annis libertatis, a data presencium computandis, dicto Troyano et suis successoribus, qui pro tempore villam tenebunt eandem, singulis annis in festo purificacionis beate Marie virginis gloriose, racione census, octo scotos monethe et numeri Thorunensis, et duos pullos de quolibet manso soluere, et decimam manipulatim in campo suo tempore ei, cui debetur, preter decimam lini, pro qua soluent viginti denarios usuales, de aratro perpetuo assignare tenebuntur. Quem censum scoltetus ipse cum suis posteris exigent, et colliget (sic) et eidem domino Troyano et suis successoribus integraliter presentabit. Judicabit autem scoltetus ipse cum suis posteris omnes causas paruas et magnas, ciuiles et criminales, infra terminos dicte hereditatis contingentes jure meydburgensi, prout in terra Culmensi tenetur, presente nuncio dicti Troyani et suorum successorum, generali vel speciali. De iudicatis vero et de taberna, dictus Troyanus et sui successores duos denarios recipiet, et scoltetus ipse cum suis posteris tercium retinebit. Statuimus insuper, quod scoltetus ipse et sui posteri, villanique seu incole in ipsa villa, ex speciali pacto, personaliter debeant residere, et si quispiam ipsorum hoc contempneret, et in ipsa villa non resideret, scoltetus scoltecia, et villanus manso, et quidquid ibi aliud immobilis habebit, ipso facto seu jure omnimode sit priuatus. Quodque nullus villanus seu incola plus, quam duos mansos in ipsa villa debeat obtinere. Et quod eciam scoltetus ipse et sui posteri, scolteciam eandem nulli vendere, donare, obligare, permutare, aut quouis alio modo alienare in parte vel in toto valeant, preter nostram et nostrorum successorum, ac capituli wladislauiensis predicti, voluntatem et consensum. Preter hec, si dictum dominum Troyanum et suos successores aduersus eundem scoltetum et suos posteros aliquit (sic) agere vel querulari contingat, ipse coram dicti Troyani et suorum successorum judice, quem ad hoc posuerit ibidem in *Sodlkowo*, iure predicto Meyburgensi (sic) respondebit. Item villani seu incole ville prelibate, pro tribus prandijs in colloquijs generalibus, quolibet anno faciendis, pro porco,

vacca et agnellis, marcam cum fertone monethe predicte thorunensis, similiter in festo purificacionis, dicto Troyano et suis successoribus assignabunt, tribusque diebus ad yemalia et uno ad estiualia, annis singulis, dicto domino Troyano et suis successoribus arabunt, cum fuerint requisiti. Scoltetus insuper ipse et sui posteri ac incole ville ipsius honores, peticiones et seruicia, iuxta consuetudinem terre et juris meyburgensis, dicto Troyano et suis successoribus exhibebunt. In cuius rei testimonium, presentes literas sibi dari fecimus, nostro et capituli nostri wladislauiensis sigillorum munimine roboratas. Actum et datum *Raczens*, in crastino beati Luce ewangeliste, anno domini millesimo CCC° XL° nono. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Sbyluto preposito, Bogufalo scolastico, Borzislao cantore, Johanne custode et Nycolao canonico wladislauiensibus, Paulo, Verukone, Pribislao capelanis curie nostre, cum ceteris fide dignis.

CCXC.

Raciensi, anno 1349 die 24 mensis Octobris.

Mathias Episcopus Wladislauiensis decimam villae *Zbrachlin* commutat cum decima villae *Łęg* (1).

In nomine domini, amen. Sapientum decreuit auctoritas, ne ea, que in tempore aguntur, procedente tempore a memoria hominum elabuntur (sic), [ut] scripturarum testimonio, vel testium adminiculo perpetuo perhennentur, et memorie posteritatis inculcentur. Inde est, quod nos Mathias, diuina et apostolice sedis gracia ecclesie wladislauiensis episcopus, cupientes, ut rei geste inter nos ex una parte, et discretum virum Johannem, ecclesie rectorem de *Sbrachlino* (2), ad peticionem nobilis viri Co(mitis) Johannis: castellani Lanciciensis, nostri et ecclesie nostre amici et promotoris: de consensu capituli nostri wladislauiensis, decimam in ipsa villa *Sbrachlino*, ad nostram

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Duorum sigillorum, quae desiderantur, supersunt funiculi serici coloris rosei.

(2) *Zbrachlin* (holendry) villa territorii Cujaviensis, regionis Radziejoviensis.

episcopalem mensam pertinentem, pro decima ipsius plebani in *Lang*, villa nostra et ecclesie nostre(3), ita, quod ipse plebanus predictus et sui successores, nomine ecclesie sue predicte, ipsam decimam in *Sbrachlino* perpetuo habeat, teneat et possideat villa memorata (sic); nos vero et nostri successores decimam ipsam in *Lang*, tytulo commutacionis similiter habere, tenere et possidere perpetuo debeamus. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum, nec non capituli nostri wladislauiensis, presentibus sunt appensa. Datum *Raczens*, VIII° kalendas Novembris, anno domini millesimo CCC° XL° nono.

(3) Aliquid omissum esse videtur, veluti verbum: *commutauimus.*

CCXCI.

Brestiae, anno 1350 die 29 mensis Julii.

Reditus altaris ad cultum SS. Joannis Baptistae, Joannis Euangelistae et Andreae in ecclesia Wladislauiensi constructi, ex villa *Dobrzejewice* percipiendus assignatur (1).

In nomine domini, amen. Quia eo magnificencius et peramplius in sanctis suis deus, cuius ineffabilis altitudo prudencie nullis inclusa limitibus, nullisue terminis comprehensa, sonoris efertur (sic) preconijs, iubilosis extollitur euffonijs, quo in domo ipsius, quam sanctitudo decet, ministrorum numerus, qui quasi luminose ardentesque lucerne super candelabrum in domo fixe irradiant predicta, munificencie fidelium tytulo numerosius et latius fuerit augmentatus; hinc est, quod nos Mathias, diuina et apostolice sedis gracia ecclesie wladislauiensis episcopus, capitulo nostro wladislauiensi, solito more, conuocato, super hijs tractatu, consilio, requisicione et assensu ipsorum expresso, prehabitis deligenti (sic), tum attendentes, quod fauor multus cultui debetur diuino, tum volentes deuota et pia Johannis custodis nostri wladislauiensis desideria, fauore prosequi benigno, vendidimus una cum cap(itulo nost)ro wladislauiensi predicto, custodi nominato decem marcarum redditus monethe thorunensis: quam monetam si mutari contingat, pro qualibet

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Huic tabulae appensa erant duo sigilla, quae jam desiderantur, supersunt tantum funiculi serici viridis coloris.

marca thorunensi triginta sex grossi (boh)emicales solui debebunt: singulis annis perpetuo duraturos pro centum marcis thorunensibus. Quam pecuniam centum marcarum ex integro recipientes, de consilio dicti nostri wladislauiensis capituli, pro fabrica matricis nostre wladislauiensis ecclesie duximus conuertendam. Sepe autem dictos decem marcarum redditus perpetuos, pro donacione altaris in ecclesia wladislauiensi, constructi in honorem sanctorum Johannis baptiste, Johannis ewangeliste, et Andree apostoli principum terre gloriosorum, per prefatum Johannem custodem wladislauiensem deputatas (sic), in villa mense nostre episcopalis *Dobrzewicze* dicta, in districtu, qui *Crayna* dicitur wlgariter situata ([2]), percipi decernimus modo sub isto, quod dicte ville scoltetus, qui iudicio presidebit tunc temporis, vel si scoltetus (neg)ligens fuerit, officialis noster, qui *Woyski* wlgariter dicitur, hoc faciet anno reuoluto, die, quo census soluitur, prius colligat dictas decem marcas in censu ville pretacte . . . . . . aliquis denarius pro nobis nostrisque successoribus in ibidem percipiatur, et eas altariste, qui pro tempore fuerit, infra mensem a die, quo census soluitur, assignet. Et, quod absit, si aliqua vastitate hostili, seu quovis alio modo, dicte decem marce in nominata villa percipi non possint, ne ob defectum victualium dictum altare solito ministerio frustretur, tunc in *Malenino*, mense nostre villa, in Pomorania consistente, decem marce pretacte per scoltetum ville vel nostrum procuratorem modo colligantur predicto, et altariste presententur, qu(oad u)sque in *Dobrzewicze* integre percipi possint et complete. Statuentes et inuiolabiliter ordinantes, quod dictus custos, vite sue temporibus, personam sibi placitam, altari predicto preficiendam, nobis nostrisque successoribus presentabit. Ipso vero custode viam uniuerse carnis ingresso, capitulum wladislauiense presentabit altari prefato preficiendum, temporibus perpetuis, duntaxat aliquem de vicariorum wladislauiensium collegio, qui possit et velit singulis ebdomadis, per se vel alium, die dominico de sancta trinitate, vel de die, feria secunda pro defunctis, feria sexta pro peccatis dicti custodis,

([2]) *Dobrzejewice*, villa territorii et regionis Lipnensis, decanatus Bobrownicensis. De districtu *Crayna* siue potius *Craina* dicto M. Cromerus in opere suo „*De situ Polonie et gente Polona.*" ed. Colon. Agripp. M. D. LXXXIX. p. 482. haec scribit: „ad occidentem vergit Posnaniensis satrapia, Calissiensis contra ad ortum et septentrionem: qua parte sunt Paluci [Pałuki], *Craina*, et Cassubia tractus terrae non contemnendi."

ipso uiuente; eo autem mortuo, defunctorium pro anima ipsius, sabato de domina missas celebrare. Et quocienscumque aliquam missarum negligeret, vicarijs wladislauiensibus di(midium?) grossum bohemicalem vel equipolentem in usualibus denarijs numerum soluere tenebitur, ad hoc per abstraccionem prouentuum vicarie pro rata, per vicariorum procuratorem compellendus. Ut autem hec nostra vendicio altarisque pia et salubris pretacti dotacio perhenniter inuiolabilis perseueret, presentem paginam nostro wladislauiensisque capituli sigillis prouide duximus communiri. Actum et datum *Brest*, IIII° kalendas mensis Augusti, anno domini millesimo CCC° quinquagesimo. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Przedslao archidiacono gneznensi, Sbyluto plocensi, Troyano poznaniensi, Sbyluto wladislauiensi, prepositis; Bogufalo scolastico, Borzislao cantore wladislauiensibus et canonicis ecclesiarum cum ceteris fide dignis.

CCXCII.

Raciensi, anno 1351 die 27 mensis Januarii.

Joannes Canonicus Wladislauiensis villam *Siewiersk* cuidam Zelconi jure culmensi colonis frequentandam confert (1).

In nomine domini, amen. Antiquorum decreuit prouisio, nec displiceat ingenio modernorum, ut facta hominum perpetuitate indigencia litterarum testimonio perhennentur. Hinc est, quod nos Mathias, diuina et apostolice sedis prouidencia ecclesie wladislauiensis episcopus, una cum capitulo nostro wladislauiensi, cupientes, ut rei geste inter nos et capitulum nostrum wladislauiense predictum, et specialiter fratrem nostrum dominum Johannem, canonicum wladislauiensem, ex una parte, et discretum virum Zelconem ex altera, apud posteros memoria plenior habeatur, notum facimus uniuersis presentes litteras inspecturis: Quod honorabilis vir dominus Johannes, canonicus noster wladislauiensis prefatus, qui nomine prebende et canonicatus wladislauiensis parwm *Seuerzsczo*, *Popouice* alio nomine dictam

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Duorum sigillorum, quae jam desiderantur, supersunt funiculi serici coloris viridis.

villam ([2]) pronunc possedit, intendens melioracioni ville predicte, de uoluntate et consensu nostro et capituli wladislauiensis, prefatam villam *Seuerzsczo* prenotato Zelconi ad mansos flamingicos jure Meydburgensi, prout in terra culmensi tenetur, exposuit ad locandum pro certa quantitate pecunie, scolteciam sibi vendens in villa pretacta sub ea, que sequitur ordinacione. Primo siquidem reseruauit sibi pro dominio tres mansos et suis successoribus, et tres ortos, quartum ortum vero ad mansum spectantem, unum duntaxat, quemadmodum pro quolibet incolarum mansos tenencium exstat ordinatum. Dicti autem quatuor ortulani jure polonico coram domino Johanne prefato vel suo procuratore, ac eciam suis successoribus respondebunt. Reseruauit eciam sibi et suis successoribus unum pratum curie sue adiacens, quod protenditur penes fluuium et lacum de *Swantniky* ([3]), usque ad limites ville militalis, que *Seuersczo* (sic) wlgariter nuncupatur, extra dicte ville mensuram, quod quidem pratum incole ville predicte falcabunt, congregabunt et in orreum (sic) deducent ipsorum laboribus et expensis. Ortulani vero predicti sibi et suis successoribus modo polonico laborare sint astricti, qui ibidem in ortis predictis residebunt. Scolthetus vero et sui successores legittime descendentes, unum mansum liberum a censu et omni onere, sed non a decima perpetuo possidebunt. Et eciam ortum liberum extra mensuram possidebunt. Admisit eciam scolthetum predictum sibi in subsidium mansum unum solubilem obtinere. Gaudebunt incole memorati duorum annorum a data presencium (computando, omnimoda) libertate. Qua expirata, de manso quolibet solubili annis singulis, nobis et nostris successoribus, racione census, in festo beati Martini quindecim scotos monete Thorunensis soluere tenebuntur. Et decimam in campo manipulatim similiter assignabunt et suis veccionibus ad nostrum et nostrorum successorum orreum deducent. Racione vero decime tini, scotum de manso quolibet denariorum assignabunt. Quem censum scolthetus ipse et sui posteri exigent, et sibi suisque successoribus integraliter presentabunt. Pro tribus eciam prandijs trium magnorum judiciorum,

([2]) *Siewiersk* villa territorii Cujaviensis, regionis Kowalensis: est etiam villa *Popowice osada* ejusdem territorii, regionis Brestensis.

([3]) Villa *Siewiersk* sita est re vera ad lacum, in cujus ora occurrit villa *Świątniki* dicta.

in anno cadencium, pro porco et agnellis et ouis, sedecim scotos monete usualis in festo assumpcionis beate Marie annis singulis presentabunt. Judicabit autem scolthetus pretactus suis cum posteris omnes causas parwas et magnas, jure dicto Meydburgensi infra limites ville predicte emergentes. De judicatis vero dictus dominus Johannes duos denarios, et scolthetus tercium recipiet de eo, quod dominus pro pena duxerit acceptandum. Seruiet insuper dictus scolthetus domino Johanni suisque successoribus in equo iuxta consuetudinem terre et jus Meydburgense. Scolthetus eciam ipse et sui posteri ac incole ville ipsius in ipsa villa personaliter residebunt; non facientes, scolthetus scolthecia, et villanus manso careant ipso facto. Nullus eciam villanus plus, quam unum mansum ibidem obtinebit. Scolthetus eciam et sui posteri scolthetiam eandem nulli vendere, donare, obligare, vel quomodouis alienare, sine voluntate nostra et ipsius Johannis canonici et suorum successorum presumant. Tenebuntur incole predicti, quilibet ipsorum de manso quolibet, duodecim mensuras frumenti in antiquam Wladislauiam, vel in locum eque distantem suis ueccionibus et sumptibus deducere; et tres peticiones exaudire, annis singulis, sint astricti. Item scolthetus promisit nominatus, quod, si in (sic) inposterum plus, quam nowem mansi in hereditate predicta inuenirentur, quidquid ultra nouem mansos excresceret, domino appropriari deberet; si vero minus esset, quam nouem mansi, scolthetus et incole pro nouem mansis plenis et integris acceptabunt, quemadmodnm acceptarunt. In cuius rei testimonium, presentes literas sibi dari fecimus, nostro (sic) et capituli nostri wladyslauiensis sigillorum munimine roboratas. Datum *Raczens*, VI° kalendas mensis februarii, anno domini M^{mo} CCC^{mo} quinquagesimo primo. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Sbyluto preposito, Johanne decano, Bogufalo scolastico, Stanislao Archidyacono, Borzislao cantore, wladislauiensibus, et alijs fide dignis personis.

CCXCIII.

Raciensi, anno 1351 die 12 mensis Februarii.

Nicolaus Canonicus Wladislauiensis villam *Chominino* cuidam Adamo jure culmensi colonis frequentandam confert (1).

In nomine domini, amen. Humani generis acciones perpetua memoria indigentes, plerumque ab hominum memoria labuntur, que scripturarum testimonio non solidantur. Inde est, quod nos Mathias, diuina et apostolice sedis prouidencia ecclesie wladislauiensis episcopus, una cum capitulo nostro wladislauiensi, cupientes, ut rei geste inter nos et capitulum nostrum wladislauiense predictum, ex una parte, et discretum virum Adam de *Chominino*, ville prebende wladislauiensis ecclesie (2) ex altera, apud posteros memoria plenior habeatur; notum facimus uniuersis presentes literas inspecturis: Quod honorabilis vir dominus Nicolaus, canonicus noster wladislauiensis, qui nomine prebende et canonicatus villam pronunc tenet eandem, intendens melioracioni ville predicte, de uoluntate et consensu nostro ac capituli wladislauiensis, prefatam villam *Chominino* scoltheto prenotato, ad mansos flamingicos jure meydburgensi, prout in terra culmensi tenetur, exposuit ad locandum, sub ordinacione, ut inferius anotatur (sic). Primo siquidem segregatis tribus mansis predicto domino Nicolao et suis successoribus, scoltheto et suis posteris, racione locacionis, damus duos mansos et unum ortum et tabernam liberos a censu tantum, sed non a decima jure hereditario perpetuo pacifice possidendos (sic); incole vero ipsi, elapsis sex annis libertatis, a data presencium computandis, eidem domino Nicolao et suis successoribus, qui pro tempore fuerint, in festo beati Martini, racione census, decem scotos denariorum usualis monethe, et duos pullos de manso quolibet [dare tenebuntur?]; dabunt eciam predicto domino Nicolao et suis successoribus unum arietem singulis annis in festo assumpcionis beate Marie; sol-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum, quo vulgo capitulum Wladislauiense utebatur, appensum huic tabulae jam attritum.

(2) In aversa hujus tabulae parte villa haec scribitur *Chomlin*, in tabulis tamen geographicis nec *Chominino*, neque *Chomlin* occurrit.

uent insuper incole predicti de quolibet manso unam maldratam triplicis frumenti similiter in festo beati Martini, videlicet duas mensuras tritici, quatuor siliginis et sex auene, expirata sex annorum libertate. Quem censum et maldratas predictus scolthetus et sui posteri exigent et colligent, et eidem domino Nicolao et suis successoribus integraliter presentabunt. Ortulani, si qui fuerint, de orto quolibet fertonem denariorum monethe predicte, prefato domino Nicolao et suis successoribus in festo beati Martini similiter presentabunt cum pullis quatuor. Item incole iam dicti duas lastas frumenti in *antiquam Wladislauiam*, vel in *Brest*, suis sumptibus et expensis, ac utensilia seu expensas suas duobus curribus ad loca memorata singulis annis ad tria festa, videlicet natiuitatis Christi, Pasche et assumpcionis beate Marie, deducere tenebuntur. Tribus quoque diebus ad hyemalia, et uno ad estiualia arare perpetuo sint astricti. Judicabit autem scolthetus ipse, et sui posteri, omnes causas ciuiles et criminales, infra terminos eiusdem hereditatis contingentes, presente nuncio domini Nicolai et suorum successorum generali vel speciali. De judicatis vero dictus dominus Nicolaus et sui successores, duos denarios recipient, et scolthetus cum suis posteris tercium retinebit. Insuper incole ville iam dicte, porcum pro dimidia marca denariorum usualium ad natiuitatem Christi, duos agnellos, et per quinque oua de manso quolibet ad diem pasche, annis singulis, et prandijs tribus, scolthetus pro uno fertonem denariorum, et incole pro duobus dimidiam marcam, similiter annis singulis, ad colloquia generalia dandis in medio quadragesime, prefato domino Nicolao et suis successoribus perpetuo assignabunt. Scolthetus ipse et sui posteri ac incole ville ipsius, in eadem villa personaliter residebunt: non facientes, scolthetus scolthecia, et villanus mansis careant ipso facto. Nullus eciam villanus plus, quam unum mansum inibi debeat obtinere. Scolthetus eciam prefatus et sui posteri, scoltheciam eandem nulli vendere, donare, obligare, vel quomodouis alienare, sine voluntate nostra et canonici predicti et suorum successorum, in toto vel in parte, presumant. Et si ipsum dominum Nicolaum predictum et suos successores, de ipso scoltheto vel suis posteris aliquid agere vel querulari contingat, jure meydburgensi in curia iam dicti domini et suorum successorum ibidem in *Chominino* coram judice, quem ad hoc posuerit, respondebit. Preterea scolthetus ipse et sui posteri, ac incole ville ipsius, expirata libertate, ipsi domino Nicolao et suis

successoribus honores, iura, peticiones, seruicia iuxta consuetudinem terre et juris meydburgensis exhibebunt. In cuius rei testimonium, presentes literas sibi dari fecimus, nostro et capituli nostri wladislauiensis sigillorum munimine roboratas. Actum et datum *Raczens*, pridie ydus mensis Februarij, anno domini millesimo CCC^mo^ quinquagesimo primo. Presentibus honorabilibus viris, domino: Sbyluto preposito, Stanislao archidyacono, Borzislao cantore, Johanne custode, wladislauiensibus; Johanne preposito, Sandziwogio cantore, crusuiciensibus, et canonicis wladislauiensibus, cum ceteris fide dignis.

CCXCIV.

Rypini, anno 1351 die 15 mensis Julii.

Wladislaus Dobrinensis et Lancicienzis Dux libertates monasterii Sancti Sepulchri in oppido Rypin existentis confirmat.

Nakielscii Miechovia. p. 272.

CCXCV.

Brestiae, anno 1351 die 7 mensis Octobris.

In judicio, cui ipse Rex Casimirus praesidebat, villae *Wieniec* et *Somka*, de quarum dominio controversia orta erat, Episcopatui Wladislauiensi adjudicantur (¹).

In nomine domini, amen. Quoniam ea, que in presencia Regie maiestatis iudicio terminantur, non immerito scripturis autenticis et testimonio fide digno ad perpetuam memoriam debeant reuocari: igitur nouerint uniuersi presentes et posteri: quod, cum coram nobis Kazimiro, dei gracia Rege Polonie, in presencia venerabilis in Christo patris dominj Jaroslai, diuina

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti superest funiculus sericus coloris viridis et rosei. Quantum videre licet ex sacculo, cui sigillum insutum erat, forma ejusdem sigilli erat maxima.

prouidencia sancte gneznensis ecclesie archiepiscopi, et baronum nostrorum, palatinorum, castellanorum ac judicum in judicio presidencium, inter venerabilem in Christo patrem dominum Mathiam, episcopum wladislauiensem, nomine ecclesie sue wladislauiensis, mediante procuratore suo domino Borislao, cantore eiusdem ecclesie wladislauiensis ex una, ac Jacobum filium Vitalis quondam de *Balcowo*, nec non filium Myklonis, olim palatini Brestensis, videlicet Petrum gladiferum cuyauiensem parte ex altera, super villis et hereditatibus *Wynecz magnum* et *paruum* et *Sossnka* (²), materia questionis fuisset suscitata; partibus itaque hinc inde inter se in iudicio coram nobis agentibus, litigantibus et proponentibus, que et quantum inter se proponere et agere voluerunt: Nos auditis et consideratis diligenter, que inter se partes predicte proposuere, communicato consilio unanimj omnium baronum nostrorum, quorum nomina et dignitates inferius inseruntur, dei nomine inuocato, villas et hereditates prenotatas venerabili patrj domino Mathie, episcopo et ecclesie sue wladislauiensi predicte, per Mathiam judicem nostrum brestensem ac per ipsius sentenciam diffinitiuam adiudicari mandauimus per presentes, jure perpetuo tenendas et possidendas pacifice et quiete, prout idem dominus episcopus et sui predecessores a retroactis temporibus, cuius in contrarium memoria non existit, prelibatas villas et hereditates pleno iure et dominio possederunt: predictis nichilominus Jacobo et Petro et eorum posteris, super villis et hereditatibus prenotatis perpetuum silencium imponentes. Volentes insuper domino episcopo et ecclesie Wladislauiensi annotate, zelo deuocionis inducti, graciam facere ampliorem, predictas villas, videlicet *Wynecz magnum* et *paruum*, ac *Sossnkam* eo jure et libertate, quibus alie ville eiusdem domini episcopi et ecclesie wladislauiensis, noue vel antique, utuntur atque gaudent, perpetuis temporibus frui volumus et gaudere. Et ut hec sentencia et gracia nostra, rite et racionabiliter per nostrum judicem predictum promulgata, robur firmitatis obtineat, presentes literas sigilli nostrj munimine fecimus roborari. Actum et datum in *Bresth*, sexta feria proxima post diem sancti Franciscj confessoris, anno domini millesimo CCC quinquagesimo primo. Presentibus hijs

(²) *Wieniec*, villa haud procul ab urbe Brestia sita, ibidem et villam *Sosnka* fuisse oportet, quae tamen hodie nullibi apparet.

testibus: venerabili in Christo patre domino Jaroslao archiepiscopo gneznensi suprascripto, Vincencio palatino, Chebda castellano, Mathia judice, Sandywogio subiudice, brestensibus; Preczslao Polonie, Predborio Cuyauie, capitaneis; Dobeslao castellano crusficiensi, Dobeslao judice kalisiensi, et alijs pluribus fide dignis.

CCXCVI.

Raciensi, anno 1351 die 14 mensis Decembris.

Mathias Episcopus Wladislauiensis villam *Lubotina* cuidam Petro dicto Slunisco scolteto jure culmensi colonis frequentandam confert (1).

In nomine domini, amen. Antiquorum decreuit prouisio, nec displicet ingenio modernorum, ut facta hominum perpetuitate indigencia per reddiuiuum (sic) literarum testimonio perhennentur. Inde est, quod nos Mathias, diuina et apostolice sedis gracia ecclesie wladislauiensis episcopus, cupientes, ut rei geste inter nos ex una parte, et discretum virum Petrum dictum Slunisco scoltetum nostrum de *Lubotina*, ville nostre (sic) et ecclesie nostre parte ex altera, apud posteros memoria plenior habeatur, notum facimus uniuersis presentes literas inspecturis: quod intendentes melioracioni bonorum ecclesie nostre predicte, ut ex eis, auctore domino, fructus uberior valeat prouenire; de voluntate et consensu capituli nostri wladislauiensis, prefatam uillam nostram *Lubotina* ad mansos flamingicos exposuimus ad locandum jure Meydburgensi, prout in terra culmensi tenetur, sub ea, que sequitur ordinacione. Primo, scolteto ipsi cum suis posteris, racione locacionis, damus duos mansos a censu tantum et a decima lini liberos, jure hereditario perpetuo pacifice possidendos, sed non a decima, prout alij incole ville eiusdem in campo nobis et nostris successoribus manipulatim assignabunt. Incole vero ipsi, elapsis quatuor annis, a data presencium computando, nobis et nostris successoribus, singulis annis in festo purificacionis

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Duo erant appensa huic tabulae sigilla, quae cum suis retinaculis jam desiderantur.

beate Marie virginis gloriose, racione census, octo scotos monete usualis, et duos pullos et decimam in campo manipulatim, jure perpetuo dare tenebuntur. Quem censum ipse scoltetus et sui posteri exigent et colligent, et nobis ac nostris successoribus integraliter presentabunt. Judicabit autem scoltetus noster predictus et posteri ipsius omnes causas penas(sic) et magnas, ciuiles et criminales, jure predicto meydburgensi, infra terminos predicte hereditatis nostre contingentes, presente nostro nuncio generali uel speciali. De iudicatis vero et de thaberna, nos et nostri successores duos denarios, et scoltetus suis cum posteris tercium recipient. De incultis vero agris, scoltetus ipse cum suis incolis a prestacione decime quatuor annorum gaudebunt omnimoda libertate. Qua exspirata, soluent decimam, prout (²) alijs agris et de cultis. Insuper incole ipsi pro duobus prandijs colloquij generalis, annis singulis dandis, et pro porco et agnellis, marcam et fertonem denariorum monete usualis in festo beati Martini, nobis et nostris successoribus assignabunt. Scoltetus vero predictus cum suis posteris tercium, annis singulis nostro procuratori uel nuncio speciali metquarto, facere tenebuntur. Concedimus eciam scolteto predicto et suis posteris in lacu nostro ibidem piscari duobus gulgustribus et duobus retibus paruis, qui *wanczerze* wlgariter nuncupantur. Nullus eciam in ibi plus, quam duos mansos debeat obtinere. Ceterum volumus eciam, quod ipse scoltetus et sui posteri, ac incole ville nostre memorate, personaliter ibidem debeant residere. Non facientes vero id ipsum, sint bonis ipsorum tam mobilium (sic), quam immobilium (sic), ibidem optinencium (sic) ipso facto sint (sic) priuati. Scoltetus vero iam dictus et sui posteri eandem scolteciam nulli vendere seu obligare in toto, uel in parte audeant, sine nostra et nostrorum successorum voluntate. Soluet insuper scoltetus pretactus cum suis incolis, ibidem ecclesie rectori, de quolibet manso in festo sancti Martini missales annonas, videlicet dimidiam mensuram siliginis, et dimidiam auene. Et si nos uel nostros successores aduersus eundem scoltetum, uel suos successores, aliquid agere contingat, scoltetus ipse et sui posteri coram nostro iudicio ibidem in *Lubotina*, iure Meydburgensi predicto, tenebuntur respondere. Admittimus eciam predictum scoltetum, de gracia nostra speciali, ut oues suas, si quas ha-

(²) Hoc loco vox *de* vel *ex* omissa esse videtur.

bere poterit, pascat sine omni dampno ac incolarum ville eiusdem. Volumus insuper, quod incole ville nostre memorate, racione decime lini, nobis et nostris successoribus de quolibet manso viginti denarios assignabunt. Et si nos uel nostros successores villam predictam intrare contingat, omnia nostra utensilia ad villam nostram viciniorem suis curribus et veccionibus deducent. Preterea volumus eciam, ut scoltetus predictus et sui posteri ac incole ville memorate nobis et nostris successoribus honores, peticiones, jura et seruicia iuxta terre consuetudinem et iuris Meydburgensis exhibere tenebuntur (sic). Addimus insuper scolteto iam dicto et suis posteris unum pratum prope Wzos (3), et cum agris ibidem paucis. Tribus eciam diebus ad yemmalia et uno ad estiualia nobis et nostris successoribus arare perpetuo tenebuntur. In cuius rei testimonium, sigillo nostro et capituli nostri wladislauiensis presentes fecimus roborari. Actum et datum *Raczens*, in crastino sancte Lucie virginis, anno domini M° C° C° C° quinquagesimo primo. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Sbiluto preposito, Johanne decano, Bogufalo scolastico, Stanislao archidiacono, Borzislao cantore, Johanne custode, wladislauiensibus, et alijs plurimis fide dignis.

(3) *Wzos* forsitan villa *Wrzęca mala i wielka, (major et minor)*, ejusdem ac *Lubotyń* territorii et regionis.

CCXCVII.

In villa Szarlej, anno 1353 d. 24 men. Aprilis.

Wladislaus Dux Cujaviensis et Dominus Gniewkoviensis virginibus sacris Plocensibus ordinis praemonstratensis villam ipsarum *Ostrowqs*, **jure magdeburgensi colonis frequentandi concedit facultatem** (1).

In nomine domini, amen. Quoniam que in tempore geruntur, in tempore labi solent, ideo necesse est, ut res digna memorie (sic) et scripto

(1) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nro 1106 descriptum. Sigillum deest.

confirmetur, quo canescens antiquitas sepius valeat renouari. Hinc est, quot (sic) nos Wladislaus, dei gracia dux Cuyauie et dominus Gnevkoviensis, diuine relacionis misericordia tactus, ob respectumque peticionis strenui militis domini Moscicij, pallatini Gnevkouiensis nostri fidelis, aclinatus (sic) insuper supplicacionibus venerabilis viri domini Jacobi, prepositi Monasterij Plocensis, una cum Grimilda magistra et sororibus sui conuentus, deo deuotis virginibus, ob nostre anime salutem et nostrorum omnium predecessorum, parentum et successorum, iam dicto Jacobo preposito et Grimilde magistre, una cum sororibus tocius sui conuentus, ordinis premonstratensis, de mera uoluntate nostra et nostrorum baronum de consensu, concessimus et indulsimus villam ipsorum *Ostrouans* wlgariter nuncupatam (²), in Jus Theutonicum seu Meyborgense locandam et ad usus suos uberiores conuertendam; dantes Sculteto eiusdem ville omnes causas tam magnas, quam paruas, que inter incolas predicte ville contingunt, iure Theutonico iudicandi, et penas, que hijsdem iudicijs contingunt, percipiendi plenam ac perhennem facultatem. Ceterum sepedicta villa *Ostrouans* nobis et nostris successoribus singulis annis, racione nostrorum Jurium ducalium, videlicet *godne, pecarne, crovne et valne*, et aliorum quorumcumque tres marcas die beati Martini soluere teneatur. Preterea volumus eciam, ut uniuersalem terre collectam, que *poradlne* nunccupatur (sic), nobis et nostris successoribus soluat, sicut alie ville nostrorum (sic) et Baronum tenentur nostri dominii in districtu. Absoluimus eciam et liberamus agros et kmethones, qui ecclesie supradicte ville *Ostrouans* contingunt, ab omnibus solucionibus supra nominatis. Ut autem hec nostra solempnis concessio et indulsio inviolabilis perseueret, presentes scribi et nostri sigilli munimine iussimus roborari. Presentibus hijs testibus, subditibus (sic) nostris subnotatis: Comite Moscicio pallatino Gnevkouiensi suprascripto, Thoma iudice, Pribislao vexillifero, Stanislao subcamerario, Gnevkoviensibus; Martino castellano Slonensi, domino Petro nostre curie capellano, et alijs quam plurimis fide dignis. Actum et datum in *Szarlej* (³), per manus Pauli nostri Notarij, sub anno domini M° CCC° quinquagesimo tercio, in die beati Georgij militis Christi et martiris gloriosi.

(²) *Ostrowąs* villa territorii Cujaviensis, regionis Radziejoviensis.
(³) *Szarlej* villa territorii Bydgostiensis, regionis vero Juniwladislaviensis.

CCXCVIII.

Brestiae, anno 1354 die 20 men. Septembris.

Particulae villae *Pouolowice* dominium Episcopatui Wladislauiensi adjudicatur (¹).

Nos Stanislaus iudex Brestensis publice protestamur et per presentes profitemur: Quod, cum inter wenerabilem in Christo patrem dominum Mathiam, diuina et apostolice sedis prouidencia eclesie (sic) wladislauiensis episcopum, et capitulum suum wladislauiense ex una, et Barthconem quondam Alexij, ac Wangerconem Stephani filios, heredes de *Pouolouicze* parte ex altera, super quadam parte hereditatis (*Po*)*uolouicze* coniuncte *Wythowo* hereditati ecclesie predicte wladislauiensis, coram iudicio serenissimi ac illustris principis domini Kazimiri, dei gracia incliti regis nostri Polonie, nobis iudicio dicto presidentibus, materia questionis diucius verteretur, tandem partibus hinc inde litigantibus, taliter per nos in conspectu domini nostri Regis predicti, ac baronum infrascriptorum de consilio, equitate suadente, extitit diffinitum. Quod dicto domino episcopo wladislauiensi cum suo capitulo wladislauiensi, prefatam partem hereditatis *Pouolouicze* prelibate, adiudicauimus et adiudicamus perpetuo possidendam pacifice et quiete; supradictis heredibus ac eorum successoribus super proprietate, et quavis accione, seu litis contestacione, perpetuum silencium inponentes. Et, ne cuiquam super hoc inposterum aliquod dubium oriatur, presentes literas fieri iussimus, nostri sigilli munimine roboratas. Actum et datum in *Brest*, in vigilia beati Mathei apostoli et ewangeliste, anno domini millesimo CCC° LIIII°. Presentibus nobilibus et discretis viris, dominis: Wyncencio palatino, Chebda castellano, Jacobo vexillifero, Sandyuogio subiudice, Brestensibus; Dobeslao castellano Crusuiciensi, cum ceteris baronibus fide dignis.

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum deest.

CCXCIX.

Lanciciae, anno 1355 die 5 men. Januarii.

Joannes Castellanus Lanciciensis innixus priuilegiis, villam *Siedlce* Episcopatus Wladislauiensis propriam ab omni judicio castellaniae immunem esse vult (1).

Nouerint uniuersi presentes literas inspecturi: Quod nos Johannes castellanus Lanciciensis, visis priuilegijs et iuribus ac libertatibus domini episcopi et ecclesie sue wladislauiensis super villa sua *Sedlczě* wlgariter nuncupata, sita in terra lanciciensi, eandem villam *Sedlcze* ab omni iuridicione, iudicio ac impeticione castellanie castri lanciciensis, pena seu penis capitalibus, siue ipsi alium occidant, siue eorum aliquis per alium extraneum, uel inter se ipsos ipsimet mutuo occidant, seu eciam occidantur, facimus liberam et exemptam in hijs scriptis. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum in *Lancicia*, in vigilia Epiphanie domini, anno domini millesimo CCC°L°V°.

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum appensum taeniola pergamena exhibet scutum triangulare, in cujus medio insigne Doliwa dictum cernitur. Ex inscriptione nonnisi vox „*ioannis*" legi potest.

CCC.

Raciensi, anno 1355 die 26 mensis Julii.

Mathias Episcopus Cujaviensis sacra ossa sive reliquias in duobus ecclesiae S. Mariae monasterii Olivensis altaribus asseruatas consecrando, omnibus ante eadem altaria piacula quadraginta dierum facientibus dat veniam delictorum integram.

Leop. v. Ledebur „Neues Allg. Archiv. für die Geschichte Preuss." T. II. p. 324.

CCCI.

In villa Szarlej, anno 1355 die 11 mensis Octobris.

Wladislaus Dux Cujaviae scultetiam in villa *Ostrowąż* sitam, cuidam Nicolao collatam, ab omnibus solutionibus liberam facit.

T. I h. C. p. 211 N^ro^ CXX.

CCCII.

Brestiae, anno 1356 die 11 mensis Januarii.

Dominium quorundam agrorum inter villas *Witowo* et *Powolowice* sitorum Episcopo Wladislauiensi adjudicatur (1).

Nos Stanislaus Judex Brestensis publice protestamur et per presentes profitemur: Quod, cum inter venerabilem in Christo patrem dominum Mathiam, episcopum wladislauiensem et suum capitulum ex una, et discretos viros Jacobum dictum Gambkam, ac Stanislaum cum filijs suis, heredes de *Powolouicze* parte ex altera, super quibusdam agris iacentibus inter *Witowo*, villam ipsius episcopi, et *Powolouicze*, coram iudicio serenissimi principis domini nostri incliti regis Polonie, nobis iudicio dicto presidentibus, materia questionis diucius uerteretur: tandem partibus predictis hinc inde litigantibus, taliter per nos ac baronum infrascriptorum de consilio, equitate suadente, exstitit diffinitum. Quod domino episcopo predicto cum suo capitulo prefatos agros adiudicauimus et adiudicamus in hijs scriptis perpetuo possidendos pacifice et quiete; supradictis heredibus ac alijs consanguineis ipsorum, qui se dicebant et dicunt aliquod ius ad eosdem agros habuisse et habere, ac eorum omnium successoribus super proprietate et quauis accione, seu litis contestacione, perpetuum silencium inponentes. Et, ne cuiquam super hoc inposterum dubium aliquod oriatur, presentes li-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti superest tantum taeniola pergamena.

teras scribi fecimus, et nostri sigilli munimine roborari in testimonium premissorum. Actum et datum *Brest*, feria tercia proxima post festum epyphanie domini, anno eiusdem M° CCC° L° VI°. Presentibus nobilibus et discretis viris, dominis: Vincencio palatino, Jacobo vexillifero, Sandyuogio subiudice, brestensibus; Dobeslao castellano crusuiciensi, cum ceteris fide dignis ([2]).

([2]) Videatur decretum simile ad annum 1354 tabula N^ro^ CCXCVIII. p. 300.

CCCIII.

Brestiae, anno 1357 die 14 mensis Martii.

Mathias Episcopus Wladislauiensis una cum suo capitulo haereditates *Sobota* et *Zagnissowicze*, commutat cum villa *Zbrachlino*, Joannis palatini Lanciciensis propria ([1]).

In nomine domini, amen. Cum omnes permutaciones et resignaciones eo firmiores existant et ualidiores, quo inite ac consummate, principum ad presenciam deducte, ipsorum principum testimonio literarum insignite fuerint et perhennate; quapropter nos Kazimirus, dei gracia Rex Polonie et Russie, nec non terrarum et ducatuum Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Mazouie, Dobrinie, Cuyauie, Pomoranieque dominus uerus ac heres, tam presentibus quam futuris harum serie literarum, quibus expedit inspecturis, fore notum volumus uniuersis: Quod ad nostre Magestatis nostrorumque baronum accedentes presenciam reuerendus in Christo pater dominus Mathias episcopus wladislauiensis, nec non honorabiles viri, domini: Zbilutus prepositus, Johannes decanus, Stanislaus scolasticus, Borislaus cantor, Sandyuogius custos, et Troyanus ac Nicolaus canonici eiusdem ecclesie wladislauiensis, nomine capituli et tamquam capitulum ab una, et dominus Johannes palatinus lanciciensis parte ab alia, fideles nostri et dilecti, propter commodum et utilitatem, contiguamque uicinitatem hereditatum suarum, cuilibet ipsorum preoptime proporcionabilem et con-

([1]) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum maximae formae, procul dubio majestaticum, appensum funiculo serico coloris viridis penitus deletum.

gruentem, huiusmodi suarum hereditatum recognouerunt se fecisse permutacionem tali forma et condicione: quod idem dominus Johannes tytulo et racione permutacionis pure, a dictis dominis . . (sic) Episcopo et . . capitulo, uillas et hereditates ipsorum ecclesie wladislauiensis predicte *Sobotha* et *Zagnissouicze*, in terra Lanciciensi in fluuio *Brzura* (sic) sitas (²), pro se suisque heredibus ac legittimis successoribus recipiens ex toto et acceptans, villam suam *Zbrachlyno* wlgariter nunccupatam, in terra Cuyauie situatam, cum omnibus utilitatibus, fructibus, obuencionibus, censibus et pertinencijs uniuersis, in terra, aquis et arboribus nunc habitis, uel habendis quoquomodo in futuro, prout eadem uilla suis in finibus et gadibus circumquaque, secundum distinccionem graniciarum (sic) terminata est et lymitata, prefatis . . (sic) episcopo et . . (sic) capitulo wladislauiensi, hereditario iure temporibus perpetuis tenendam, habendam, vendendam, commutandam, donandam, et, prout ipsis placuerit, pro utilitate sue ecclesie conuertendam, libere ac uoluntarie resignauit; nichil juris penitus aut dominij, in eadem uilla *Zbrachlyno*, sibi et suis successoribus vel heredibus reseruando, magestati nostre parte (sic) supplicantes humiliter pro confirmacione. Nos vero ipsorum supplicationi graciosius annuentes, utilitatemque ac commodum eorum ex ipsa permutacione sanius aduertentes, eandem permutacionem, utpote racionabiliter factam, gratam et acceptam habentes, ac ipsam admittentes approbamus, ratificamus et confirmamus. Ita quod dominus . . (sic) episcopus et . . (sic) capitulum ecclesie wladislauiensis supradicti, in *Zbrachlyno* uilla sua prefata, gaudebunt omni jure ac libertate, (prout in alijs villis) omnibus suis et possessionibus gaudent et utuntur nostros priulegiati per predecessores. Harum, quibus nostrum Regium est appensum sigillum, testimonio literarum. (Actum) *Brest*, feria tercia proxima post dominicam oculi, anno dominj M° CCC^{mo} quinquagesimo septimo. Presentibus hijs testibus: Daczbogio palatino Mazo(uie) . . . Lanciciensi, Petro Dobr(inensi), Dobeslao crussuiciensi, castellanis; Diuissio lanciciensi, Predborio cuyauiensi, capitaneis, cum . . . . . per Johannem de . . . . Magestatis.

(²) Potius *Bzura* fluvius, frustra tamen quaesivimus villam *Zagnissouicze*, huic fluvio vel oppido *Sobota* adjacentem.

CCCIV.

Brestiae, anno 1359 die 18 mensis Novembris.

Dominium villae *Cieleszyce* Mathiae Episcopo Wladislaviensi adjudicatur (¹).

Nouerint uniuersi tam presentes, quam futuri, ad quorum audienciam deuolutum fuerit scriptum presens: Quod nos Stanislaus, heres de *insula*, dictus Kynalicz, Judex Cuyauie, presentibus protestamus (sic): quia nobiles viri Creslaus et Potrko germani, heredes de *Louicz*, venerabilem in Christo patrem dominum Mathiam, episcopum wladislauiensem, pro quadam hereditate *Celesicze* wlgariter dicta, coniuncta ville *Strassewo* prefata (sic) domini episcopi (²), ad judicium domini nostri incliti Kazimiri, Regis Polonie citassent; tandem, eodem termino veniente, prefatus Creslaus cum fratre suo predicto, prout ab eorum senioribus veraciter didicerunt, palam profitebantur, quod pro eadem hereditate felicis recordacionis dominus Geruardus, predecessor predicti domini Mathie episcopi, predictis fratribus et eorum progenitoribus satisfecit; et redientes ad conscienciam fratres predicti, causa dei et iusticie in judicio predicti domini regis, in presencia nobilium virorum dominorum, videlicet: Predborij capitanei, Alberti palatini Cuyauie, Sandzivogij subiudicis Brestensis, ceterorumque assessorum judicij predicti, non compulsi, nec coacti, sed spontanea uoluntate recognouerunt: quod ad dictam hereditatem nullum jus haberent, promittentes pro fratribus et sororibus suis, quod dictum dominum episcopum et suos successores, pro dicta hereditate in nullo deberent impedire et inquietare, et penitus fratres predicti omni juri, quod ibidem habebant, renunciauerunt. Qua renunciacione et recognicione audita nos Judex predictus, de consensu assessorum predicti judicij, prefato domino episcopo et suis successoribus, eandem here-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti superest tantum funiculus sericus viridis coloris.

(²) E tabula hac situs villae *Cieleszyce*, quae jam in tabula anni 1326 N^ro^ CCXLIV p. 236 laudatur, potest designari: cum enim villa *Straszewo* sit territorii Cujaviensis, regionis Radziejoviensis, villam quoque *Cieleszyce* ibidem sitam fuisse oportet. *Łowicz*, procul dubio villa *Łowiczek* regionis Radziejoviensis. *Insula*, sine dubio *Ostrow* villa territorii Cujauiensis, regionis Brestensis, parochiae Wladislauiensis.

ditatem adiudicauimus, predictis fratribus et eorum legittimis successoribus, pro repeticione dicte hereditatis, perpetuum silencium imponentes. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus est appensum. Actum et datum *Brest*, in octaua beati Martini confessoris, anno domini [millesimo] CCC^{mo} L^{mo} nono.

CCCV.

Brestiae, anno 1362 die 2 mensis Februarii.

Casimirus Rex Poloniae Thomassio civi Lanciciensi advocatiam civitatis Brestensis in terra Cujaviae sitae vendit, et jura ejusdem nec non villarum *Pilchutowo* et *Goslino* describit (1).

In nomine domini, amen. Protestaciones principum ideo conquiruntur, ut [? ne] id, quod ritte fit, procedente tempore, per quempiam maliciose possit violarj. Igitur noverit tam presens etas, quam futura: Quod nos Kazimirus, dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiauie, Pomeranie, Russieque dominus et heres, comuni et utili nostri Regni ductus necessitate, advocatiam ad nostrum dominium spectantem, in Ciuitate *Brzestensi* nostra in terra Cuyavie, viro provido discreto Thomassio, ciui nostro Lanciciensi, pro ducentis sexagenis grossorum pragensium, sexagintha (sic) grossos polonicales pro quolibet Capete (2) computando, vendidimus ac vendendam duximus per presentes, sibi et suis veris heredibus et successoribus legittimis, jure hereditario in perpetuum tenendam, donandam, commutandam, vendendam ac possidendam pro sua et suorum successorum voluntate convertendam, cum proventibus, redditibus et utilitatibus infrascriptis. Primo videlicet habebit eadem Advocacia (sic) et sui possessores quinque macella carnium, quatuor marcas de pretorio, quod dicitur *Rathusch*, tres marcas de censu artificiali, sex mansos liberos franconicos in antiqua ciuitate numero debito mensuratos, molendinum in *Lagyewnyky*, prout nunc est, vel per ipsius providenciam refor-

(1) Ex apographo, quod libro manu scripto vulgo Metrica Regni dicto, in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asseruato N^{ro} XVII p. 207 insertum est, descriptum.

(2) *Capes*, *capetis*, *capetia*, *capeta*, *ae*, vocabula e voce polonica *kopa*, quae numerum sexagenarium designat, formata.

mari quomodolibet poterit in futuro (sic), cum prato ibidem in *Lagyewnyky* circa eundem (sic) molendinum, in quo prato quadragintha currus de feno poterit falcari in nostra villa ante civitatem nostram Brestensem, et alias omnes utilitates, quas facere poterit in suis mansis; que omnia debent esse libera et a qualibet pensione penitus absoluta. Preterea idem advocatus Thomassius et sui posterj judicabunt omnes causas, tam magnas quam paruas, de quibus tercium denarium habebunt, duobus pro nobis reseruatis. Ecciam idem Advocatus habebit et percipiet omnia juramenta. Item absoluimus et liberamus eundem Aduocatum et successores suos legittimos, nec non ciues ejusdem ciuitatis Brestensis, et omnes kmethones de villis *Pilchuthowo* et *Goslino* (3), pertinentibus ad eandem civitatem, ab omnibus judicijs et jurisdicionibus omnium pallatinorum, castellanorum, judicum et quorumlibet subjudicum Regni nostri, ita, quod coram ipsis vel eorum aliquo, pro causis omnibus, tam capitalibus quam criminalibus, puta: furti, sangwinis, homicidij, incendij et alijs universis minime respondebunt, nisi coram predicto Thomassio, suo advocato, jure theuthonico, quo eadem civitas Brestensis est locata. Advocatus vero non alias, nisi tamen coram nobis aut Capitaneo nostro terre Cuyauie, dum per literam nostro sigillo munitam wocatus fuerit, tunc de se querulantibus, non aliter tamen, quam suo jure theuthonico respondebit. Admittimus insuper eidem advocato et suis posteris jumenta et poledros pascere et seruare, sine prejudicio civium atque damno. Item si umquam contingeret nos Monetam in terra Cuiavie mutare, tunc carnifices ejusdem Advocati et omnes artifices, pro qualibet marca tres fertones grossorum pragensium, scilicet trigintha sex grossos sibi soluere tenebuntur. Volumus ecciam, quod ciues et consules ejusdem civitatis Brestensis, nullas nouitates seu constitutiones contrarias et nocivas faciant, sine consensu advocati. Preterea statuimus, quod idem advocatus et sui posteri ad quamlibet expedicionem generalem, nobis et nostris successoribus, cum hasta in plachis [? plattis] in equo valenti decem marcas, servire teneantur. In quorum omnium testimonium, ad evidenciam pleniorem, presentes scribi et nostri sigilli munimine jussimus roborarj. Actum et datum in *Brzesth*, in die purificacionis beate virginis Marie gloriose,

(3) Villa *Pikułkowo* et *Gużlin* urbi Brestiae adjacent.

anno domini Millesimo tricentesimo sexagesimo secundo. Presentibus his testibus: Johanne Lanciciensi, Chebda Siradiensi, Alberto Cuiaviensi, palatinis; Floriano cancellario Lanciciensi et preposito cracoviensi, Dobeslao Crusswiciensi, Paskone Brestensi, castellanis, et alijs multis fide dignis.

CCCVI.

Sine loco, anno 1362 die 13 mensis Februarii.

Wladislaus Dux Cujaviae commutationem certorum bonorum inter Moszczicium Palatinum Cujaviensem et filiastros ejus factam, ratam esse jubet.

Tom I. hujus Codicis p. 217 Nro CXXIV.

CCCVII.

Raciensi, anno 1362 die 23 men. Aprilis.

Monasterium Cisterciensis ordinis Byszeviense decimas villarum *Wtelno*, *Goscieradz*, *Glinki*, *Wielunek*, *Stronno*, *Gogolino*, **cum decimis villarum** *Skarbiewo* **et** *Buszkowo* **commutat** (1).

In nomine domini, amen. Cunctorum perit memoria factorum, si scripture testimonio seu testium ameniculo (sic) non fuerint memorie commendata. Hinc est, quod nos ffrater (sic) Johannes Abbas, Johannes prior, Gotfridus cellararius (2), totusque conuentus ordinis Cisterciensis cenobij *Byssouiensis* cupientes, ut rei geste inter nos parte ex una, ac venerabilem in Christo patrem . . (3) ac dominum dominum Mathiam, diuina et apostolice sedis prouidencia ecclesie wladislauiensis episcopum, totumque capitulum eiusdem ecclesie parte ex altera, apud posteros memoria plenior habeatur,

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Huic tabulae appensa erant funiculis sericis coloris viridis duo sigilla; quorum unum, quod superest, jam deletum. Est quoque alterum hujus tabulae exemplar, cujus variantes in notis subjungimus. Huic alteri exemplari erant etiam duo sigilla appensa.

(2) In altero exemplari *cellarius*.

(3) In altero exemplari desunt puncta.

notum facimus uniuersis presentes inspecturis: quod intendentes melioracionem bonorum ecclesiarum nostrarum predictarum, ut ex eis, auctore domino, fructus uberior valeat prouenire, iniuimus, fecimus ac ordinauimus perpetue commutacionis ac permutacionis concordiam seu eciam unionem, tenoris videlicet subsequentis. Quod kmetones, incole, villani seu cultores agrorum villarum nostrarum, seu cenobij nostri Byssouiensis, de *Vitelno*, de *Velun*, de *Glinki*, de *Gostiracz* et de *Stronno* (4) iam in parte locatis, in castellania bidgostiensi (5) et Visegrodensi sitis, prefato domino episcopo ac suis successoribus, racione decime, indilate et sine qualibet contradicione (6) de quolibet manso culmensi, super festum beati Martini episcopi et confessoris, sex grossos pragenses soluere tenebuntur. Insuper decimam, que erat nostre mense seu cenobij nostri Byssouiensis in *Gogolino* cum merica, que nondum est locata ad eandem villam pertinens, prout in suis granicijs est distincta, usibus mense eiusdem domini episcopi successorumque suorum applicauimus, dedimus, libere ac sponte contulimus; et presentibus conferimus circa eundem dominum episcopum successoresque suos, nec non et capitulum suum, perpetuis temporibus permansuram, et ubicumque nos a kmetonibus nostris censum percipiemus, domino episcopo memorato et suis successoribus, pecuniam decimalem ipsius volumus et promittimus a dictis nostris kmetonibus fideliter extorquere. Preterea zelum animarum habentes, easque lucrari domino sollicite cupientes, ab eodem domino episcopo et capitulo suo presentibus recognoscimus (7) nos recepisse, racione cultus dei in nostro predicto monasterio augendi, et in elemosinam duas decimas in *Scarbowo* et in *Buscowo* (8), in villis nostris, quas idem dominus episcopus cum suo capitulo, ut liberius in cenobio nostro predicto Byssouiensi Christus exoretur, tradidit ac contulit, ut in suis et capituli sui literis plenius continetur, pro nostris nostrique conuentus predicti usibus, perpetuis temporibus permansuras, et, racione donacionis

(4) *Wtelno* et *Goscieradz* villae jam superius descriptae: *Wielunek*, *Glinki*, *Stronno*, villae territorii et regionis Bydgostiensis, in M. D. Posnaniensi.

(5) *Bydgostiensi.*

(6) *Contradiccione.*

(7) *Recongnoscimus.*

(8) *Skarbiewo* et *Buszkowo* villae territorii et regionis Bydgostiensis.

decimarum predictarum, promittimus singulis septimanis unam missam, pro remedio animarum dominorum episcoporum et benefactorum ecclesie wladislauiensis, septimana qualibet celebrare. In cuius rei testimonium et ad euidenciam pleniorem, nostrum et conuentus nostri predicti sigilla presentibus sunt appensa. Datum et actum *Raczens*, sabbato infra octauam Pasche, anno domini M° C° C° C° sexagesimo secundo.

CCCVIII.

Cracoviae, anno 1363 die 23 mensis Maji.

Agletha consentiente marito suo Bolesta, haerede villae Parzyce, villam *Orszewice* Mathiae Canonico Wladislauiensi fratrique ejusdem Andreae, Czichronibus dictis, vendit. Quam venditionem Casimirus Rex ratam esse jubet (¹).

In nomine domini, amen. Dignum est, ut ea, que coram Regum Capitaneis racionabiliter ordinantur, merito eorundem regum literis debeant confirmari: quodque ipsorum magnifica fieri decreuit auctoritas, ratum atque stabile perpetuo debeat permanere. Igitur nos Kazimirus, dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyauie, Pomoranie, Russieque dominus et heres, notum facimus presentibus et futuris, quibus expedit uniuersis: Quod accedentes ad nostram nostrorumque Baronum presenciam Mathias canonicus lanciciensis cum fratre suo germano Andrea, dicti Czichrones, obtulerunt nobis quandam literam fidelis nostri Dyuissij, capitanei lanciciensis, autenticam super resignacione cuiusdam hereditatis ipsis coram eodem Capitaneo facta, petentes eandem literam a nobis humiliter confirmari, cuius siquidem litere de verbo ad verbum dinoscitur esse talis tenor:

Nos Dyuissius Capitaneus lanciciensis publice profitemur presentibus et futuris, presencium noticiam habituris: Quod domina Agletha ad nostram Baronumque terre lanciciensis presenciam, suo cum marito Bolesta

(¹) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae, et quidem Nro 1550 descriptum. Sigillum deest.

dicto, herede de *Parzicz*, villa sic dicta sita in terra lanciciensi ([2]), accedens sana mente et corpore ac racione, non compulsa, nec coacta, sed de mera atque omnimoda omnium suorum amicorum wluntate, maturo consilio, ac deliberacione prehabita, assensu puro et consensu adhibito, villam dictam *Oszrzisszowicze* sitam in terra lanciciensi ([3]), quam iure dotalicij hereditarie, pacifice possidebat, cum omnibus utilitatibus et usibus, ad eandem pertinentibus, prout in suis metis ac terminis circumferencialiter est locata et distincta, domino Mathie, canonico lanciciensi, nec non germano suo Andree, qui cognominentur (sic) Czichrones et eorum heredibus, legittimisque successoribus, vendidit beniuole et tradidit coram iudicio domini Regis ac resignauit, nichil iuris et dominij in eadem pro se et suis legittimis successoribus penitus reseruando, pro centum marcis grossorum pragensium, XLVIII° grossos pro qualibet marca computatos (sic), ipsis et eorum heredibus legittimis perpetue valituram, et ad suos usus conuertendam, donandam, vendendam et commutandam, iuxta quod eis et eorum legittime posteritati videbitur utilius expedire. Quod si Mathias et Andreas predicti, vel eorum legittimi successores, per quempiam iuxta consuetudinem terre super eadem hereditate ad iudicium fuerint tracti in causam asserendo, quod dicta hereditas titulo obligacionis per dictam Agletham et maritum ipsius fuisset possessa, promisit itaque dicta Agletha suo cum marito, obligantes eciam suos successores, pro Mathia et Andrea eorumque successoribus legittimis iudicio sisti, et euincere eandem hereditatem, predictos eorumque successores legittimos redendos (sic) indempnes. Nos itaque dictam vendicionem et resignacionem taliter rite factam ratam et gratam habentes, presentibus nostris literis, sigilli nostri subappensione, testiumque subannotacione, confirmamus. Actum et datum *Lancicie*, sexta feria proxima post dominicam Inuocauit, anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo tercio. Presentibus hijs testibus: Johanne pallatino, Bartholomeo castellano, Wszeborio pincerna, Wlodimiro subiudice, Phillipo subcamerario, Bodzantha Thezaurario nostro lanciciensibus, et notario Salomone lanciciensi, qui talia habuit in commisso, et alijs quam pluribus fide dignis.

([2]) *Paszyce* villa in territorio Lanciciensi regione Zgierscensi sita.
([3]) *Orszewice* villa territorii et regionis Lanciciensis.

Nos itaque ipsorum peticionibus graciosius inclinati, prescriptam literam cum singulis suis articulis, vendicionemque, empcionem et resignacionem in ea contentas, per omnia ratas et gratas habentes, tenore presencium approbamus, ratificamus et perpetuo confirmamus. Preterea volentes in eosdem Mathiam et Andream ampliorem effundere graciam nostre maiestatis, et ut eadem hereditas *Oszrzisszouice* valeat dilatari, ex nunc eandem de iure polonico alias ibidem obseruato in jus theutonicum, quod Sredense dicitur, transferimus perpetuo ibidem duraturum. Remouentes ibidem omnia iura polonicalia, modos et consuetudines, que ipsum ius Thewtunicum perturbare consueuerunt. Ceterum eximimus et perpetuo liberamus atque absoluimus omnes et singulos incolas, in eadem villa degentes, ab omnibus iudicijs, iuribus et iuridicionibus, potestatibus et penis, citacionibusque omnium pallatinorum, castellanorum, judicum, subiudicum, ministerialiumque eorundem, ita, quod coram eis uel eorum aliquo, pro quibuscumque causis magnis seu paruis, puta: furti, homicidij, incendij, sanguinis, mutilacionibus membrorum et alijs quibuscumque citati, minime respondere uel penas soluere tenebuntur; sed tantum incole ville predicte coram suo scolteto, scoltetus vero coram suo domino, aut, si negligens in reddenda iusticia fuerit, tunc coram nobis, dum per literam nostro sigillo sigillatam euocatus fuerit, iure nichilominus suo thewtonico de se querulantibus respondebunt: causas eciam magnas seu paruas, prout superius exprimuntur, scolteto predicto et scabinis ad hoc deputatis iudicandi, sentenciandi et condempnandi plenam et omnimodam concedimus facultatem. Preterea, quod in fine ponitur, magis memorie commendatur, consideratis fidelibus seruicijs Mathie et Andree, heredum predictorum, ipsos et eorum successores legittimos eciam ab omnibus iuribus et potestatibus prelibatis omnium pallatinorum, castellanorum, et presertim castellani lanciciensis, ac eciam iudicum, subiudicum et officialium ipsorum, exnunc absoluimus et penitus liberamus, ita, quod citati, coram eis, vel eorum altero minime respondere, nec aliquas penas soluere tenebuntur. Citati autem per literam nostram, sigillo nostro sigillatam, coram nobis aut iudicio nostro generali de se querulantibus respodebunt. In quorum omnium testimonium, sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum *Cracouie*, feria tercia post diem Penthecostes, Anno domini Millesimo CCC° sexagesimo tercio. Presen-

tibus: Diuissio capitaneo lanciciensi, Ottone cancellario Polonie, Boguslao de *Oporow*, Nicolao de *Wilcouice*, Alberto de *Cosczol* in Cuyauia heredibus; et domino Floriano cancellario lanciciensi, per cuius manus presens priuilegium transiuit: scriptum autem per manus Jacobi de *Ossowa* notarij curie nostre ([4]).

([4]) *Oporow* villa territorii Gostynensis regionis Orłoviensis, *Wilkowice* villa territorii Cujauiensis regionis Kowaliensis, *Kościelec* villa territorii et regionis Petricoviensis. *Ossowa* villa territorii Kielcensis regionis Jędrzejoviensis.

CCCIX.

Raciensi, anno 1365 die 1 mensis Januarii.

Mathias Episcopus Wladislauiensis scultetiam villae *Klotno* cuidam Stanislao clauigero confert ([1]).

In nomine domini, amen. Quoniam ea que aguntur in tempore, simul cum decursu temporis a memoria euanescunt, si non fuerint scripture testimonio, uel aminiculo testium memorie commendatata (sic): proinde est, quod nos Mathias, diuina et apostolice sedis prouidencia ecclesie wladislauiensis episcopus, ad uniuersorum noticiam, tam presencium quam futurorum, deuenire volumus per presentes: Quia intendentes melioracioni bonorum ecclesie nostre wladislauiensis predicte, villam nostram *Clotno* wlgariter dictam, de jure polonico transtulimus ad jus thewtunicum meydburgense, prout in terra culmensi tenetur, sub ordinacione ut inferius annotatur. Primo siquidem in eadem villa *Cletno* (sic) damus scolthecíam discreto viro Stanislao clauigero nostro de *Wyncz* fideli, sibi et suis successoribus legittimis perpetuo possidendam; et racione eiusdem scolthecie dicto scoltheto et suis posteris donamus et atribuimus duos mansos, liberos a censu sed non a decima, perpetuo pacifice possidendos. Incole vero hereditatis memorate, quinque annorum, a data presencium, gaudebunt omnimoda

([1]) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Funiculis sericis coloris viridis appensa duo sigilla jam deleta.

libertate: qua elapsa nobis et nostris successoribus per decem grossos pragenses, racione census, de quolibet manso in festo beati Martini annis singulis, et unum porcum pro media marca soluere tenebuntur, et in festo assumpcionis beate Marie per duos pullos, et unum arietem, incole predicti ut premittitur annis singulis soluere sint astricti; quem censum idem scolthetus, et omnia alia jura ad nos pertinencia, exiget et colliget nobis et nostris [successoribus] integraliter presentabit. Judicabit autem scolthetus predictus et sui posteri omnes causas parwas et magnas, infra terminos hereditatis predicte contingentes. De judicatis nos duos denarios, et scolthetus prefatus cum suis posteris tercium recipiemus. Insuper in eadem villa tres taberne locabuntur, una ad nostrum dominium, et secunda ad plebem, et tercia ad dictum scolthetum perpetuo respectum habebunt. Damus autem scoltheto predicto et suis posteris in quolibet lacu, ad *Clotno* pertinente, cum tribus gulgustrijs quartis et sextis ferijs piscari, que gulgustria *wanczerze* wlgariter nuncupantur. Preterea incole memorati nobis et nostris successoribus ter ad yeminalia (sic), et semel ad estiualia, arare, seminare et arpicare, ac fena nostra falcare et cumulare annis singulis tenebuntur. Insuper scolthetus prefatus et sui posteri scoltheciam eandem nulli vendere aut obligare in parte vel in toto presumant, nisi ei, ad quem noster consensus accesserit specialis. Statuimus eciam, quod scolthetus predictus et incole memorati in ipsa villa ex speciali pacto debeant personaliter residere; et si quispiam ipsorum hoc contempneret, et in eadem villa non resideret, scolthetus scolthecia, et villanus manso, et quidquid mobile ibi habebit, eo facto omnimode sit privatus. Preterea incole memorati nobis et nostris successoribus honores, peticiones, iuxta consuetudinem villarum nostrarum, et seruicia exhibebunt. Tenebitur autem scolthetus predictus cum incolis memoratis nostrum nuncium metquartum ter in anno recipere ad colloquium generalem (sic): pro cuius aduentu scolthetus unum, et incole prefati duo prandia ministrabunt. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum et capituli nostri wladislauiensis, de quorum unanimi voluntate et consensu prescripta sunt facta, presentibus sunt appensa. Actum et datum ***Raczens***, ipso die circumcisionis domini, anno eiusdem millesimo CCC^{mo} L X^{o} quinto. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Stanislao scolastico, Theoldrico(sic)cantore, wladislauiensibus; Stephano custode crusuiciensi et ca-

nonico wladislauiensi, Thomislaó canonico crusuiciensi, Paulo de *Raczens* plebano, tum ceteris fide dignis.

CCCX.

Crusviciae, anno 1368.

Scultetia villae *Slawsco,* de cujus dominio Petrus rusticus villae *Kosczoli* contendebat cum Zbiluto Episcopo Wladislauiensi, huic posteriori adjudicatur (¹).

Nos Hoector judex cuyauiensis uniuersis presentem paginam inspecturis volumus esse notum: Quod cum Petrus de *Kosczoli* rusticus venerabilem in Christo patrem dominum Sbylutum episcopum wladislauiensem coram nobis super scultecia . . . in causam, tandem idem dominus episcopus, post multas proposiciones . . . . sitas, terminoque recepto ex nostra dacione ad probandum su . . . . bannito judicio docuit et probauit reuerendum in Christo pa . . . . . recordacionis suum precessorem a Venceslao quondam sculthelo . . . . eandem scultheciam, pro certa pecunie quantitate . . . . suis successoribus comparasse. (Nos tum) pro tribunali sedentes, de consensu et consilio nobilium virorum et dominorum, Mosczizconis palatini et capitanei, Alberti palatini, Pasconis Brestensis, Dobeslai cruszuiciensis castellanorum, et Nemerza subiudicis cuyauiensibus (sic), eidem domino episcopo dictam sculteciam in *Slawsco,* et ipsius successoribus adiudicauimus, et presentibus adiudicamus perpetuis futuris temporibus possidendam, tenendam et habendam, prefato Petro rustico super dicta scultecia perpetuum silencium imponentes. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum in *Crusuicia,* terminis generalibus, feria tercia infra octauás . . . episcopi, anno dominj millesimo CCC° LX° VIII°.

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum deest.

CCCXI.

Raciensi, anno 1370 die 28 mensis Junii.

Zbilutus Episcopus Wladislauiensis cuidam Stanislao villam *Srocko*, jure sredensi colonis frequentandam confert (1).

In nomine domini, amen. Ne ea que aguntur in tempore, per lapsum temporis a memoria dilabantur, scripturarum testimonio perhennantur. Nouerint igitur uniuersi presencium noticiam habituri: Quod nos Sbiluthus, dei gracia wladislauiensis ecclesie Episcopus, bonorum ecclesie nostre melioracionibus intendere cupientes, de nostri capituli wladislauiensis consilio et assensu, villas nostras et ecclesie nostre wladislauiensis supradicte, videlicet *Sirosko* et *Banewo* coniunctas in unam, quam *Sirosko* volumus nunccupari, sitam in terra Siradie (2), spectantem nostram ad castellaniam woyboriensem, discreto domino Stanislao Michaëlis de *Sirosko*, exhibitori presencium, jure sredensi exposuimus locandam, sub ea que sequitur ordinacione. Damus siquidem dicto Stanislao sculteto et suis posteris racione locacionis tres mansos liberos a censu, jure hereditario perpetuo pacifice et quiete possidendos. Damus eciam sculteto predicto et suis posteris in dicta villa molendinum cum piscina liberum, si construi poterit abs (sic) dampno et impedimento kmethonum in ibi locatorum. Incole vero in ipsa villa residentes de agris iam cultis trium annorum, a data presencium computandorum, de agris vero non exstirpatis seu adhuc exstirpandis duodecim annis continue currentibus, omnimoda libertate gaudebunt. Qua libertate elapsa, incole memorati nobis et nostris successoribus, racione census, in festo beati Martini confessoris, per duodecim grossos monete boëmicalis, et duos pullos ad festum assumpcionis beate Marie virginis, et per decem oua ad festum Pasche annis singulis soluere tenebuntur. Quem censum ipse scultetus cum suis posteris colliget et exiget, nobisque et nostris successoribus integraliter presentabit. Judicabit quoque ipse scultetus cum suis posteris

(1) Ex transsumpto membranaceo anno 1398 confecto, in tabulario capituli Wladislauiensis asseruato. Transsumptum videatur ad a. 1398.

omnes causas paruas et magnas, infra terminos eiusdem hereditatis contingentes, nostro et successorum nostrorum nunccio generali uel speciali presente. De iudicatis autem et juramentis nos et nostri successores duos denarios, scultetus ipse cum suis posteris tercium recipiemus. Statuimus eciam, quod scultetus ipse cum suis posteris, et incole ville ipsius procuratorem nostrum et nostrorum successorum ter in anno recipiant ad faciendum colloquium generale, cum sua [comitiva]; scultetus unum prandium, et incole duo condecenter ministrabunt, vel pro quolibet prandio unum fertonem usualis monete soluere sint astricti. Preterea eciam scultetus ipse cum suis posteris, et incole ville predicte, ex speciali pacto, in ipsa villa debeant personaliter residere; et si quispiam se facturum hoc contempnet, et in dicta villa non residebit, scultetus scultecia, et villanus manso, et quidquid immobile ibi habebit, ipso facto omnimode sit priuatus. Quodque nullus villanus plus, quam unum mansum ibidem debeat obtinere, et quod eciam scultetus sculteciam, et villanus mansum nulli vendere aut obligare, in parte uel in toto, presumant, nisi quem nos et nostri successores duxerimus admittendum. Insuper si nos vel nostros successores aduersus eundem scultetum uel suos posteros aliquid agere uel querulari contingat, ipsi coram nobis seu nostro uel successorum nostrorum judice, quem ad hoc ponemus ibidem in villa, jure Sredensi respondebunt. Insuper idem scultetus et sui posteri et incole ville memorate nobis et nostris successoribus honores, peticiones et seruicia, iuxta consuetudinem aliarum villarum nostrarum nostre castellanie woyboriensis locatarum, exhibebunt. In cuius rei testimonium, sigilla nostrum et capituli wladislauiensis nostri predicti presentibus sunt appensa. Actum et datum *Raczans*, in vigilia beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Theodrico preposito wladislauiensi, Johanne archidyacono Dobrinensi, Thomislao custode, Nicolao de *Chrobrza*, Segneo de *Woyborz* plebano, canonicis cruschwiciensibus, Martino et Johanne capellanis curie nostre, cum ceteris fide dignis.

CCCXII.

Wolboriae, anno 1370 die 2 mensis Septembris.

Zbiluthus Episcopus Wladislauiensis cuidam Nicolao molendinum *Raschowski mlyn* prope villam *Czarnocin* situm jure haereditario possidendum confert (1).

In nomine domini, amen. Nouerint quibus expedit uniuersi: Quod nos Sbiluthus, diuina et apostolice sedis prouidencia wladislauiensis ecclesie episcopus, cupientes melioracionem bonorum nostrorum et ecclesie nostre wladislauiensis predicte, ut ex eis, auctore domino, fructus uberiores valeant prouenire, discreto viro Nicolao molendinatori nostro molendinum nostrum *Raschowski mlyn* wlgariter nuncupatum, situm in terra Siradie prope villam nostram *Carnoczino*, eidem Nicolao et suis posteris damus et contulimus jure hereditario, pacifice et quiete possidendum, ita videlicet, quod in dicto molendino nos et nostri successores duas metretas, et molendinator ipse cum suis posteris terciam recipiemus. Damus eciam predicto molendinatori et suis legitimis, de gracia speciali, de rubetis ibidem circa molendinum iacentibus, in tantum pro usu ipsius extirpare, quantum in eisdem sex mensuras siliginis, seu quouis alio frumento (sic) (po)terit seminare. Statuimus eciam, quod pro uberiori informacione molendini supradicti, scilicet aggeris et empcione lapidum nec non et ferrimentorum, similiter nos et nostri successores duos denarios ponemus, et ipse molendinator cum suis posteris tercium ponere sit astrictus. Ordinauimus eciam, quod ipse molendinator debet esse constans et fidelis, frumenta in ipso molendino fideliter et absque dolo hominibus molendo. Alioquin si homines mollentes (sic) frumenta ipsorum in sepedicto molendino, aduersus molendinatorem supradictum, pro aliqua infidelitate seu iniurijs ipsis illatis querulari contingat, quod absit, extunc predictus molendinator suam terciam partem molendini vendat libere et secure, illi tamen, quem nos et nostri successores duxerimus admittendum. Ut autem hec nostra donacio

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti superest tantum taeniola pergamena.

robur obtineat firmitatis, presentes literas sibi scribi fecimus, nostrique sigilli munimine roboratas (sic). Actum et datum in *Woyborzs*, in crastino beati Egidi (sic) confessoris, anno domini millesimo CCC^mo^ septuagesimo. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Theodrico preposito wladislauiensi, Jacobo cantore crusuiciensi et canonico wladislauiensi, Sangneo et Nicolao canonicis crusuiciensibus, cum ceteris fide dignis,

CCCXIII.

In oppido Radoszyce a. 1370 die 15 m. Septembris.

Joannes Succamerarius Sandomiriensis attestatur a Grzimcone Thesaurario Brestensi poenam perpetrati in suburbio Wolboriensi homicidii solutam esse (¹).

Nos Johannes subcamerarius sandomiriensis, ac magister curie regine Polonie, notum facimus quibus expedit uniuersis: quod strenuus vir dominus Grzimco thezaurarius brestensis, ac tutor bonorum reuerendi patris domini episcopi Cuyauie circa *Woybors* situatorum, veniens ad nostram presenciam, ex parte dicti domini episcopi, serenissime principi domine Heduigi Regine Polonie et nobis, pro homicidio mulieris in suburbio Woyboriensi, wlgariter *Rulsow* dicto, interfecte, ut debuit, condecenter satisfecit. Qua satisfaccione habita, prefatum dominum episcopum, ac ciues in eodem suburbio commorantes, auctoritate illustris regine Polonie, a pena predicta homicidio (sic) absoluimus et quitamus. In cuius rei euidenciam, sigillum nostrum est appensum. Datum in *Radoszicz* (²), feria secunda, die beati Nicomedis, anno domini M° C°C°C° septuagesimo.

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti superes tantum taeniola pergamena.

(²) *Radoszyce* oppidum in provincia Sandomiriensi, territorio Opocznensi situm.

CCCXIV.

Avenione, anno 1372 (?) die 6 mensis Julii.

Clemens VII Antipapa Wladislaum Ducem Gniewcoviensem, filium Casimiri, post mortem patrui, Regis Casimiri Magni, sibi regnum Poloniae vindicantem, ideoque Ludovici Hungariae Regis competitorem. postea vero monachum ad se arcessit (¹).

Naruszewicii Historya Pol. T. VII p. 360 in annotatione 90.—Lucae Dacherii spicilegium T. VII. p. 236.

(¹) Wladislaus Dux Gniewcouiensis accepta certa summa a Rege Ludovico, eidem de jure suo, quod sibi ad regnum Poloniae vindicabat, decessit, profectusque Lubeciam et inde in Galliam, ibidem in coenobio Divionensi (Dijon) collegio monachorum accessit, ubi usque ad mortem, quae anno 1398 secuta est, perduravit. Sepulcrum ejus videre licet in ecclesia S. Remigii. Clemens Antipapa, damnum illaturus Ludovico Regi, sibi inimico, neque Papam agnoscenti, monachum e coenobio in libertatem restituere voluit, ut is novas res in Polonia moliretur, sicque regnum Ludouici turbaret. Conferantur quae de eodem Wladislao a Naruszevicio in ejus opere. „Historya Nar. Pol.“ T. VII p. 54. ed. Most. narrantur.

CCCXV.

In villa Parchanie, anno 1372 die 29 men. Augusti.

Zbilutus Episcopus Wladislauiensis cuidam Swantoslao molam vento agitari solitam in villa *Parchane* aedificandam locat, ejusque usum ipsi largitur (¹).

Nouerint quibus expedit uniuersi: quod nos Sbiluthus, diuina et apostolice sedis prouidencia wladislauiensis ecclesie episcopus, cupientes melioracionem (sic) bonorum nostrorum ecclesieque nostre predicte prospicere, molendinum ventosum viro prouido Swanthoslao, de cuius magisterio satis subtili nos euidens experiencia docuit, in *Parchane* villa nostra episcopali dedimus ad edificandum, quibusdam pro sustentacione ipsius et suorum

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti superest nonnisi taeniola pergamena.

successorum legitimorum assignatis, videlicet: tercia metreta seu mensura in eodem molendino, medio jugere de terra pro orto, ex opposito dicti molendini iacenti, quod wlgariter dicitur *polmorga*, nec non de agris nostris in dicta villa pro quatuor mensuris, et de prato eciam nostro pro duobus curribus. Prefatus vero Swanthoslaus et sui posteri legittimi debebunt tercium denarium et nos duos ponere pro paruuorum (sic) ferrimentorum duntaxat et molarium reparacione, sed non magnorum. Item non habebit dictum molendinum in parte uel in toto vendere, seu obligare, nisi illi, quem nos duxerimus admittendum. Insuper iura omnia ad dictum molendinum pertinencia, ac ipsum molendinum predicto Swanthoslao et suis successoribus legitimis presentibus damus et assignamus, per ipsum Swanthoslaum et suos posteros tenenda in perpetuum et pacifice possidenda ita, secundum quod aliorum molendinorum ventosorum in terra Cuyauiensi situatorum requirit consuetudo. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum maius presentibus est appensum. Datum in *Parchane*, in die decolacionis sancti Johannis baptiste, anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo secundo. Presentibus honorabilibus viris, dominis: magistro Mathia bacalareo (sic) in decretis, Nicolao Chrobrza, canonicis wladislauiensibus; Henrico et Johanne de *Gnoyna*(2) canonicis crusuiciensibus testibus ad premissa, cum ceteris pluribus fide dignis.

(2) *Gnojno* villa territorii Gostyniensis, regionis Orłoviensis.

CCCXVI.

Avenione, anno 1372 (?) die 27 mensis Octobris.

Clemens VII Antipapa iterum Wladislao Duci Gnievcoviensi scribit, exhortans eundem, ut contra Ludovicum jam electum Regem Poloniae jura sua vindicet.

Naruszevicii Hist. Pol. T. VII p. 361 in annotatione 90.

CCCXVII.

Lanciciae, anno 1374 die 20 Februarii.

Limites villarum *Łaznow* et *Będzielin*, Episcopatus Wladislauiensis propriarum, nec non *Niewiadów* et *Wilkowice* constituuntur (1).

Nos Iczco judex, Ffranco subjudex lancicienses, noticie deferimus singulorum per presentes: Quod cum ad nostram presenciam reuerendus in Christo pater dominus Sbyluthus episcopus, nec non capitulum ipsius wladislauiense, per Janussium de *Newadowo* heredem fuissent pro granicijs inter villas infrascriptas, videlicet extendendo a *Lasznouo* et *Bandzelino* dominj episcopi et usque *Newadowo* et *Vylcucicze* ipsius Janussij (2) citati seu euocati, tandem pendentibus aliquibus inter partem utramque terminis, die date terminus peremptorius erat assignatus ad decidendam causam inter ipsos, prout jus requirit. Nos uero, audita relacione questionis et proposicionis Janussij tamquam actoris, et aduocati dominj episcopi et capituli ipsius wladislauiensibus (sic) responsione recepta taliter, quod per duracionem diutinam annorum, quam sufficienter allegauit et docuit, wlt habere causam pro parte sua per sentenciam diffiniendam: demum nos habita matura deliberacione sanoque consilio, post diuersus (sic) tractatus peractos, domino episcopo et capitulo ipsius wladislauiensibus, granicias prefatas, de quibus mencio erat, inter villas ut supra, videlicet a *Lasnouo* (sic), *Bandzino* (sic) extendendo usque ad villas Janussij *Newadouo* et *Wylcoczicze* (sic) adiudicauimus, et per presentes adiudicamus ipsi Janussio et successoribus suis, ad repetendum dictas granicias perpetuum silencium inponimus et inponi mandauimus cum effectu; et ut predicta diffinicio sentencie robur perpetue firmitatis obtineat harum (sic), quibus nostra sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum *Lancicie*, feria secunda in crastino inuocauit, anno dominj millesimo CCC LXX quarto. Presentibus strenuis mi-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniolis pergamenis appensa duo sigilla penitus deleta.
(2) *Łaznow* et *Będzielin* villae territorii Rawensis, regionis Brzezinensis, *Niewiadów* et *Wilkowice* ibidem.

litibus, dominis: Johanne palatino et capitaneo, Nicolao castellano, Wszeborio pincerne (sic), Philippo subcamerario, Wladimiro subdapifero, Nicolao vexillifero, lanciciensibus.

CCCXVIII.

Byszeviae, anno 1375 die 11 mensis Martii.

Casimirus Dux Stetinensis, Dobrinensis, Pomeraniae etc. haereditates Zbiluti Episcopi Wladislauiensis proprias ab omnibus oneribus liberas esse vult (¹).

Kazimirus, dei gratia dux Stetinensis, Dobrinensis, Pomoranie, Slavie, Cassubie terrarum, ac Princeps Ruyanorum, omnibus et singulis Capitaneis, Burgrabijs, procuratoribus, viceprocuratoribus, Clavigeris, ministerialibus, et eorum vices gerentibus in terris nostris, videlicet Dobrinensi, Bydgostiensi constitutis, graciam cum favore vobis firmiter precipiendo mandamus, quatenus omnes hereditates venerabilis in Christo patris ac domini, domini Sbiluti Episcopi Wladislauiensis, ab omnibus nostris solutionibus ducalibus et angarijs uniuersis in pace dimittatis, sicuti indignationem nostram gravissimam cupitis evitare. Datum in *Byssovia*, dominico die, quo decantatur Invocavit, anno domini M° CCC° septuagesimo quinto, sub secreto nostro.

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in quodam tabulario privato in Regno Galliciae condito asseruatur, descriptum. Taeniola pergamena appensum est sigillum minimae formae penitus attritum.

CCCXIX.

Jeżoviae, anno 1378 die 7 mensis Aprilis.

Joannes Dux Varsoviensis donationem villae *Służewo*, Comiti Gotardo factam, ratam esse jubet (1).

In nomine domini, amen. Ad rei memoriam sempiternam. Nos Johannes, dei gracia Dux Wiszogrogrodiensis (sic) (2), Warszowiensis dominus et princeps Cechonowiensis, notum esse volumus tam presentibus quam futuris, presencium noticiam literarum habituris, uel quibus fuerit opportunum: Quod accedentes ad nostram et Baronum nostrorum presenciam Nobiles viri Thomko, Luca (sic), Myroslaus (3), Luca, Stanislaus frater suus Miczek (4), Adam, Abraham, Borzim (5), Marcissius, Luseborius (6), Jacobus, Andreas cum privilegijs antiquis heredes de Sluszewo (7), nostri seruitores dilecti, super quandam donacionem hereditatis Sluszewo Goterdo (8) (sic) filio Luce suorum proathawo (9) per Serenissimos principes, dei gracia duces: Cunradum (10) lanciciensem, Boleslaum (11) Semouitum Mazowiensium (sic) et Kazimirj Cuyawiensis (sic) (12), antecesso-

(1) Ex apographo, quod continetur libro Metrica Regni dicto literis BB. signato Nro 4 p. 61 descriptum. Variantes lectiones in aliis libris, videlicet (b) libro Metrica Regni Nro 9 p. 171 litera DD. notato, (c) libro Metrica Regni Nro 189 p. 731 literis SD signato, (d) libro „*Actorum judicii olim terrestris et castrensis Varsaviensis.*" Nro 12 p. 755, denique (e) apographo Komierowsciano, obvias inferius subjungimus.

(2) Wysznensis, Warschouiensis, Zacroczimiensis dominus et princeps Czyechonouiensis, *habet* (b), Visnensis, Varsauiensis, Zakrocimensis d. e. p. Ciechanouiensis (c), (d), Visnensis, Varschouiensis, Zakroczymensis dominus et p. Ciechonouiensis (e).

(3) Miroslaus (b) (d).

(4) Myczek (b) (d) (e) Myiczek (c).

(5) Borzym (b) (c) (d) (e).

(6) Wscheborius (b) (c) Wseborius (d) (e).

(7) Sluzewo (b) (c) (d) (e).

(8) Gothardo (b) (c) (e) Gotardo (d).

(9) prothawo (b), ipsorum prothauo (c), suorum protawo (d), suorum protavo (e).

(10) Conradum (b) per serenissimos principes d. g. Duces Mazowiae Conradum lanciciensem (c).

(11) et *add.* (b) (d) Boleslaum et Semouitum Mazouienses et Casimirum Kuiauiensem (c) (d) (e).

(12) Kazimirum Cuiawyensem (b).

rum nostrorum dilectorum (sic), quorum vestigia sequimur, nec non ob remedium dictorum predecessorum nostrorum animarum et anime nostre salutem, presertim zelum ac devocionem spiritualium (sic) ([13]) habentes ad predictos nobiles, dicta priuilegia super eandem villam Sluzewo (sic) nostrum per protonotarium diligenter audita, dilecta (sic) ([14]), de verbo ad verbum, de diccione in diccionem, de oracione in oracionem percipientes, ipsa examinauimus ([15]); in quibus vidimus nichil penitus nobis et ducatui nostro derogari, sed tamen omni suspicione carencia, quorum quidem priuilegiorum tenor dinoscitur talis esse ([16]):

In nomine domini amen. Annorum etc. *(Sequitur priuilegium anni* 1245. Vid. Nr. XXXII p. 50 Tomi I. h. C.).

In secundo ([17]) priuilegio sic continebatur:

In nomine domini, amen. Nos Cunradus etc. *(Sequitur priuilegium anni* 1241. Vid. Nr. XXVIII p. 25 hujus Tomi).

Preterea licet, ut dicta villa Sluszewo gaudet (sic)eadem libertate ([18]) ducali, qua alie ville gaudent; nichilominus tamen ad maiorem cautelam, ab omnibus preangarijs, quocumque nomine censentur ([19]), dictam villam liberamus, ita tamen, quod *przewoth* rusticanum non ducent, cani ductores falconem (sic) ([20]), ministeriales, officiales eandem ([21]) non intrabunt, preter alijs (sic) juribus theutunicalibus, quos (sic)([22]) pro nobis reseruamus, alij multi libertatis articuli ([23]), dum super eos (sic) aliquid dubitacionis forsitan emerserit, ex priuilegijs antiquis loco, tempore apertis, ostensis plenius ([24]) liquebunt. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum predicte confirmacioni est

([13]) zelum et deuocionem specialem (b) (c).
([14]) nostrum per prothonotarium diligenter audita et lecta (b) (c) (d) (e).
([15]) precipientes ipsa examinari (b) (c) (d).
([16]) esse *deest* in (b), tenor sequitur talis (c).
([17]) in secundo vero p. (b).
([18]) Sluzewo eadem gaudeat libertate (b) (c) (d).
([19]) censeantur (b) (c) (d) (e).
([20]) *przewod* rusticanum non ducent, caniductores, ffalconarij (b) (c) (d).
([21]) eandem villam (b) (c) (d).
([22]) que (b) quae (c) (d) (e).
([23]) alij quoque multi libertatis articuli, dum super eis (b) (c) (d).
([24]) loco et tempore apertis et ostensis planius (b) (c) (e).

appensum. Actum et datum in Yezowo ([25]), feria quarta ante Ramispalmarum, sub anno domini M° CCC° LXXVIII° ([26]) Presentibus dominis ([27]), Cristino pallatino ([28]), Martino Judice, Petro Woyor (sic) ([29]), Czechanouiensibus (sic), Paskone vexillifero, Stanislao subcancellario, Warszowiensibus ([30]); Pumoszyo (sic) subcancellario zacroczimiensi ([31]) et Nicolao vicecancellario curie nostre, qui presencia habuit in commissis, ac ([32]) alijs quam plurimis nostris fidelibus et fide dignis etc. ([33]).

([25]) Yezewo (b), Jezewo (c) (d).
([26]) millesimo CCC septuagesimo octauo (b).
([27]) dominis *deest in* (b) (c).
([28]) *add.* Mazouie (b) (d).
([29]) vexillifero Czyechanowiensibus (b) (c) (d).
([30]) Succamerario Warschouiensibus (b) (c) (d).
([31]) Janussio succamerario zacroczymyensi (b) (c) (d).
([32]) et (b) (c) (d).
([33]) etc. *deest* (b) (c) (d).

CCCXX.

In villa Ciechocinek, anno 1379 die 1 men. Junii.

Tomislaus Castellanus Slonensis una cum filiis suis Vincentio, Alberto, Janussio, Tomislao, Jancone et Petrassio, Zbiluto Episcopo Wladislauiensi villam *Dziardonice* 120 marcis vendit ([1]).

In nomine domini, amen. Nouerint quibus expedit vniuersi, presencium noticiam habiturj: Quod nos Thomislaus, castellanus Slonensis et heres de *Mazousze*, una cum filijs nostris, videlicet Vincencio, Alberto, Janusio (sic), Thomislao, Jancone et Potrasio (sic), publice presentibus profitemur et recognoscimus, nos villam nostram *Dzardunouicze* wlgariter dictam, nulli alteri de jure debitam, in terra Cuyauiensi prope *Couale* situatam ([2]), ex causa racionabili et necessaria nobis ingruente, venerabili in

([1]) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniolis pergamenis appensa sunt duo sigilla: unum majus forsan Tomislai jam deletum, alterum minus exhibet in parvo scuto tres stellas effictas, zona scutum transversaliter cingente: ex inscriptione in ambitu haec tantum legi possunt: „*s. vincencii.*"

([2]) Hodie *Dziardonice* territorii Cujaviensis regionis Kowaliensis, *Mazousze* villa territorii et regionis Lipnensis.

Christo patri domino Sbylutho, episcopo wladislauiensi, pro centum viginti marcis grossorum pragensium, quadraginta octo grossos pro qualibet marca computando, cum omnibus prouentibus, fructibus, juribus et utilitatibus vniuersis, que ibidem pronunc sunt, uel possunt esse in futurum, prout in suis granicijs circumferencialiter est distincta perpetue vendidisse, et dictam pecuniam centum viginti marcarum realiter et cum effectu numeratam a dicto domino episcopo recepisse, nichil juris uel dominij in eadem villa *Dzardunouice* pro nobis et nostris successoribus legitimis penitus in antea reseruantes, per ipsum dominum episcopum et suos successores, qui fuerint pro tempore, pacifice in perpetuum tenendam, habendam, possidendam, ac in usus suos beneplacitos conuertendam, prout sibi visum fuerit expedire. Promittentes insuper bona fide de euiccione, si et in quantum prefatus dominus episcopus, seu ecclesia ipsius predicta in possessione huiusmodi pacifica per quempiam hominum inpediretur ville supradicte. In casu vero ubi, quod deus auferat, sepedictam villam non possemus neque valeremus evincere, extunc promittimus pro dicta pecunia memorato domino episcopo, sine dolo et fraude ac strepitu iudicij, integraliter satisfacere seu respondere. In quorum omnium premissorum (sic) et ad euidenciam pleniorem, sigilla nostrum et Vincencij filij nostri cum fratribus suis, presentibus sunt appensa. Actum et datum in *Czechoczino* (3), feria quarta quatuor temporum infra octauas penthecostes, anno domini millesimo CCC° LXX^{mo} IX°. Presentibus honorabilibus ac nobilibus viris, dominis: Theodrico preposito, Johanne archidiacono, wladislauiensibus; Jarando cantore Stanislao de *Pasky* canonico crusuiciensibus, ac Petrasio de S. . . Johanne de *Wlosicza*, Potrasio de *Swanche*, Jacobo de *Venczslauicze* et Johanne de *Raleuicze* heredibus (4), et alijs multis fide dignis.

(3) *Ciechocin* villa regionis Lipnensis, *Ciechocinek* territorii Cujaviensis, regionis Radziejoviensis, parochiae vero Słonensis.

(4) *Włoszyca* villa regionis Radziejoviensis, *Święch* regionis Brestensis, *Więcławice* regionis Kowaliensis, omnes Cujaviensis territorii. *Ralewice* villa territorii Siradiensis, regionis vero Szadkoviensis. *Pasky* fortasse *Pasieka* villa territorii Bydgostiensis, regionis vero Mogilnensis, vel *Pasieck* territorii Kwidzynensis regionis Brodnicensis.

CCCXXI.

Wladislaviae, anno 1379 die 15 mensis Septembris.

Theodricus Canonicus Wladislauiensis cuidam Rutino sculteto villam *Michanowo* colonis frequentandam confert (¹).

In nomine domini, amen. Nos Sbyluthus, diuina et apostolice sedis prouidencia wladislauiensis ecclesie episcopus, uniuersis tam presentibus quam futuris notum esse volumus presentes literas inspecturis: Quod dilectus in Christo frater noster, dominus Theodricus prepositus et canonicus prebendatus wladislauiensis, intendens melioracioni ville sue prepositure, dicte wlgariter *Michanowo* prope *Lubaue* situate (²), viro prouido Rutino scultheto ibidem, exceptis dumtaxat quinque mansis proprijs jure Meydburgensi, de consensu nostro ac fratrum nostrorum wladislauiensis capituli exposuit locandam sub condicionibus infrascriptis. Ita videlicet, quod dictus sculthetus cum suis posteris legitimis, nomine sculthecie, tres mansos liberos a solucione census jure hereditario in perpetuum possidebunt. De judicato vero et de tabernis, quotquot inibi locate fuerint, duos denarios, dicto domino preposito et suis successoribus presentabunt, et pro se tercium retinebunt. Ceterum dictus scolthetus cum suis posteris, preter gregem villanorum, libere pascent ubilibet oues suas, sine tamen cuiuslibet nocumento, ac eciam leporem cum canibus, et quistulas cum niso venabuntur. Preterea incole dicte ville, una cum dicto scultheto et suis posteris, prata ultra molendinum dictum *Osla* iacencia, in medio pratorum dicti domini prepositi, cum alijs pratis hactenus per ipsos jure polonicali habitis, nec non borram in agro siue sorte propria, iuxta mensuram unumquemque contingentem, pro se ac suis usibus (sic) retinebunt, pro censu autem memorati incole dicto domino preposito octo scotos, quilibet ipsorum de man-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Huic tabulae appensa sunt duo sigilla vulgo ab episcopo et capitulo ecclesiae Wladislauiensis usitata funiculis sericis, alterum a dextra tabulae parte funiculo coloris viridis, alterum funiculo coloris rosei.

(²) *Lubawa* oppidum, hodie Löbau territorii Kwidzynensis: circa Lubawiam est villa *Mschannowo*.

so proprio, monethe ac numeri thorunensis in festo sancti Martini confessoris, nec non ad festum assumpcionis beate Marie per duos pullos, in pascha per triginta oua, et in iam dicto festo assumpcionis viginti grossos pro vacca, et in carnispriuio per viginti grossos pro porco, quolibet anno dabunt seu soluere tenebuntur. Quem censum dictus sculthetus cum suis posteris integraliter per se recollectum, prefato domino preposito et suis successoribus, fideliter presentabunt. Insuper sculthetus et villani ville eiusdem tria iudicia generalia inibi ter in anno celebrabunt, et pro duobus prandijs dicti villani ipsi domino preposito per octo scotos dabunt, et tercium dictus sculthetus cum suis posteris soluere sit astrictus. Preterea memorati incole sepedicto domino preposito arabunt unam diem ad hyemalia, et aliam ad estiualia, ac eciam gramina falcabunt uno die tantum, nec non frumenta sua ad horreum ibidem conducent proprijs sumptibus et expensis; sed rearabunt agros iam dicti domini prepositi in expensis eiusdem. Insuper ipse sculthetus et sui posteri, nec non villani, personaliter inibi residebunt, et nulli in parte uel in toto scultheciam siue agros alicui vendere seu obligare audeant, nisi consensu dicti domini prepositi accedente: alias secus faciens eo ipso, si sculthetus fuerit sculthecia, et villanus manso sit priuatus. Et quod jura maydburgensia dicto domino preposito prorsus sunt ignota, omnia jura dominium ipsius concernencia, videlicet in honoribus et peticionibus, salua et integra pro ipso et suis successoribus reseruamus. In cuius rei testimonium, nostrum et capituli wladislauiensis nostri predicti sigilla, presentibus sunt appensa. Actum et datum in *antiqua Wladislauia*, in octaua natiuitatis beate Marie virginis gloriose, anno domini millesimo CCC^{mo} LXX^{mo} IX°. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Nicolao scolastico, Johanne archidiacono, Martino custode, Bartha cantore, Nycolao canonico, Wladislauiensibus, cum ceteris fide dignis.

CCCXXII.

Gnesnae, anno 1380 die 28 mensis Martii.

Ladislaus Dux Opoliensis et Cujaviensis textoribus Juniwladislaviensibus liberam venditionem pannorum confert.

Stronczyńscii „Wzory pism dawnych" p. 45 Nro 41.

CCCXXIII.

Raciensi, anno 1380 die 25 mensis Augusti.

Jacobus scultetus Lagowiensis et Lechouecensis, obtento assensu Episcopi et capituli Wladislauiensis, scultetiam *Lechouecensem* Petro rustico villae Brzichouo vendit (¹).

In nomine domini, amen. Nos Sbiluthus, dei gracia wladislauiensis ecclesie episcopus, notum esse volumus presentem paginam inspecturis: Quod prouidus vir Jacobus scoltetus de *Lagouo* et *Lechouecz*, de nostra nostrorumque fratrum wladislauiensis capituli voluntate, dictam scolteciam in *Lechouecz* Petro rustico de *Brzichouo* vendidit (²) pro decem marcis grossorum pragensium polonicalis numeri, quadraginta octo grossos pro marca qualibet computando, actu sibi iam pagatis. Qui quidem Petrus, racione dicte scoltecie, et sui postery (sic) debent habere et tenere perpetue duos mansos, liberos a solucione census duntaxat, prout in priuilegio *lagouiensis* scolteti inde confecto plenius continetur. Nos vero de speciali nostra gracia, ob seruicia dicti Petri, scolteti de *Lechouecz*, damus piscinam ibidem sibi faciendam. Gaudebunt autem dicti incole libertate decem annorum, a data presencium continue computandorum; qua libertate elapsa, memorati incole nobis et nostris successoribus de quolibet manso so-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Huic tabulae erant appensa duo sigilla, quorum alterum videlicet episcopale abruptum, alterum appensum funiculo serico coloris viridis, vulgo a capitulo ecclesiae Wladislauiensis usitatum.

(²) *Lechow* villa territorii et regionis Opatoviensis, parochiae vero Łagoviensis. *Brzichowo* fortasse *Brzykow* Sieradiensis territorii et regionis.

lubili fertonem in festo beati Martini confessoris, et decimam manipulatam in campis tempore messium, singulis annis soluere tenebuntur. Quem censum idem scoltetus coliget (sic) et exiget, et nobis ac nostris successoribus fideliter presentabit. Damus eciam prefato scolteto et suis posterys (sic) tercium denarium de thaberna, quod (sic) ibidem locata fuerit. Judicabit autem predictus scoltetus, et sui legittimi successores, omnes causas paruas et magnas, infra terminos eiusdem hereditatis contingentes: de iudicatis vero scoltetus sepedictus tercium denarium, et nos duos recipiemus, juramentum per medium diuidendo. Statuimus eciam, quod scoltetus et sui postery scolteciam eandem nulli vendere aut obligare in parte, [vel] in toto presumant, nisi [ei] quem nos duxerimus admittendum. Preterea ipse scoltetus et sui postery in eadem villa, et incole, ex speciali pacto, personaliter residebunt; et si quispiam ipsorum contempserit et non residebit, scoltetus scoltecia, et villanus manso ipso facto omnimode sit priuatus. Et quod eciam nullus villanus plus, quam duos mansos debeat optinere. Ordinamus eciam, quod incole predicti duo prandia ad iudicia generalia seu bannita, et scoltetus tercium, aut pro quolibet prandio quinque scotos soluere sint astricti. Insuper scoltetus iam dictus et incole ville memorate nobis et nostris successoribus honores, peticiones et seruicia exhibebunt, iuxta morem et consuetudinem aliorum scoltetorum et incolarum nostrarum (sic), in districtu lagouiensi locatarum (sic). In cuius rei testimonium, sigilla nostrum dictique nostri capituli, presentibus sunt appensa. Actum et datum *Raczens*, in crastino beati Bartholomey apostoli, anno domini millesimo CCC^{mo} octuagessimo (sic). Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Theodrico preposito, Johanne archidiacono, Barthe (sic) cantore, Nicolao de *Chrobrza,* Petro Sliwca, canonicis wladislauiensibus, et Jarando cantore crusuiciensi, cum pluribus fide dignis.

CCCXXIV.

Wladislaviae, anno 1382 die 8 mensis Aprilis.

Zbilutus Episcopus Wladislauiensis cuidam Mathiae villam *Sędek* colonis frequentandam jure sredensi confert (¹).

In nomine domini, amen. Facta mortalium obliuionem incurrunt, nisi literarum testimonio fuerunt (sic) perhennata. Hinc est, quod nos Sbiluthus, dei gracia wladislauiensis ecclesie episcopus, notum facimus uniuersis presentes literas inspecturis: Quod intendentes melioracioni bonorum nostrorum et ecclesie nostre, ut ex eis, auctore domino, fructus valeat uberior prouenire, de voluntate et consensu fratrum capituli nostri wladislauiensis, discreto viro Mathie villam nostram et ecclesie nostre wladislauiensis dictam *Sandek*, sitam in terra Sandomiriensi in districtu Lagouiensi inter has villas *Crzewo*, *Bardo* et *Paulowa wola* (²), iure sredensi exposuimus locandam. Primo siquidem scultetus cum suis posteris in eadem villa *Sandek* duos mansos, racione locacionis a solucione census et alijs solucionibus nobis et nostris successoribus debitis dumtaxat, sed non a decima liberos jure hereditario, pacifice possidebit et perhenne. Incole vero ville eiusdem decem annorum annorum (sic bis), a data presencium conputatorum, gaudebunt omnimoda libertate. Quibus elapsis, de quolibet manso nobis et nostris successoribus singulis annis duodecim grossos bohemicales, medietatem ad festum sancte Trinitatis, et aliam medietatem ad festum sancti Martini, dictorum duodecim grossorum soluere tenebuntur. Quem censum ipse scultetus et sui posteri exigent et colligent, nobis et nostris successoribus integraliter et fideliter presentabunt. Soluent eciam, elapsa prescripta libertate, incole ville memorate una cum sculteto nobis et nostris successoribus in campo decimam manipulatim, et ad nostrum orreum (sic) suis veccionibus

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Duo sigilla appensa erant funiculis sericis coloris viridis: horum alterum abruptum, alterum penitus deletum.

(²) *Sędek* villa non procul a *Łagow* sita, *Czyżow* regionis Staszoviensis, parochie Bardensis, *Bardo* eiusdem regionis, *Pawlowa wola* (Pawłów) regionis Sandomiriensis, parochie Czyżewiensis, omnes vero territorii Sandomiriensis.

conducent eandem. Preterea scultetus ipse cum suis posteris ibidem in *Sandek* unum molendinum cum pisscina (sic), unam thabernam, et unum ortulanum habebit. Item iudicabit omnes causas paruas et magnas, ciuiles et criminales, inter terminos predicte hereditatis nostre contingentes, jure sredensi predicto, presente nostro nunccio generali uel speciali: et de iudicatis duos denarios nos et nostri successores, ipse vero scultetus et sui posteri tercium, ac de iuramentis nos medietatem, et scultetus medietatem recipiemus. Tenebuntur eciam incole ville memorate nobis et nostris successoribus unum diem ad yemalia et secundum ad estiualia arare, seminare et arpicare. Volumus eciam, quod incole ville eiusdem nobis et nostris successoribus ad festum Phassce (sic) singulis annis dent per triginta ova. Statuimus eciam ex pacto speciali, quod idem scultetus et sui successores, ac incole ville eiusdem, in ipsa villa personaliter debeant residere; non facientes autem, scultetus scultecia et villanus manso carere debeant ipso facto. Si vero nos vel nostros successores aduersus eundem scultetum uel suos successores aliquid agere contingat uel querulari, extunc coram omnibus aduocatis in *lagow* tenebitur respondere. Insuper scultetus ipse et sui posteri ibidem generale colloquium ter in anno celebrabunt singulis annis, et scultetus pro uno prandio duodecim grossos, ac incole pro duobus viginti quatuor grossos soluere sint astricti. Preterea scultetus ipse et sui posteri, ac eciam incole ville memorate, nobis et nostris successoribus honores, peticiones et seruicia, iuxta consuetudinem et ius aliarum nostrarum villarum exhibebunt. In cuius rei testimonium, sigilla nostrum et capituli nostri predicti wladislauiensis, presentibus sunt appensa. Actum et datum in *antiqua Wladislauia,* VIII die mensis aprilis, anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Theodrico preposito, Nicolao scolastico, Johanne archidiacono, Martino custode, Nicolao cantore, et alijs quam plurimis fide dingnis (sic).

CCCXXV.

Raciensi, anno 1382 die 24 mensis Novembris.

Fredericus Canonicus Wladislauiensis cuidam Jacobo villam *Chominyno* jure culmensi colonis frequentandam concedit (¹).

In Christi nomine, amen. Ne ea, que aguntur in tempore, simul cum fluxu temporis euanescant, dignum est ea scripture testimonio, cum annotacione testium perhennare. Proinde nos Sbyluthus, dei gracia wladislauiensis ecclesie episcopus, cupientes, ut rei geste inter nos ac capitulum nostrum wladislauiense ex una, et prouidum virum Jacobum scoltetum de *Chominyno* parte ex altera, aput posteros memoria plenior habeatur: notum facimus uniuersis presentes literas inspecturis: Quod honorabilis vir dominus Fredricus (sic), canonicus noster wladislauiensis, qui nomine canonicatus et prebende villam pro nunc tenet eandem, intendens melioracioni bonorum ville predicte, de voluntate et consensu nostro et capituli wladislauiensis predicti, prefatam villam *Chominyno* memorato scolteto jure Maydburgensi, prout in terra culmensi tenetur, exposuit ad locandum, sub ea, que sequitur ordinacione. Primo siquidem predicto Jacobo scoltetho ac suis posteris legittimis, racione scolthecie et locacionis predicte, duos mansos liberos a censu tantum, cum thaberna et orto ibidem in *Chominyno* per ipsum scolthetum et suos successores perpetuo pacifice possidendos pro quindecim sexagenis grossorum pragensium vendidimus dicto domino Fredrico iam actu pagatis. Judicabit autem idem scolthetus omnes causas paruas et magnas, ciuiles et criminales, infra dicte hereditatis limites contingentes; qui scolthetus et sui posteri de judicatis tercium denarium recipient, prefatus vero Fredricus et sui successores duos obtinebunt. Promittimus eciam eidem scoltheto ex nostra gracia speciali oues per proprium opilionem in campo dicte hereditatis *Chominyno* pascere, sine inpedimento tamen cuiuslibet et iactura. Prefatus vero scolthetus et sui posteri seruicia in uno equo

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Duo sigilla appensa, alterum funiculo serico coloris viridis, alterum taeniola pergamena; ambo jam deleta.

versus *Brest*, ac in districtu wladislauiensi, quandocumque necesse fuerit, sine qualibet difficultate eidem domino Fredrico et suis successoribus exhibebunt. Preterea incole dicte hereditatis *Chominyno* dicto domino Fredrico et suis successoribus triginta grossos pragenses, et per duas mensuras tritici, et per duas ordei, ac per quatuor siliginis, et per quatuor auene, et per tres pullos, annis singulis in festo sancti Martini, de quolibet manso soluere tenebuntur. Quem censum ipse scolthetus et sui posteri fideliter colligent, dictoque domino Fredrico et suis successoribus integraliter presentabunt. Verum eciam tociens, quociens necesse fuerit, dicta frumenta idem incole siue rustici proprijs eueccionibus in *Brest*, seu in *antiquam Wladislauiam*, et non alibi, pro dicto domino Fredrico et suis successoribus, deducere et unum mansum arare, ac seminibus dicti Fredrici seminare ad hyemalia et estiualia, nec non arpicare, et falcata frumenta de eodem manso in orreum ipsius domini Fredrici et suorum successorum conducere, ac pratum dicti mansi finale, et aliud pratum ad quantitatem unius jugeris ibidem in *Chominyno* falcare, rastrare et cumulare, et similiter in predictum orreum conducere sint astricti, occasione qualibet procul mota. Statuimus insuper, quod scolthetus ipse cum suis posteris, villani quoque seu incole ville ipsius ex speciali pacto personaliter debeant in ipsa villa *Chominyno* residere; et si quispiam ipsorum hoc contempserit, et alibi residebit (sic), scolthetus scolthecia, et villanus manso, et quidquid aliud ibi immobile habuerit, ipso facto sint priuati. Quodque nullus incola seu villanus ibidem plus, quam duos mansos debeat habere, et quod eciam scolthetus ipse et sui posteri scoltheciam eandem, et incole mansos nulli vendere aut obligare in parte uel in toto presumant, nisi ei, quem idem Fredricus, uel sui successores, duxerit admittendum. Et si ipsum Fredricum et suos successores de ipso scoltheto, uel suis posteris, aliquid agere uel querulari contingat, jure Maydburgensi in curia dicti domini Fredrici et suorum successorum ibidem in *Chominyno* coram judice, quem ad hoc posuerit, respondebit. Ceterum cum jura Maydburgensia prorsus sint nobis incognita, omnia jura, dominium eiusdem domini Fredrici et suorum successorum concernencia in seruicijs, peticionibus et honoribus, salua et integra pro ipso domino Fredrico suisque successoribus reseruamus. In cuius rei testimonium, nostrum et nostri capituli wladislauiensis, ac Fredrici canonici predicti sigilla presenti-

bus sunt appensa. Actum et datum *Raczans*, in vigilia sancte Katherine virginis et martyris gloriose, anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis: Theodrico preposito, Nicolao scolastico, Johanne archidiacono, Nicolao cantore, Martino custode, Johanne archidiacono, gneznensibus; Petro decano, Jarando cantore, crussuiciensibus, et Adam canonicis wladislauiensibus, testibus ad premissa.

CCCXXVI.

Dobrini, anno 1383 die 11 mensis Octobris.

Wladislaus Dux Opoliensis, Vielunensis, Cujaviensis et Dobrinensis, cuidam Swiętoslao tertiam partem molae aquariae, prope castrum Bobrownicense in fluvio *Ruda* exstructae donat (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Ladislaus, dei gracia dux Opoliensis, Welunensis, Cuyauiensis et Dobrinensis, notum facimus tenore presencium quibus expedit universis: quod de fidelitate Swantoslai molendinatoris plurimum presumentes, terciam partem molendini nostri, prope castrum nostrum *Bobrownik* in fluuio *Ruda* situati, et terciam partem omnium emolumentorum et prouentuum de eodem molendino proueniencium, dicto Swantoslao, ipsius heredibus et successoribus legittimis damus, conferimus et donamus donacione perpetua et irreuocabili tenendam, utifruendam, donandam, vendendam, obligandam, commutandam et perpetue possidendam, ac in usus suos et heredum suorum conuertendam, prout eidem Swantoslao et ipsius heredibus utilius videbitur expedire; dantes eciam et conferentes dicto Swantoslao et suis heredibus facultatem exstirpandi ibidem in querceto duo jugera agrorum et pratorum, pro sui ipsius et suorum pecorum ac animalium conseruacione, que eciam ad terciam partem ipsius molendini volumus perpetue pertinere: excepta tamen piscina ibidem, quam totam et integram pro nobis et nostris poste-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum majus vulgo a Wladislao Duce Opoliensi usitatum appensum est funiculo serico coloris viridis.

ris perpetue reseruamus. Addicimus eciam, quod dictus Swantoslaus et ipsius heredes pro comparacione molarium et ferrimentorum, ac pro reformacione eiusdem molendini tociens, quociens necessarium fuerit, tercium denarium, prout alibi est conswetum impendere et soluere sint astricti. Nos uero et posteri nostri duos denarios soluere et impendere pro huiusmodi molarium et ferrimentorum comparacione tenemur, et eciam pro molendini reformacione. Ceterum volumus, quod dum aliud nostrum molendinum in *Bobrownik* molere non poterit; tunc homines de ciuitate *Bobrownik* et aliunde, quelibet eorum frumenta in dicto molendino habebunt molere liberam facultatem. Ut autem prescripta donacio robur obtineat perpetue firmitatis, presentes fieri, nostrique sigilli appensione iussimus communiri. Actum et datum in *Dobrin*, anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo tercio, dominica die proxima ante festum sancti Galli confessoris. Presentibus nostris fidelibus: Andrea judice, Iwano marschalco, Johanne pincerna, dobrinensibus; Petro Lofil de *Ossek*, Dobeslao de *diblina*, Mesczante de *Wichowo* (2), et domino Nicolao nostro cancellario, qui presencia habuit in commisso, et alijs pluribus fide dignis.

(2) *Osiek*, *Wychowo* et *Dyblin* villae territorii et regionis Lipnensis.

CCCXXVII.

Toruniae, anno 1383 die 10 mensis Novembris.


Petrus de *Swessa* fructuum et proventuum Camerae Apostolicae debitorum collector, acceptis duobus millibus florenorum aureorum hungaricalium a capitulo ecclesiae Wladislaviensis, idem liberum reddit (1).

Universis presentes literas inspecturis Petrus Francisci de *Swessa* Canonicus et Archidiaconus quinque ecclesiarum in Regno Polonie et cetera, fructuum et proventuum Camere Apostolice debitorum collector, salutem in Domino. Universitati vestre tenore presencium significamus, recognosci-

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in quodam tabulario privato in regno Galliciae condito asseruatur, descriptum. Sigilli abrupti superest tantum taeniola pergamena.

mus et eciam confitemur, nos, nomine Apostolice Camere, a venerabilibus viris dominis Theodorico preposito electo, Nicolao decano, ac Johanne Archidiacone (sic), et Jarando Custode Gneznensis, Wladislaviensis ecclesiarum Canonicis, in deduccionem quatuor milium florenorum auri de Hungaria, boni et iusti ponderis, Camere Apostolice supradicte pro bonis ac creditis et debitis quondam domini Sbiluthi Episcopi Wladislaviensis, nec non fructibus, redditibus et proventibus, obvencionibus et juribus ad mensam suam Episcopalem spectantibus, eidem Camere debitis, iuxta tenorem et formam literarum Apostolicarum et publici instrumenti, appensione sigilli nostri consueti presentibus subappensi similis communiter confectorum exinde debitorum, prout in eisdem clarius continetur, duo milia florenorum auri de Hungaria predicti nobis per eos, tam pro seipsemet (sic), et alijs dicte ecclesie canonicis, et quolibet ipsorum in solidum, quam pro toto ipsius ecclesie Capitulo, singulisque personis eiusdem communiter, ac eorum suoque nominibus pro eadem Camera propterea solutorum, habuisse et recepisse realiter et manualiter numerata. De quibus quidem duobus milibus florenorum auri de Hungaria per ipsos nobis solutis, et per nos habitis et receptis, ut prefertur, ab eis, ipsos dominos Theodoricum electum, Nicolaum decanum, Johannem archidiaconum et Jarandum Custodem, et alios dicte Wladislaviensis ecclesie Canonicos et capitulum, singulasque personas eiusdem communiter et quemlibet ipsorum in solidum, auctoritate Apostolica vigore presencium quitamus, et absolvimus nomine supradicto; ipsos et eorum quemlibet ab excommunicacionis, suspensionis et interdicti, ac alijs quibuscumque sentencijs, quam vel quas, quia dicta duo milia florenorum in dicto termino non soluerunt, et alias ex neglencia (sic) vel contumacia in factis huiusmodi vigore nostrorum processuum contra eos exinde confectorum, seu alio quouismodo incurrerunt vel incurrerit (sic) forsitan, absolventes, et cum eisdem ac eorum singulis super irregularitatem, quam se interim immiscendo divinis inciderunt vel incidit quouismodo, dummodo in contemptum clavium se non immiscuerunt (sic) vel immiscuerit eisdem, super quo conscienciam eorum oneramus, auctoritate et nomine supradictis, vigore presencium eciam dispensantes, quas in testimonium premissorum per notarium nostrum infrascriptum scribi, publicari, in hanc formam publicam redigi et subscribi, ac sigilli nostri consueti appensione solita fecimus com-

muniri. Datum in *Thoron*, in hospicio nostro Culmensis diocesis, anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo tercio, indiccione sexta, die decima mensis novembris, pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Urbani, divina providencia Pape sexti, anno sexto; presentibus honorabilibus viris, dominis: Petro Jacussij de *Siradia*, presbitero et notario publico Gneznensis diocesis, Johanne Helie civi (sic) Thorunensi, et Johanne Schellendorf clerico et notario publico Wratislauiensis diocesis, testibus ad premissa vocatis, habitis et rogatis.



Et ego Henricus Lindener Conradi Sculltetus de *Comernik*, clericus Wratislauiensis diocesis, publicus auctoritate Imperiali notarius, predictorum florenorum tradicioni, presentacioni, quitacioni et absolucioni, dum sic per dictum dominum Collectorem agerentur et fierent, ac omnibus alijs et singulis premissis, una cum prescriptis testibus presens fui, eaque sic fieri vidi et audivi, ac de mandato dicti domini manu propria conscripsi, et signum meum una cum sigilli appensione ipsius apposui, rogatus et requisitus, in fidem et testimonium omnium premissorum.

CCCXXVIII.

Wladislaviae, anno 1393 die 7 mensis Januarii.

Henricus Episcopus Wladislauiensis, decimam mensae suae ex villa *Osniszczewo* pendi solitam, in usum ecclesiasticum donat (1).

Nouerint, quibus expedit, uniuersi: Quod nos Henricus, diuina et apostolice sedis prouidencia episcopus ecclesie wladislauiensis, exigente di-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniolis pergamenis appensa sunt huic tabulae duo sigilla: quorum prius minoris formae exhibet scutum in quatuor partes divisum, quarum duae transversaliter positae effictam habent aquilam cum aliis expan-

gnitate nostri pastoralis officij, qua astringimur presertim ad dictam wladislauiensem ecclesiam, volentes eidem prouidere de necessitatibus, ut tenemur: de voluntate et consensu fratrum nostrorum capituli wladislauiensis, decimam nostre mense in villa nostra *Osniszczewo* dedimus, presentibusque donamus pro comparacione cere, vini et aliarum attinenciarum ad predictam nostram wladislauiensem ecclesiam. Ita tamen, quod procuratores, qui pro tempore eandem decimam in sua procuracione habuerint, nobis vel quibus nos duxerimus committendum, de perceptis et expositis annuatim racionem facere tenebuntur. Si vero, quod absit, predicta villa quouis modo annichilata siue destructa fuerit, per hoc non intendimus esse liberi a prouisione huiusmodi nec absolui, sed semper eidem nostre ecclesie prouidere cupimus, diuina nobis gracia suffragante. In cuius rei testimonium, nostrum et prenominati nostri capituli sigilla sunt presentibus subappensa. Datum in *antiqua Wladislauia*, anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo tercio, die septima mensis Januarij. Presentibus honorabilibus viris, dominis: Andrea preposito, Nicolao decano, Petro archidyacono, Nicolao cantore, Johanne scolastico alijsque prelatis et canonicis wladislauiensibus capitulariter congregatis etc.

sis, in duabus reliquis etiam transversaliter positis effictus est campus latrunculatus. Ex inscriptione in ambitu haec legi possunt: „*sigillum hen. . . . epi. wladis.*" Alterum sigillum vulgo a capitulo ecclesiae Wladislauiensis usitatum.

CCCXXIX.

In castro Schinta, anno 1393 die 11 m. Septembris.

Sigismundus Rex Hungariae etc. ac Marchio Brandenburgensis Wladislao Duci Opoliensi, terras Cujaviensem et Dobrinensem, quas idem permutationis titulo a Ludovico Rege Hungariae obtinuerat, vendendi confert potestatem (¹).

Nos Sigismundus, dei gracia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatie, et cetera, ac Marchio Brandemburgensis (sic) et cetera, notum facimus tenore

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario quodam privato in Regno Galliciae condito asseruatur, descriptum. In imo hujus tabulae impressum sigillum e cera coloris rubri jam deletum.

presencium vniuersis: quod cum olim Serenissimus princeps dominus Lodovicus Rex Vngarie felicis memorie, socer noster carissimus, Terram Russie, cum suo dominio, per modum commutacionis pro terra *Topolczan* ([2]), illustri principi domino Ladislao duci Opulie, suo et nostro auunculo carissimo, pridem legitime appropriauit, demumque ducatus, terras, et dominia Cuyaviense et Dobrinense cum omnibus et singulis castris, civitatibus, districtibus, juribus, et dominijs eorundem, pleno jure, dominio et libertate, quibus eosdem ducatus et terras, ut verus heres et dominus, hereditarie ac libere possidebat, tam ex causa iuste ac simplicis et irrevocabilis donacionis, quam eciam per modum legitime permutacionis, pro dicta Terra Russie, prefato domino Ladislao duci Opulie, ac ipsius heredibus et successoribus legitimis iuste et perpetue donacionis ac legitime permutacionis titulo, hereditarie ac libere appropriavit. Quos quidem ducatus et Terras prefatus dux Ladislaus, ut verus heres et legitimus princeps et dominus hereditarius rexit, tenuit, et possedit multis annis pacifice et quiete. Quapropter prefato domino duci Ladislao, ut prefatos ducatus, terras et dominia, videlicet Dobrinense et Cuyauiense, communiter vel divisim, ut verus heres et legitimus eorundem dominus, principibus ecclesiasticis aut secularibus, ac alijs viris religiosis vel laicis, cuiuscumque status, gradus, condicionis, aut preeminencie existant, et specialiter venerabili et religiosis viris, domino W. (allenrodo) ([3]) magistro generali ordinis sancte Marie domus teuthunice, et eius fratribus perpetue vendere, obligare, vel donare, et resignare aut permutare, ac eciam in alios suos vsus iuxta suum beneplacitum libere convertere valeat, de nostre Regie potestatis plenitudine, accedente ad hoc serenissime principis domine Marie Regine Vngarie consortis nostre carissime, nec non prelatorum, baronum et nobilium Regni nostri consilio et consensu, plenam, liberam et omnimodam tenore presencium damus et concedimus facultatem harum nostrarum testimonio literarum. Datum *Schintanie* ([4]), proxima feria quinta post festum nativitatis Marie virginis gloriose, anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo tercio.

([2]) *Topolczany*, terra in Regno Hungariae sita.

([3]) Hoc anno mortuus est Supremus Magister Ordinis Teutonici in Prussia Conradus Wallenrodus, cujus vices obtinuit Conradus Jungingen; hic adhuc de Wallenrodo sermo esse videtur.

([4]) *Schinta*, urbs munita in Superiori Hungaria in comitatu Nitrensi, ad fluvium Waag sita.

CCCXXX.

Brestiae, anno 1394 die 1 mensis Aprilis.

Lacus inter villas *Lubotyn* et *Brzese* situs ecclesiae Wladislauiensi adjudicatur (1).

Nos Nicolaus judex brescensis recognoscimus uniuersis, ad quos peruenerit presens scriptum: quod cum in presencia serenissimi principis domini ac domini Semouithi, dei gracia ducis Mazouie et Cuyauie, et Nobilium terre dominorum infrascriptorum, videlicet: Crzeslai palatini Cuyauiensis, Alberti Brestensis, Johannis Cruszuiczienśis, Cristini Kowaliensis, castelanis (sic), Benikone (sic) protunc capitaneo Brestensi (sic), Meczslai Subcamerarij, Meczslai vexilliferi, Baba (sic), Johannis gladiferi, Lexandri (sic) subagazonis cuyauiensibus (sic), nec non aliorum dominorum, penes serenissimum dominum ducem et nos residencium, matheria (sic) questionis inter venerabilem virum dominum Nicolaum, cantorem wladislauiensis ecclesie, protunc actorem et possessorem hereditatis *Lubotin* dicte, ex parte reuerendi viri domini Henrici episcopi, et tocius capituli ecclesie predicte wladislauiensis, parte ab una, et nobiles viros Przibislaum et Andream de *Brzese* heredes, parte ab altera fuisset orta propter lacum et granicias ipsius lacus, inter has *Lubothin* et *Brzesze* hereditates iacentem: qui quidem venerabilis vir dominus cantor cum totali capitulo wladislauiensi, vero testimonio sufficienter aprobauit (sic) et allegan ter (sic) protestatus est, quod predicti heredes Przibislaus et Andreas de *Brzese*, ad predictum lacum nichil penitus iuridiccionis habere dinoscuntur: tandem nos, auditis partibus utrisque et allegacionibus eorumdem (sic), de consilio puro et unanimi consensu, ac mandato domini principis Semouiti et dominorum suprascriptorum, nullum timentes, solum deum cunctipotentem pre oculis habentes, venerabili viro domino Nicolao cantori, nec non domino Henrico episcopo, et toti capitulo prenominate ecclesie wladislauiensis, vero ac iusto iudicio et jure, perpetualiter adjudicauimus et presentibus adiudicamus predictum lacum ex toto ac inte-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti superest tantum taeniola pergamena.

graliter possidere, frui et tenere, cum omnibus uniuersaliter usibus, jure et dominio, de prato dicto *caplana lanka,* usque ad granicias ville dicte *Zacarzewo* (sic); prefatis vero Przibislao, Andree et ipsorum successoribus perpetuis temporibus propter ipsum lacum sillencium (sic) inponentes. Duntaxat excepto littore siue rippa ipsius lacus infra limites prenotatas (sic), in quo uel in qua ipsi pluries dicti Andreas et Przibislaus de *Brzesze* heredes, et ipsorum successores pro sua mensa tantum, cum gulgustris wlgariter *wirszami* (sic), et alijs paruis retibus, videlicet: *slabniczф a wanczerzmi* tenebuntur piscari, sagena autem excepta, qua quidem prenominati nobiles Przibislaus et Andreas cum suis successoribus perpetuis temporibus, nunquam in predicto lacu debent trahere et piscari. In cujus rey (sic) testimonium, sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum in *Brest*, feria quarta post dominicam letare, sub anno domini M° C° C° C° nonagezimo (sic) quarto, presentibus nobilibus viris supranotatis.

CCCXXXI.

Posnaniae, anno 1394 die 24 mensis Aprilis.

Henricus Episcopus Wladislauiensis promittit fidelitatem Wladislao Regi ac Regno Poloniae.

Dogieli Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 77 Nr. LXIX.

CCCXXXII.

Romae, anno 1394 die 15 mensis Junii.

Marinus Camerarius Papae, accepta ab Henrico Episcopo Wladislauiensi pecunia Camerae Apostolicae debita, eundem liberum reddit (¹).

Marinus, miseracione diuina sancte Marienoue Diaconus Cardinalis, domini Pape Camerarius, uniuersis et singulis presentes literas inspecturis

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario quodam privato in Regno Galliciae condito asseruatur, descriptum. Sigillum abruptum.

salutem in domino. Uniuersitati uestre notificamus per presentes: Quod Reverendus in Christo pater dominus Henricus, dei gracia Episcopus Wladislaviensis, pro complemento finalis solucionis sui communis seruicij, in quo camere apostolice sub certis penis et sentencijs, racione dicte sue ecclesie, extitit efficaciter obligatus, ducentos tresdecim florenos auri de camera, et solidos triginta unum monete Romane, nobis nil (sic) suluto (sic) sacro Collegio dominorum Cardinalium, et pro parte partis quatuor minutorum serviciorum consuetorum debitorum pro familiaribus et officialibus dicti domini nostri Pape, in quibus similiter extitit obligatus, triginta sex similes florenos et solidos decem et novem dicte monete Romane, Clericis Camere Apostolice proprio eorum et aliorum familiarium et officialium dicti domini nostri Pape nomine recipientibus, per manus honorabilis viri domini Petri Adolfi rectoris parochialis ecclesie sancte Catherine prope Wratislaviam, die datorum presencium, tempore debito solvi fecit realiter cum effectu. De quibus sic datis et solutis dictum dominum Henricum Episcopum, eiusque heredes et successores et dictam suam ecclesiam, tenore presencium quitamus (sic), absolvimus et eciam liberamus. Verum intellecta mole gravaminum pro parte dicti Reverendi patris domini Henrici Episcopi coram nobis exposita, que ipsum ad solvendum id, in quo dicte Camere pro residuo dictorum quatuor minutorum serviciorum consuetorum, racione dicte sue ecclesie extitit efficaciter obligatus, reddunt verisimiliter impotentem, auctoritate apostolica nobis in hac parte concessa, terminum faciende solucionis huiusmodi residui minutorum serviciorum usque ad festum resurreccionis domini nostri Jesu Christi, proxime futurum, prorogamus, et de novo assignamus eidem; ita tamen, quod si in solucione huiusmodi defecerit in termino sibi de novo constituto, penis et sentencijs, quibus antea ligabatur, sit astrictus, et eum in hijs scriptis declaramus astringi, et ipsum in easdem reincidere ipso facto. In quorum testimonium, presentes literas fieri et sigilli nostri Camerariatus officij iussimus appensione muniri. Datum *Romae* apud Sanctum Petrum, sub anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo quarto, indiccione secunda, die quintadecima mensis Junij, pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Bonifacij divina providencia Pape noni, anno quinto.

M. S. M. D. C. (Marinus Sancte Marienoue Diaconus Cardinalis).

CCCXXXIII.

Cracoviae, anno 1396 die 25 mensis Januarii.

Wladislaus Rex Poloniae, uxori suae Heduigi Reginae Poloniae terras Cujaviae et Russiae dotalitii nomine confert (1).

Wladislaus, dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavie, Lithuanie princeps Supremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres, et cetera. Significamus universis, quibus expedit, presencium noticiam habituris: Quod quanquam ad cunctorum nostrorum fidelium operanda comoda ex crediti nobis a Deo regiminis officio, continua meditacione aspiremus, decus tamen regium et specialissima sollicitudo nos invitavit, ut, Deo propicio, cum sole, prou tdecet Reges, cottidie splendeamus, atque nostrum et excelse Principis domine Hedvigis Regine Polonie, et heredis Vngarie, Regnorum, Lithuanieque Principis supreme, ac heredis Russie et cetera, nostre consortis carissime, statum statuamus felicem, de felici in felicius (sic), de prospero in uberius, et de aucto in amplius augeamus: neque in eo nostrum exorbitat propositum, nam consulcius est, ut, cum nichil cercius morte, et nichil incercius hora mortis sit in huius seculi arescentis peregrinacione humanis (!) agentes, nostrum et eiusdem domine Regine statum excelsa gloria extollamus taliter, quod in antea comoda Regni nostri incrementa obtineant adoptata: hijs idcirco racionabilibus causis moti, ultroneo baronum et consiliariorum nostrorum habito consilio, occasione veri et iusti dotalicij dicti wlgariter *Wano*, terras nostras Cuyauie et Russie, cum earundem omnibus castris, fortalicijs, civitatibus, municionibus, districtibus, villis, allodijs, suburbijs, censibus, redditibus, proventibus, obvencionibus, fructibus, utilitatibus, agris, pratis, campis cultis et incultis, graminetis, silvis, nemoribus, gaijs, virgultis, rubetis, quercetis, mericis, borris, pinetis, mellificijs, venacionibus, aucupacionibus, molendinis, piscinis, obstaculis, fluminibus, piscaturis,

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario quodam privato in Regno Galliciae condito asseruatur, descriptum. Sigillum deest.

stagnis, lacubus, paludibus, aquis et earum decursibus, omnibusque alijs et singulis pertinencijs, appendijs, et usufructibus vniversis factis et fiendis, prout easdem soli tenuimus et possedimus hucusque, totoque jure et dominio, prout in suis greniciebus (sic) longe, late et circumferencialiter ab alijs terris ab antiquo distincte sunt et limitate, nichil juris seu dominij in eisdem excipiendo vel reseruando, memorate domine Regine consorti nostre damus, conferimus, et ex certa nostra sciencia assignamus, tali tamen condicione interiecta: quod cum, altissimo volente, nos humanis eximi contingeret, ipsa domina Regina nostra consorte superstite remanente, extunc ipsas Terras Cuyauie et Russie, cum earundem omnibus pertinencijs et juribus antedictis, dicta domina Regina vsque ad vite sue tempora tenebit, habebit, pacifice possidebit et vtifruetur, secundum quod sue placuerit voluntati. Harum nostrarum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Actum Cracovie, in die Conversionis Sancti Pauli Apostoli, anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo sexto. Presentibus in Christo patribus, reverendis dominis: Dobrogostio Archiepiscopo Gnesnensi, Petro Cracoviensi, Nicolao Posnaniensi, Episcopis; Sandiuogio Kalisiensi, Johanne Sandomiriensi, Spithcone Cracoviensi, Johanne Liganza Lanciciensi, Palatinis; Cristino Sandomiriensi, Petro Kmitte (sic) Lublinensi, Johanne Wisliciensi, Johanne Woyniciensi, Cristino Sandecensi, Castellanis; Demetrio Marshalco, Petro Rpischca magistro Curie reginalis, et Strassio Castellano Malogostensi, ac alijs quam pluribus nostris fidelibus fide dignis. Datum per manus generosi Zaclice Aule nostre Cancellarij fidelis dilecti.

CCCXXXIV.

Lanciciae, anno 1397 die 20 mensis Junii.

Sędziwogius Palatinus Kalisiensis villam *Trzebatowo* Henrico Episcopo Wladislauiensi alienat, pro qua ab eodem Episcopo villam *Sławsko* ad vitae suae tempora tenendam obtinet (¹).

Nos Sandziuogius, palatinus Kalisiensis et capitaneus maioris Polonie generalis, significamus, quibus expedit, tenore presencium vniuersis presentibus et futuris: Quod villam *Trzebatowo* wlgariter nuncupatam (²), exnunc reuerendo in Christo patri domino Henrico, dei gracia episcopo wladislauiensi ipsiusque capitulo, cum omnibus juribus, dominio et pertinencijs vniuersis, resignamus. Cuius quidem ville uniuersis et singulis juribus et dominio renunciamus et abrenunciamus tenore presencium mediante. Et si super hujusmodi villa haberemus priuilegiorum seu literarum aliqua munimenta, ipsa ex nunc cassamus, cancellamus, destruimus presentibus et anichilamus, quod de cetero nullum omnino robur habere valeant firmitatis. Loco cuius quidem resignacionis ville predicte *Trzebatowo*, idem reuerendus in Christo pater dominus Henricus episcopus wladislauiensis, de voluntate et consensu concordi sui capituli, hereditatem suam *Slawsco* nobis donauit tenendam et usufruendam ad tempora dunptaxat (sic) nostre vite. Post tempora autem nostre vite tacta (sic) hereditas *Slawsco* ad mensam memorati dominj episcopi wladislauiensis, ipsiusque capituli, cum omnibus frumentis in terrâ seminatis, et super terram collectis deuoluetur uiceuersa, quauis contradiccione non obstante. Harum nostrarum, quibus nostrum sigillum apensum (sic) est, testimonio literarum. Actum et datum *Lancicie*, feria quarta proxima infra octauas sancte et indiuidue trinitatis, anno domini millesimo CCC nonagesimo septimo.

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniola pergamena appensum est sigillum minoris formae, in cujus medio in scuto triangulari effictum est insigne Topor dictum. In ambitu ejus haec est inscriptio: „† *s. sandiwogii. . . . pal. . . . alisien. . .*"

(²) Est procul dubio *Trzebiatowo* villa territorii et regionis Opoczneusis, provinciae Sandomiriensis.

CCCXXXV.

Mariaeburgi, anno 1397 die 20 mensis Junii.

Magister ordinis Theutonici certiorem reddit Reginam Poloniae Hedvigim, se Ladislaum ducem Opoliae monuisse, ut terram Dobrinensem redimat.

Raczyńscii „Codex dipl. Lituaniae" p. 81.

CCCXXXVI.

Raciensi, anno 1398 die 13 mensis Septembris.

Henricus Episcopus Wladislauiensis privilegium cuidam Januschio sculteto villae *Brzesno* anno 1348 datum innovat et ratum esse jubet (1).

In nomine dominj, amen. Nos Henricus, divina et apostolice sedis providencia Episcopus ecclesie Wladislaviensis, notum facimus quibus expedit universis, presencium noticiam habituris: Quod ad nostram accedens presenciam Januschius dictus dux, scultetus nostre ville *Brzesno*, in districtu Raczenzansi situate, nobis exposuit, qualiter privilegium super locacione ville eiusdem olim sculteto concessum, sit casu fortuito perditum: propter quod timens sibi ac suis heredibus et legittimis successoribus periculum imminere, et juri suo deperire, nobis humiliter supplicavit, ut privilegium huiusmodi innovare sibi dignaremur. Cum autem transscriptum huiusmodi privilegij in thezauraria ecclesie nostre inquiri diligenter fecimus, ipsius tenorem reperimus in hec verba:

(Sequitur privilegium anni 1348, *quod vid. ad eundem annum N*ro CCLXXXI *p.* 278*)*.

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Duo sigilla appensa funiculis sericis, prius formae rotundae funiculo serico coloris viridis, habet scutum triangulare in quatuor campos divisum, quorum primus superior campus a dextra, et quartus inferior a sinistra parte repraesentant aquilas, in duobus reliquis campis transversaliter positis effictae sunt tabulae latrunculatae. Inscriptio in ambitu haec est: *„s. ducis heinrici dei gra. epi. wladi."* Alterum sigillum formae ovatae, quo vulgo capitulum ecclesiae Wladislauiensis utebatur, appensum est funiculo serico coloris rosei.

Nos igitur peticionem ipsius sculteti prefati fore iustam attendentes, sibi privilegium huiusmodi per omnia innovando, de voluntate honorabilium fratrum nostrorum capituli Wladislaviensis, et ipsius accedente consensu, sub tenore premisso duximus concedendum, volentes et decernentes, quod eandem vim in omnibus et per omnia cum originali privilegio debeat obtinere. Datum et actum *Raczans*, die XIII mensis septembris, anno dominj millesimo trecentesimo nonagesimo octavo. Presentibus honorabilibus viris, dominis: Andrea preposito, Nicolao Palatini (sic) decano, Johanne scolastico, wladislaviensibus; Jarando cantore Cruschwiciensi et Canonico Wladislaviensi, fide dignis testibus ad premissa.

CCCXXXVII.

Wolboriae, anno 1398 die 25 mensis Septembris.

Henricus Episcopus Wladislauiensis priuilegium sculteto villae *Srocko* anno 1370 datum innovat et ratum esse jubet (¹).

In nomine domini, amen. Nos Hejnricus, divina et apostolice sedis providencia Episcopus ecclesie Wladislaviensis, notum facimus universis presencium noticiam habituris: Quod ad nostram accedens presenciam Anna relicta Stanislai, olim sculteti de *Sirośkb*, nobis exposuit, qualiter privilegium olym super locacione ipsius ville sculteto concessum, sit consumptum vetustate, timensque exinde sibi et suis posteris imminere periculum succedente tempore, ac iuri suo deperire, nobis humiliter supplicavit, ut privilegium huiusmodi sibi dignaremur innovare. Cum autem ipsum nobis videndum exhibuit, illud adeo conperimus ex incauta ac minus diligenti conservacione consumptum et in pluribus locis diruptum, quod difficulter legi potuit, tamen ipsius mentem fore elicuimus tenoris, qui sequitur in hec verba:

(Sequitur privilegium anni 1370, *quod videatur ad hunc annum Nro* CCCXI *p.* 316*).*

Nos igitur supplicacionibus ipsius favorabiliter annuentes, ipsum privilegium sibi duximus innovandum sub eo tenore, qui supra premittitur, nostri

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Huic tabulae appensa sunt duo sigilla talia, qualia in proxime praecedenti tabula descripta sunt.

Wladislaviensis Capituli ad hoc accedente consensu, decernentes, quod eandem vim, quam originale privilegium habere dinoscebatur, in omnibus et per omnia debeat obtinere. In cuius rei testimonium, nostrum dictique nostri Wladislaviensis Capituli sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum *Woyborz*, die XXV mensis septembris, anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo octavo. Presentibus honorabilibus viris, dominis: Andrea Preposito, Nicolao Palatini decano, Johanne Scolastico, Johanne Rola, et Petro Sliwka, canonicis Wladislaviensibus, et alijs pluribus fide dignis.

CCCXXXVIIII.

In villa Miroslawice, anno 1399 d. 30 m. Septembris.

Smychna vidua Georgii dicti Rzepka sculteciam villae *Miroslawice* Michaëli kmetoni vendit (1).

Nos Mscislaus major venator Lanciciensis, procurator et tutor preposituro Lanciciensis generalis, notum facimus tam presentibus quam futuris, quibus necesse fuerit universis: Quomodo honesta domina Smychna, olim relicta Georgii dicti Rzepka, non compulsa, nec coacta, sed spontanea voluntate, cum suis pueris sculteciam suam in *Miroslavicze*, villa capituli Lanciciensis sita in districtu Lanciciensi (2), videlicet duos mansos liberos, prout in priori privilegio continetur, famoso viro Michaëli Kmethoni vendidit libere vendicionis titulo et resignavit, nichil iuris aut dominij pro se et pro suis liberis reservando, cum omnibus utilitatibus, obvencionibus ad predictos mansos pertinentibus, pratis, pascuis, agris, et aquarum decursibus tenendam, habendam, possidendam, et in usus beneplacitos convertendam, vendendam, permutandam, ac pacifice possidendam. Quam quidem vendicionem, empcionem, resignacionem de mandato ac consensu capituli Lanciciensis predicti, [per] presentes literas duximus roborandas. In cuius

(1) Ex transsumpto membranaceo anni 1473 in tabulario capituli Wladislauiensis asseruato descriptum.
(2) *Miroslawice* villa territorii Lanciciensis regionis Zgierscensis.

rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum *Miroslavicze*, in crastino sancti Michaëlis Archangeli, anno domini M° CCC° nonagesimo nono. Presentibus nobilibus viris: Nicolao de *Dambrowa*, Derslao de *Chrzastowo*, Derskone de *Kechrze*, Dobkone de *Ossandovicze*, et Floriano de *Brachovicze*, heredibus (3), testibus ad premissa specialiter vocatis et rogatis.

(3) Nomina harum villarum sunt: *Dąbrowa*, *Chrząstów*, *Brachowice* regionis Zgierscensis, *Osędowice* regionis Lanciciensis, omnes territorii Lanciciensis; *Kechrze* forsitan *Kiejsze*, villa territorii et regionis Koninensis.

CCCXXXIX.

Cracoviae, anno 1398 die 14 mensis Novembris.

Creslaus haeres de *Kościelec* Palatinus Cujaviensis, promittit se semper Regi Wladislao fidelem fore, neque eum tam in secundis, quam in adversis deserturum.

Tom. I. h. c. p. 267 Nro CXLIX.

CCCXL.

Piotrkoviae, anno 1399 die 21 mensis Octobris.

Nicolaus de *Kurow* Episcopus Wladislauiensis Przeczslao Mleczkowicz molae ab ipso in fluuio *Lagowica*, intra moenia oppidi Lagow, constructae tertiam metretam, item alia emolumenta largitur (1).

In nomine dominj, amen. Ad rei memoriam sempiternam. Nos Nicolaus de *Curow*, dei gracia episcopus Wladislauiensis, significamus, quibus expedit vniuersis, tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris: Quod cupientes bona mense nostre episcopalis, quantum possumus amplius dilatare, considerataque diligenti perseuerancia et peruigili sollitu-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti superest tantum funiculus sericus coloris cerasini.

dine (sic), quibus laboribus vir Przeczslaus cognomine Mleczkowicz molendinator in edificando seu construendo noua seu prima peraccione molendinum in fluuio dicto *Lagouicza* in loco, qui dicitur *Wbrogow* intra granicies opidi nostri, absque dampno predictorum oppidanorum in *Lagow*, recipiendo (sic) ab eodem molendino, usque ad semitam antique piscine potest rodere et fodere, et aliam partem (sic) vero potest sibi facere pratas (sic) ex utraque parte fluuij recipiendo a molendino usque ad *Gosszdecz* et ad viam eundo ad *Ganszicze*, et ad riwlum dictum *Wolanka* siue *Wolska struga* ([2]), et terciam dimidiam marcam de censu non plus, extitit nobis commendatus, eidem Przeczslao, suis liberis et legittimis successoribus terciam metretam seu mensuram eiusdem molendini et omnium emolimentorum in ipso, sub ratihabicione venerabilium fratrum nostrorum capituli ecclesie nostre wladislauiensis predicte, dedimus, contulimus et assignauimus, damusque, conferimus et assignamus tenore presencium, jure hereditario perpetue possidendam, tenendam, habendam, vendendam, commutandam, alienandam, et pro eorum beneplacito libere conuertendam. Damusque dicto Przeczslao, et suis successoribus legitimis, ad eandem terciam partem seu metretam dicti molendini ortum, pratum in siluis, et aliquot iugera seu stadia agrorum in mericis penes idem molendinum, sine tamen preiudicio incolarum dicti opidi nostri *Lagow*, facultatem et licenciam extirpandi. Ceterum prefatus Przeczslaus et sui successores in dote seu in curia nostra, cum ceteris molendinatoribus in districtu lagouiensi existentibus, iuxta consuetudinem antiquam, hostia, mensas facere, et foramina ceteraque huiusmodi tenebuntur reparare, dum super hoc per procuratores nostros et nostrorum successorum fuerint requisiti. Hoc eciam adiecto, quod pro lapidibus molaribus et frumentis ad ipsum molendinum oportunis, nos et nostri successores duas partes, prefatus vero Przeczslaus et sui successores terciam inpendere debebimus, sic tamen, quod ligna reparacioni eiusdem molendini, prius dictus Przeczslaus et sui successores custodire ac ordinare, aptareqe ac ipsum molendinum reparare suis inpensis, et nos nostrique successores conducere tenebimur. Ceterum aggerem seu

([2]) Situs locorum hic laudatorum facile in tabulis geographicis designari possunt. Fluvius *Łagowica*, et in propinquo ejusdem villa *Gęsice* sunt in territorio et regione Opatoviensi.

obstaculum piscine iam dicti molendini sepe dictus Przeczslaus et sui successores custodire ac temptare (sic) sint astricti, sic, quod in ipsa piscina nobis et nostris successoribus nullum dampnum seu periculum subsequatur. Cum vero eundem aggerem affuerit reformandi necessitas, extunc nos et nostri successores, recepta prenunciacione seu requisicione prefati Przeczslai et suorum successorum super eodem aggere reformando, ferrum, rubetum et alia huiusmodi, ad eandem reformacionem necessaria, nec non homines tenebimur [in] auxilium ministrare; cum quibus quidem hominibus pluries factus (sic) Przeczslaus et sui successores dictum aggerem debebunt, dum et quociens oportunum fuerit, reformare. Harum, quibus nostrum et dictorum fratrum nostrorum capituli wladislauiensis sigilla appensa sunt, testimonio literarum. Actum et datum in *Pyrkow* (³), feria tercia ipso die undecim milium virginum, anno dominj millesimo trecentesimo nonagesimo nono. Presentibus strennuo (sic) et nobilibus viris, dominis: Imramo de *Swinari*, genero nostro, Johanne Rey de *Dzewyanthle*, Zauissio rubeo de *Brzegy*, Nicolao Sobolewskij procuratore nostro lagouiensi, Jancone dicto Borutha, herede in *Conyn*, et Negoslao ville nostre episcopalis *Newskarzow* sculteto (⁴), alijsque pluribus fide dignis.

(³) In aversa tabulae parte legitur: *clavis Piercoviensis*, in aliis tabulis *Pierkoviensis;* intelligitur hic villa *Piorkow* circa oppidum *Łagów* sita.

(⁴) Nomina harum villarum sunt: *Swiniary*, *Dziewiątle*, territorii Sandomiriensis, regionis Staszoviensis; *Brzegi*, villa territorii Kielcensis, regionis Jędrzejoviensis; *Konin*, villa territorii Wielunensis, regionis Częstochoviensis; *Nieskorzów*, villa territorii et regionis Opatoviensis.

CCCXLI.

Mariaeburgi, anno 1403 die 29 mensis Septembris.

Privilegium a Conrado Jungingen Supremo Magistro Ordinis Cruciferorum oppido *Bobrowniki* concessum.

Hip. Gawarecii „Przywileje udzielone miastom Województwa Płockiego" p. 37.

CCCXLII.

Wladislaviae, anno 1403 die 6 mensis Novembris.

Decima manipularis straminum villae *Smolsko* Nicolao Weleweski Canonico Wladislauiensi adjudicatur (1).

In nomine domini, amen. Nouerint quibus expedit vniuersi: Quomodo cum suscitata fuisset coram nobis, Nicolao de *Jassona*, Canonico et Officiali Wladislauiensi, inter honorabilem virum dominum Nicolaum Weleweski, Canonicum Ecclesie Wladislauiensis, actorem ex una, et nobilem Borscha, heredem in *Smolsko*, laycum Wladislauiensis, diocesis, reum parte ax altera, de et super straminibus decime manipularis in *Smolsko* ad dictum dominum Weleweski Canonicum, racione suorum canonicatus et prebende, quos (sic) in Ecclesia Wladislauiensi obtinet, spectantibus materia questionis: ipseque dominus Nicolaus Canonicus per Egidium Nicolai de *Opatouia* (2), aduocatum consistorii Wladislauiensis, procuratorem suum legitimum apud acta coram constitutum, in et contra dictum nobilem Borscha egisset querulando, quod de medietate straminum decime in *Smolsko* ad dictum dominum Nicolaum canonicum pertinentium se intromisisset, et eam de anno presenti recepisset nescitur quo jure: asserens dictum dominum Nicolaum Canonicum in media sexagena grossorum fore dampnificatum, ad quam soluendam ipsum petiit compelli, sibique inhiberi, ne in posterum de dictis straminibus se immisceat vel intromittat, vijs et remedijs juris opportunis. Ad quam quidem accionem verbalem in modum *Poste* oblatam, dictus Borscha pluribus dilacionibus et terminis ad deliberandum seruatis, animo litem contestandi respondit recognoscens: se partem dictorum straminum iuxta antiquam consuetudinem suorum predecessorum recepisse. Nos quoque, Officialis predictus, post litem, sic ut premittitur, contestatam, attendentes, quod, jure diuino disponente, illius debeat esse stramen cum palea, cujus et gra-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti nonnisi taeniola pergamena, qua appensum erat, superest.
(2) *Smolsko* villa regionis Wartensis, *Opatowek* regionis Calissiensis, ambae territorii Calissiensis. Plures sunt villae *Jasienia* vel *Jasionna* dictae.

men existit: interloquendo dicto Borsche iniunximus, precepimus et mandauimus, ut de cetero de dictis straminibus decime in *Smolsko* predicte, domino Nicolao Canonico predicto debite se non immisceat, sed permittat eundem et eius successores legitimos de eisdem straminibus decime supratacte, iuxta eorum libitum et voluntatem, disponere et gaudere: consuetudine per ipsum allegata, que pocius corruptela quam consuetudo dicitur, non obstante. Ad quod faciendum mox dictus Borscha se obligauit et promisit premissa impleturum. Statimque dominus Nicolaus Canonicus predictus, obligacione et promisso huiusmodi auditis, recepcionem straminum predictorum dicto Borsche (sic), alias factam per ipsum, indulsit et pepercit, dimittens de eadem recepcione et intromissione liberum et solutum. Lata et pronunciata est hec nostra sentencia et obligacio ac promissio huiusmodi facta sub anno domini millesimo quadringentesimo tercio, indiccione undecima, die sexta mensis Nouembris, hora nona vel quasi, in *Wladislauia*, in domo habitacionis nostre, nobis pro tribunali sedentibus, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Bonifatij, diuina prouidencia pape noni anno quarto decimo. Presentibus discretis dominis: Paulo Johannis de *Rippin*, Notario publico Plocensis, Nicolao Petri de *Pleszewo*, Baccalaureo in artibus, et Andrea Domaslai de *Vneow*, Gneznensis diocesis clericis (3). In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium, presentes literas per Boguslaum Notarium publicum infrascriptum scribi et publicari fecimus, nostrique officiolatus (sic) sigilli appensione iussimus communiri.

(S. N.) (4) Et ego Boguslaus Przybislai de Swinky, clericus Wladislauiensis diocesis, publicus, imperiali auctoritate, Notarius ac cause presentis coram honorabili domino Officiali predicto scriba: quia predictis sentenciacioni, obligacioni et promissioni, ac alijs premissis presens interfui, eaque omnia et singula premissa sic, ut premittitur, fieri vidi et audiui; ideo in hanc publicam formam, de mandato dicti domini Officialis, manu propria conscribendo redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis, una cum

(3) *Rypin* oppidum regionis et territorii Lipnensis; *Pleszew* (Pleschen) oppidum territorii Posnaniensis, regionis caput.

(4) Signum Notarii idem, quod in tabula anni 1403 proxime sequenti, effictum cernitur.

appensione sigilli Officiolatus dicti domini Officialis consignaui, rogatus et requisitus, in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

CCCXLIII.

Wladislaviae, anno 1403 die 8 mensis Novembris.

Decima praedialis villae *Gogolina* Slavoborio plebano Byszeviensi adjudicatur (¹).

In nomine domini, amen. Nos Nicolaus de *Jassona*, Canonicus et officialis Ecclesie Wladislaviensis. Ad universorum tam presencium quam futurorum, quibus expedit, noticiam deducimus per presentes, et publice profitemur: Quod cum inter discretum virum dominum Slawoborium, Rectorem ecclesie parrochialis in *Bisschowia*, actorem ex una, et nobilem Thomam, heredem in *Gogolina*, laycum Wladislaviensis diocesis, reum parte ex altera, de et super decima prediali seu de aratura dicti Thome in *Gogolina*, coram nobis fuisset suborta materia questionis; ipseque Thomas, heres in *Gogolina* predictus, per nostros certi tenoris processus, racione et occasione predicte decime predialis in *Gogolina*, ad instanciam domini Slawoborij, plebani in *Bisschowia* predicti, per non modicum temporis decursum, fuisset publice denunciatus excomunicatus; tandem dictas nostras excommunicacionis sentencias amplius sustinere non valens, nostram presenciam accessit petendo, se per nos a sentencijs excommunicacionis predictis absolvi ad cautelam, promittens juri parere. Nos quoque tunc eius peticionibus inportunis acclinati, ipsum Thomam a sentencijs excommunicacionis predictis, caucione Juratoria ab ipso de juri parendo recepta, absolvimus et citacionem contra dominum Slawoborium, plebanum predictum, ad prosequendum causam huiusmodi decrevimus et dedimus. Quo quidem termino citacionis adveniente, dictisque domino Slawoborio et Thoma coram nobis comparentibus, idem dominus Slawoborius decimam predialem a dicto Thoma in *Gogolina* jure parrochiali seu communi deposcebat petens, eam sibi et sue ecclesie per nos senten-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti superest tantum taeniola pergamena.

cialiter adiudicari, cum nulli alteri eam prestet. Ad quam peticionem simplicem dictus Thomas litem contestando respondit, quod eam nunquam alicui dedit, nec modo dare vellet. Nos quoque Nicolaus Canonicus et Officialis predictus, predictis litis contestacione et alijs auditis et debite masticatis, animo deliberato, pro tribunali ad jura reddenda sedentes, dictam decimam predialem in *Gogolina* prefato domino Slawoborio plebano et sue ecclesie in *Bisschowia* perpetue adiudicavimus et presentibus adiudicamus, dicto Thome demandantes, ut de cetero singulis annis prefato domino Slawoborio et suis successoribus legittimis, semoto quovis difficultatis scrupulo, eam integraliter more nobilium in manipulis solvat et prestet. Ad quod faciendum idem Thomas, heres de *Gogolina* predictus, se obligavit et promisit inplere sibi per nos demandata. Lata est et fuit dicta nostra sentencia ac obligacio et promissio facta, sub anno domini millesimo quadringentesimo tercio, indicione undecima, die octava mensis Novembris, in *Wladislavia*, in domo habitacionis nostre, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Bonifacij, divina providencia Pape noni, anno quartodecimo, presentibus ibidem discretis viris, dominis: Nicolao Moijses plebano in *Lubothin*, et Martino de *Sampszicze* (²), presbitero Wladislaviensi, testibus ad premissa. In cuius rei testimonium, presentes litteras per Boguslaum Notarium publicum infrascriptum scribi et publicari fecimus, nostrique officiolatus (sic) sigilli appensione mandavimus communiri.

(²) Sine dubio villa *Zambrzyca* territorii et regionis Lipnensis. De aliis villis vid. Ind. II.



Et ego Boguslaus Przybislai de Swinki, clericus Wladislaviensis diocesis, publicus, Imperiali auctoritate, Notarius, ac cause presentis coram honorabili domino Officiali predicto scriba: Quia premissis sentenciacioni, obligacioni et promissioni, dum sic ut premittitur agerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, et ideo manu propria conscribens in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis, una cum appensione sigilli Officiolatus dicti domini Nicolai Officialis, de eius certa sciencia, consignavi, in fidem et testimonium singulorum premissorum.

CCCXLIV.

Wladislaviae, anno 1404 die 20 mensis Februarii.

Decima campestris villae *Siewiersk* Nicolao Weleweski Canonico Wladislauiensi adjudicatur (¹).

In nomine domini, amen. Nos Nicolaus de *Jassona*, Canonicus et Officialis Ecclesie wladislaviensis. Ad universorum tam presencium quam futurorum, quibus expedit, noticiam tenore presencium deducimus: Quod pridem vertente ac vertentibus coram nobis causa seu causis inter honorabiles et discretos viros, dominos: Nicolaum Weleweski, Canonicum Wladislaviensem, actorem ex una, et Stanislaum Rectorem parrochialis ecclesie in *Choczen*, Wladislauiensis diocesis, reum parte ex altera, de et super decima

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis.

campestri de agris rusticorum depulsorum in *Szewersko*, et eius occasione; in qua et in quibus Dadzbogio Welislai de *Pedunino*, clerico Wladislauiensis diocesis, dicti domini Nicolai Weleweski, Canonici Wladislaviensis, et Egidio Nicolai de *Opatovia*, procuratore Consistorij Wladislaviensis, dicti domini Stanislai, plebani in *Choczen*, procuratoribus, ac nominibus procuratoriis, de quorum sufficientibus mandatis hinc inde in actis causarum legittimis constabat et constat documentis, in termino ad dandum et ad recipiendum, darique et recipi videndum libellum sive summariam peticionem, coram nobis comparentibus: idem Dadzbogius procurator et nomine procuratorio dicti domini Nicolai Canonici libellum in scriptis obtulit iudicialiter, et realiter produxit; cuius quidem libelli tenor sequitur in hec verba:

Coram vobis, honorabili viro domino Nicolao Canonico et Officiali Wladislaviensi, nec non Judice deputato ordinario loci, procurator et nomine procuratorio honorabilis viri domini Nicolai Weleweski, Canonici prebendati ecclesie wladislaviensis, contra et adversus discretum virum dominum Stanislaum, rectorem parrochialis ecclesie in *Choczen*, et contra et adversus quamlibet personam pro eo et eius nomine in vestro judicio legittime intervenientem, dicit et proponit maxima cum querela: quod licet villa vulgariter nuncupata seu eciam appellata *Szewersko*, in territorio Cuyaviensi, Wladislaviensis diocesis, situata, penes *Popowicze* et *Sirosszewo* parte ex una, ex alia vero penes *Cruchowo* et *Swanthniki*, et cum omnibus dictis villis fuisset et est limitata: in dicta vero hereditate seu villa *Szewersko* (²) fuerunt et nunc sunt quatuor ~~mansi seu lanei, vulgariter nuncupati~~ *Srzebe*, quos kmethones pro se arabant et colere consueverant; de quibus quatuor mansis decima manipularis et campestris cuiuslibet grani de dictis agris seu mansis, per Kmethones ibidem cultis, ad ecclesiam Cathedralem Wladislaviensem et ad eius Canonicos seu eciam prebendarios pertinebat et spectabat, pertinere et spectare videbatur a X. XX. XXX. XL. L. annis, citra et ultra cuius in contrarium memoria hominum non existit, dictamque decimam et emolimenta dictus dominus Weleweski et predecessores sui ab annis suprascriptis habuerunt, possederunt a tanto tempore et per tantum tempus,

(²) *Chocen* et *Sieroszewo* villae regionis Kowaliensis; *Popowice* (osada), regionis Brzestensis; *Krukowo*, regionis Kowaliensis, omnes vero Cujaviensis territorii; *Siewiersk* et *Swiątniki* ibidem.

jure et nomine et racione dicte matricis Ecclesie Wladislaviensis, habueruntque dicti predecessores et ipse dominus Nicolaus habuit meram et pacificam possessionem dicte decime, cum omni jure levandi, tollendi et percipiendi usque ad presens tempus subtraccionis sue; nupper (sic) tamen dictus dominus Stanislaus, plebanus dicte ecclesie in *Choczen*, nescitur quo ductus spiritu, ymmo (sic), si phas (sic) est dicere, sacrilego, dictam Ecclesiam Wladislaviensem et dictum dominum Nicolaum Weleweski de dicta decima in *Swersko* (sic) anno presenti spoliavit, subtraxit, et nunc detinet et cetera. Quare petit dictus procurator nomine quo supra, per vos honorabilem virum dominum Judicem, et vestram sentenciam diffinitivam pronunciari, decerni et declarari, predictos quatuor mansos, vulgariter *Srzebe*, ibidem in dicta hereditate *Szewersko*, Wladislaviensis diocesis, ab annis suprascriptis per kmethones cultos, et de ipsis quatuor mansis decimam manipularem omnium frugum ibidem crescencium cuiuslibet grani, ad ecclesiam dictam Wladislauiensem et ad ipsius ecclesie Canonicum et prebendarium pertinere debere, et ipsam propter culturam nobilium, qui prius fuerunt culti per kmethones, perire non debere; dictumque dominum Stanislaum plebanum dicte ecclesie in *Choczen*, de dicta decima dictum dominum Nicolaum temerarie, male, inique et iniuste spoliasse et spoliare; ipsamque decimam manipularem et eius emolimenta dicto domino Nicolao et dicte ecclesie Wladislaviensi adiudicari et adiudicanda fore, et omnes alios fructus de dicta decima per dictum Stanislaum perceptos fore restituendos et restitui debere; de dictaque spoliacione, subtracione (sic) temeraria, mala et iniqua, eidem perpetuum silencium imponendum fore et imponi; ipsamque spoliacionem, subtraccionem (sic) per ipsum factam temerariam, malam, iniustam fore et esse; et ob hoc, quod scienter fecit contra statuta, sentenciam canonis incurrere, prout evidenter apparet ipsum incurrisse; et nichilominus in predicta media altera sexagena grossorum condempnandum et condempnari debere; condempnatumque ad solvendum compelli, nec non in expensis iam factis, vestra tamen judiciali taxacione mediante, seu eciam quod ordo juris swadebit (sic) et dictaverit racionis super premissis, vos et vestrum benignum officium humiliter implorando; et predicta dat coniunctim et divisim et petit jure, modo, via, forma et causa, quibus melius et effica-

cius potest et debet, salvo jure addendi, minuendi, corrigendi, et de novo aliam sive alias peticionem seu peticiones dandi et producendi, ut in forma.

Post cuius quidem libelli oblacionem, mox prefatus procurator et procuratorio nomine dicti domini Stanislai, plebani in *Choczen*, copiam dicti libelli sibi dari petivit, et terminum certum ad deliberandum assignari. Et nos, eisdem consencientibus et presentibus, certum terminum peremptorium et competentem ad deliberandum statuimus. Quo quidem termino veniente, dictis Dadzbogio actoris, et Egidio rei, procuratoribus, ac nominibus procuratorijs quibus supra, coram nobis comparentibus, idem Egidius, procurator partis ree, ipsius nomine quoddam compromissum alias inter ipsas partes super eadem decima factum allegavit, et circa idem compromissum quo supra nomine vellet (sic) stare, ac se admitti postulavit, et partem sibi adversam compelli ad standum circa idem compromissum. Et nos, procuratoribus predictis presentibus et consencientibus, terminum ad interloquendum statueramus competentem; et, eodem termino adveniente, dictis Dadzbogio et Egidio, procuratoribus parcium predictarum, ipsarum nominibus coram nobis comparentibus et petentibus, nos interlocuti fuimus mandantes dicto Egidio procuratori partis ree respondere libello pro (!) parte (!) sibi adversa (!) oblato, compromisso, quod allegaverat, non obstante. Post cuius quidem nostre interlocutorie lacionem, mox dicto Egidio, procuratori partis ree, petenti terminum ex superhabundanti (sic) ad respondendum libello, de voluntate et consensu Dadzbogij procuratoris partis actricis, prefiximus competentem. Adveniente itaque termino memorato, Dadzbogius partis actricis, et Egidius partis ree, procuratores predicti coram nobis comparentes, et termino huiusmodi satisfacientes, idem Egidius procurator et nomine procuratorio dicti Stanislai, plebani in *Choczen*, litem contestando respondit, negans narrata prout narrantur, et petens petita fieri non debere, addiciens (sic), quod pars sua tantum decimam de agris heredum in dicta *Szewersko* et dominio eorum recipiat et non rusticorum. Post quamquidem litis contestacionem, nos juramentum calumpnie a dictis procuratoribus in animam constituencium exegimus, et terminum certum ad ponendum et articulandum, ponique et articulari videndum, procuratoribus eisdem petentibus et consencientibus, assignauimus; et eodem termino veniente, predictis Dadzbogio, dicti Nicolai Canonici, et Egidio, Stanislai plebani, procuratoribus coram nobis comparen-

tibus, idem Dadzbogius procurator et nomine procuratorio, quo supra, peticiones et articulos in scripto obtulit, quorum copia Egidio procuratori partis ree petenti per nos fuit decreta, et terminus competens ad respondendum eisdem, alias ad contradicendum, erat assignatus: et ipso termino veniente, utraque pars termino non satisfecit; sed expost Dadzbogius procurator et nomine procuratorio dicti domini Nicolai Canonici, et dominus Stanislaus, plebanus de *Choczęn*, citatus ad respondendum articulis coram nobis comparentes, idem Stanislaus, pars rea, medio juramento ad articulos respondit, prout eisdem apud acta cause est et erat annotatum. Qua quidem responsione ad articulos facta, nos super negatis articulis dicto Dadzbogio procuratori actoris, ad hoc eciam se procuratorio nomine offerenti, probacionem indiximus, certum terminum et competentem ad probandum statuentes. Adveniente itaque termino memorato, Dadzbogius actoris, et Egidius rei, procuratores predicti coram nobis comparentes, idem Dadzbogius procurator et nomine procuratorio, quo supra, citacionem alias sibi per nos contrá testes datam cum debita sui execucione produxit, et contumaciam testium citatorum et non comparencium accusavit, ac terminum pro secunda delacione (sic) ad producendum alios testes ac citacionem contra eosdem sibi dari petivit. Nos quoque dictorum testium citatorum et non comparencium exigente contumacia, ipsos reputantes pronuncciavimus contumaces, et ob huiusmodi contumaciam certos processus, sentencias excommûnicacionis in se continentes, ac citacionem contra testes alios dicto Dadzbogio procuratori actoris petenti decrevimus, et dedimus certum terminum ad probandum, pro secunda dilacione statuentes. Veniente itaque termino memorato, dictus Dadzbogius domini Nicolai Canonici, et Egidius Stanislai plebani, procuratores predictorum, coram nobis comparentes, idem Dadzbogius procurator et nomine procuratorio, quo supra, quinque testes citatos, et expost alios tres testes, qui alias coram comparere non curaverant in termino eis assignato, et per nos sentencijs excommunicacionis et agravacionis fuerant innodati, prodûxit, et eosdem absolvi, recipi et admitti postulavit: et nos eosdem testes, recepta caucione ab ipsis de obediendo, absolvimus et in dicti Egidij, procuratoris domini Stanislai plebani predicti, presencia recepimus, admisimus et ab eis, et quolibet eorum, juramentum de dicenda veritate ad sanctam Dei crucem, manibus corporaliter tactam, exegimus; ipsosque

examinari fecimus. Post quorum quidem testium examina, dictis Dadzbogio actoris, et Egidio rei, procuratoribus, in judicio coram nobis comparentibus et petentibus ac consencientibus, dicta seu deposiciones testium fuerunt publicate: post quarum deposicionum publicacionem, procuratoribus partis utriusque predictis in causa huiusmodi concludentibus, et per nos concludi petentibus, nos in causa huiusmodi conclusimus, servato ad hoc termino speciali; et ipsis habentibus pro concluso certum terminum peremptorium et competentem ad ferendam diffinitivam sentenciam statuimus. Quo quidem termino adveniente, et dictis Dadzbogio actoris, et Egidio rei, procuratoribus, nominibus quibus supra, comparentibus coram nobis, et sentenciam diffinitivam ferri petentibus, nos vero Nicolaus de *Jassona*, Canonicus et Officialis antedictus, visis primitus et diligenter inspectis omnibus actis, acticatis et alijs productis, testiumque deposicionibus, in causa huiusmodi factis, habitis et productis: [ad] diffinitivam sentenciam in scriptis ferendam duximus procedendum, et processimus, eamque pro parte domini Nicolai Weleweski, Canonici Wladislaviensis, et contra partem sibi adversam tulimus in hunc modum: Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, et solum Deum pre oculis habentes, in causa vertente inter honorandos viros dominos Nicolaum Weleweski, Canonicum Wladislaviensem, ex una, et Stanislaum, plebanum in *Choczen*, parte ex alia, occasione decime manipularis in *Szewersko*, visis actis, acticatis, attestacionibusque et alijs productis, coram nobis hinc inde usque ad cause conclusionem debite masticatis, deliberacione et juris peritorum consilio prehabitis, per ea, que vidimus et cognovimus, et nunc cognoscimus et videmus, dicimus, pronunciamus et diffinimus decimam manipularem seu campestrem in *Szewersko* in et de quatuor laneis, quorum duo sunt sub Boguslao, et duo sub Paulo de *Bonewo*, heredibus in *Szewersko*, in quibus olim rustici resederunt (sic), fuisse et esse dicti domini Nicolai Weleweski, Canonici Wladislaviensis, pertinuisseque ad eum et hodie pertinere debere; ipsamque sibi et suis successoribus adiudicamus, et eum in possessionem eiusdem decime restituimus: dominumque Stanislaum, Plebanum de *Choczen*, in perceptis eiusdem decime a tempore spoliacionis, et in expensis in lite factis, dicto domino Nicolao Canonico condempnamus, nostra diffinitiva sentencia mediante: quarum expensarum et perceptorum nobis taxacionem in poste-

rum reservamus. Lecta, lata et in scriptis pronuncciata est hec nostra diffinitiva sentencia *Wladislavie*, in domo habitacionis nostre, sub anno domini millesimo quadringentesimo quarto, die XX mensis februarij, indicione duodecima, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Bonifacij, divina providencia Pape noni, anno quintodecimo, presentibus discretis viris, dominis: Nicolao Nicolai de *Rippin*, presbitero, et Stanislao Budkonis de *Carnkowo* (3), notario publico, clericis Plocensis diocesis, testibus ad premissa. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium, presentes litteras seu presens instrumentum publicum, sentenciam nostram huiusmodi in se continentes seu continens, per Boguslaum notarium publicum infrascriptum, ac cause presentis coram nobis scribam, scribi et publicarj mandavimus, nostrique Officialatus sigilli appensione fecimus communiri.

(S. N.) (4). Et ego Boguslaus Przibislai de Swinki, clericus Wladislaviensis diocesis, publicus, Imperiali auctoritate, Notarius, prefatique domini Nicolai Officialis et Judicis ac cause presentis coram eo scriba, quia predictis sentencie diffinitive in scriptis lacioni, perceptorum ac expensarum condempnacioni et alijs premissis, dum sic, ut premittitur, per dictum dominum Nicolaum Officialem et coram ipso agerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens interfui, eaque omnia et singula ab exordio cause usque ad decisionem eiusdem, manu propria in actis conscribendo, sic fieri vidi et audivi, et ideo in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis, una cum appensione sigilli dicti dominj Officialis, de sua certa sciencia, consignavi, in fidem et testimonium singulorum premissorum.

(3) *Karnkow* villa territorii et regionis Gostynensis.
(4) Signum Notarii idem, quod supra tabulae anni 1403 additum cernitur.

CCCXLV.

Juniwladislaviae, anno 1404 die 17 mensis Aprilis.

Wladislaus Rex Poloniae villam *Wonorze*, Sandziwogii de Szubino palatini Calissiensis propriam, post mortem ejusdem in dominium Episcoporum Wladislaviensium transituram esse decernit ([1]).

Wladislaus, dei gracia Rex Polonie, Lithuanieque princeps Supremus et heres Russie etc. Significamus tenore presencium universis, quibus expedit tam presentibus quam futuris, ad rei memoriam sempiternam: Quomodo Mathias de *Wansosche*, Judex Kalisiensis, noster fidelis dilectus, coram nostra personaliter constitutus presencia habens potestatem et speciale mandatum, prout coram nobis sufficienter edocuit, nomine validi Sandzivogij de *Schubyno* Pallatini (sic) Kalisiensis militis, nostri fidelis dilecti ([2]), non coactus, nec compulsus, neque aliquo errore seductus, sed plene (sic) deliberato animo: asserens prenominatum Sandzivogium, Pallatinum Patruum suum, ex quadam infirmitate adeo ita debilem, et in organis loquele impeditum, prout id ipsum nobis est notorium, quod infrascripta idem Sandzivogius exprimere non valeret: publice recognovit et confessus est, quomodo idem Sandzivogius villam *Wanorze*, mense episcopalis Wladislaviensis, sitam in terra nostra Cuyaviensi, et in districtu Gnewcoviensi ([3]), nonnisi ad sue vite tempora jus haberet possidendi, postque suum decessum eandem villam *Wanorze*, cum omnibus suis Juribus et pertinencijs, quibuscumque nominibus appellentur, nullis Jure, proprietate, aut dominio in eadem villa *Wanorze* pro eodem Sandzivogio aut suis heredibus vel successoribus legittimis reservatis, ad Reverendum in Christo patrem et dominum dominum Johannem, dei gracia Episcopum Wladislaviensem et ducem Opuliensem (sic), et eius mensam, et Episcopum, qui pro tempore fuerit Wladislaviensem pleno iure

([1]) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Funiculo serico coloris coccinei appensum est sigillum mediae formae vulgo a Rege Wladislao usitatum, jam deletum.

([2]) Plures sunt villae *Wąsosz* et *Wąsosze* dictae, in provincia Calissiensi sitae; *Szubin* (Schubin) oppidum territorii Bydgostiensis, regionis caput.

([3]) Villa *Wonorze* hodie in territorio Bydgostiensi, regione vero Juniwladislaviensi sita.

debere reverti. Nos vero potestate et mandato per prefatum Sandzivogium iam dicto Mathie Judici traditis et coram nobis probatis, nec non recognicione et confessione premissorum diligenter attentis et rite admissis, prefatam villam *Wanorze* post obitum prenominati Sandzivogij ad nullum alium seu alios, preterquam ad ipsum Reverendum patrem dominum Johannem, Episcopum Wladislaviensem et ducem Opoliensem et eius mensam, ac Episcopum, qui pro tempore fuerit, pertinere et divolvi (sic) debere declaramus, dicimus et approbamus, perpetuis temporibus per eundem dominum Johannem, Episcopum Wladislaviensem et ducem Opoliensem et suos successores, cum omnibus eiusdem ville iuribus, dominijs, proprietatibus et pertinencijs possidendam. Harum, quibus sigillum maius nostrum appensum est, testimonio literarum. Actum et datum in *Juveniwladislavia*, feria quinta proxima post dominicam Misericordia domini, anno domini millesimo quadringentesimo quarto. Presentibus validis: Johanne Lyganza Lanciciensi, Mathia Maczuda Gnewcoviensi, Pallatinis; Johanne de *Tolischcowo* Kalisiensi, Jaszcone de *Grabie* Cruszuiciensi (4), et Alberto Caminensi, Castellanis, et alijs quam pluribus nostris fidelibus dilectis. Datum per manus honorabilis Nicolai prepositi sancti Floriani et Canonici Cracoviensis, Regni Polonie vicecancellarij nobis dilecti.

(4) *Tuliszkow* oppidum et villa territorii et regionis Koninensis; *Grabie* villa regionis Juniwladislaviensis.

CCCXLVI.

Wladislaviae, anno 1404 die 29 mensis Aprilis.

Nicolaus de *Ciechomice*, Custos ecclesiae Wladislauiensis, scultetiam villae *Swiątniki* Mathiae haeredi de *Wieszczyce* vendit, quam venditionem Joannes Episcopus Wladislauiensis ratam esse jubet (1).

In nomine domini, amen. Quoniam humanarum rerum perit et gestorum memoria, si non autenticis literis et fide dignorum testium testimonio

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Funiculis coloris rubei appensa sunt duo sigilla mediae magnitudinis, formae oblongae, quorum imagines jam superius sunt descriptae.

perhenniter fuerint roborata: hinc est, quod nos Johannes, dei et apostolice sedis prouidencia Episcopus Wladislauiensis, uniuersis et singulis tam presentibus, quam futuris presencium literarum noticiam habituris publice declaramus: Quod honorabilis frater noster in Christo dilectus dominus Nicolaus Stephani de *Czechomicze*, Custos dicte nostre Wladislauiensis ecclesie, sue custodie intendens melioracioni et augmento, bona animi sui deliberacione et voluntate spontanea sculteciam in villa sua *Swanthniki* wlgariter dicta, dudum ad jus Maydburgense exposita, in Terra Cuyauie et in districtu Brestensi sita, ad dictam suam custodiam spectante, prouido viro Mathie Ottonis, heredi de *Weszczicze*, vendidit (²), tradit (sic) et resignauit perpetue, sub hac tamen que sequitur ordinacione: Quod idem Mathias scultetus et sui successores legitimi habebit seu habebunt in dicta villa *Swanthniki* duos mansos liberos a censu, et unum iugerem agrorum pro ortulano. Judicabitque idem scultetus in villa *Swanthniki* omnes causas tam magnas quam parwas, et de qualibet re per ipsum judicata; nec non de thaberna habebit seu habebunt tercium denarium, domino Custode (sic), qui pro tempore fuerit, duos denarios reseruando. Item idem scultetus cum suis posteris in flumine *Cloba* wlgariter dicto facere poterit obstaculum, wlgariter *Jasz*, et in eodem flumine ac lacu, qui est in medio dicti fluminis libere piscari poterit hamo, lugustro et omnibus reciaculis, quibus voluerit, preter sagenam: de piscatura huiusmodi domino Custodi nichil soluendo. Villani vero seu incole dicte ville *Swanthniki* racione census dicto domino Custodi et suis successoribus soluent, prout et nunc soluunt, singulis annis de quolibet manso in festo Sancti Martini Confessoris gloriosi per viginti quatuor grossos, in latis grossis vel moneta prutenicali. Agros quoque domini Custodis, quos in eadem villa pro allodio seu dominio habet, dicti villani seu incole ville *Swanthniki* excolere, semine ipsius Custodis seminare et planare, quociens opus fuerit; defalcare tam fruges quam prata, et defalcata ad horrea dicti Custodis in *Swanthniki* conducere, et ad aceruos reponere, ac de quolibet manso ad festum Pasche XV oua, et duos pullos ad festum Assumpcionis Marie virginis gloriose procurare, quolibet

(²) *Ciechomice* villa territorii et regionis Gostynensis; *Wieszczyce* regionis Orłowiensis, territorii Gostynensis.

anno, tenebuntur. De judicijs vero magnis, ter in anno celebrandis, ipse scultetus et villani familiarem dicti domini Custodis, qui per eum specialiter vel generaliter fuerit destinatus ad presidendum eidem judicio maiori, procurabunt. Insuper quilibet incolarum dicte ville *Swanthniki*, quociens mandatum habuerit a domino. . (sic) Custode, debet frumenta de dicta villa *Swanthniki*, ligna de borra wladislauiensi, ac alia necessaria ad domum eius in Wladislauiam adducere, sub proprijs sumptibus et expensis. Scultetus vero debet peticiones, seruicia et honores iuxta formam et consuetudinem aliorum sculletorum ecclesie wladislauiensis in jure huiusmodi Maydburgensi residencium, domino Custodi facere et exhibere; nec scultetus alias, quam in scultecia, rusticus in manso, residebunt: scultetus aliter faciens scultecia, et rusticus manso, jure huius priuilegij sint priuati. Scultetus vero predictus de se querulantibus coram domino Custode jure maydburgensi respondebit. Eciam scultetus non poterit dictam suam sculteciam alicui donare vel commutare, nisi ipsius Custodis voluntas ad hoc accesserit et consensus. Que omnia et singula premissa, per prefatum honorabilem fratrem nostrum Nicolaum Custodem, ordinata et disposita, nostrorum fratrum Capituli Wladislauiensis accedente consensu admittimus, rathificamus, aprobamus (sic), et presentibus confirmamus. In quorum omnium et singulorum euidenciam et testimonium, nostrum ac nostri predicti Wladislauiensis Capituli sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum *Wladislauie*, sub anno domini millesimo quadringentesimo quarto, in crastino Sancti Vitalis Martyris gloriosi. Presentibus ibidem wenerabilibus viris, dominis: Nicolao Pallatini (sic) Decano, Petro Archidiacono, Nicolao Officiali, Johanne de *Newesck*, Swenthoslao Banthcowski, Dobeslao de *Czesszewo* (3), Mathia Grabcowski, Johanne Cozelski, Nicolao Weleweski, Magistro Vilhelmo et Johanne Croski, prelatis et canonicis ecclesie wladislauiensis, tunc ad capitulum generale congregatis.

(3) *Niewiesz* villa territorii Calissiensis, regionis Wartensis; *Ciesszewo* villa territorii et regionis Plocensis.

CCCXLVII.

Raciensi, anno 1404 die 23 mensis Maji.

Conventio Wladislai Jagellonis cum Cruciferis de terra Dobrzynensi et districtu Zlotoria.

Dogieli Cod. dipl. Reg. Pol. T. IV p. 78 Nro LXXII.

CCCXLVIII.

Korczyni, anno 1404 die 29 mensis Augusti.

Wladislaus Rex Poloniae Consulibus civitatis *Radziejoviensis* salem minutum vendendum concedit ea tamen conditione, ut lucro inde percepto oppidum in melius mutetur.

Tom. I hujus Codicis p. 276 Nro CLIV.

CCCXLIX.

Korczyni, anno 1404 die 11 mensis Novembris.

Wladislaus Rex Poloniae promittit solutionem quinque scotorum a prelatis et baronibus, nec non a nobilibus, proceribus et terrigenis Regni Poloniae ad redimendam Terram Dobrinensem ultro oblatam, posteriori tempore minime exactum iri (¹).

Wladislaus, dei gracia Rex Polonie, nec non Terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie, Lythuanie Princeps Supremus, Pomeranie Russyeque dominus et heres etc. Ad universorum noticiam per hoc scriptum deducimus: quomodo comunitas (sic) Prelatorum et baronum, nec non Nobilium, procerum, et terrigenarum Regni nostri Polonie illud dictum Ewangelicum reducens ad animum: omne regnum in se divisum desolabitur, timentes per scissuram ipsius et abstraccionem terrarum aliquarum desola-

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario quodam privato in Regno Galliciae condito asseruatur, descriptum. Funiculo serico coloris albi et rubri appensum est sigillum vulgo majestaticum dictum, a Rege Wladislao Jagiellone usitatum.

cionem Regno et Corone ipsorum inminere (sic), cupientesque ipsius incommodis prudenter occurrere, voluntate unanimi, matura consiliorum deliberacione prehabita, non coacti, nec conpulsi (sic), seu aliquo errore seducti, sed ex certa sciencia, voluntateque vltronea ad hunc finem sponte devenerunt decernentes concorditer, quod quilibet kmethonum de villis eorum de quolibet laneo seu manso possesso quinque scotos seu decem grossos monete polonicalis pro liberacione et redemcione Terre Dobrinensis hoc anno et sub scripto ad manus ipsorum et per ipsos electorum dare et soluere debent irrecuse. Ita tamen, quod ipsa solucio seu contribucio per ipsos libere instituta ipsorum juribus, privilegijs et inmunitatibus, quibuscumque nominibus vocari poterint, per nos aut predecessores nostros ipsis concessis nullas inferat in posterum gravedines et iacturas, nec eciam in consuetudinem aut exemplum per nos et posteros nostros trahi debet: sed quod ipsorum privilegia, libertates, jura et gracie salve fiant, et inviolabiles iugiter perseverent. Quos eciam contra privilegia et Jura ipsorum ad vlteriores soluciones, preterquam ad solucionem duorum grossorum de quolibet laneo possesso, iuxta descripcionem in alijs privilegijs per nos eis factis, anno quolibet faciendam, cogere et arcere nolumus racione aliqua seu colore: ad quam vtique solucionem ipsi se nobis et nostris successoribus libere submiserunt. Quorum eciam litteras et privilegia, tam per nos quam predecessores nostros ipsis concessa et in eis contenta, inviolabiliter servare volumus, bonaque et pura fide sub verbo regio promittimus et presentibus pollicemur. Harum, quibus sigillum nostrum maius appensum est, testimonio litterarum. Actum et datum in *Nova civitate* alias *Corczin*, ipso die sancti Martini Episcopi, anno domini M° CCCC quarto, per manus nobilis Zaclicze Cancellarij et Nicolai Vicecancellarij Regni nostri Polonie, fidelium dilectorum.

Ad relacionem domini Nicolai Regni Polonie Vicecancellarij predicti.

CCCL.

Sine loco et die, anno 1409.

Petrus plebanus in villa *Parchane* lites inter Tomislaum, haeredem villae *Gogolina*, et Slawoborium, plebanum in villa antiqua *Byszowia* dicta exortas componit (1).

Nos Thomislaus, heres in *Gogolina*, omnibus tam presentibus quam futuris publice profitemur: Quod cum inter nos ex una, et honorabilem virum dominum Slawoborium, plebanum in antiqua *Bysszouia*, nonnulle lites, controuersie et odia, pro et super quibusdam debitis ac pecuniarum summis fuissent suscitate et exorte, nos prout filiali obediencia, ad quam erga prefatum dominum Sławoborium sumus obligati, amoniti dictis litibus, quantum in nobis fuit, finem inponere, ac ab eisdem conquiescere wolentes (sic), in discretum virum dominum Petrum Baccallarium (sic) in artibus et plebanum in *Parchane*, de alto et basso, pro omnibus et singulis injurijs, debitis et litibus, pecuniarumque summis, cum clausuris oportunis, una cum dicto domino Slawoborio tamquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem compromisimus, sub fidei ratihabicione et solempni stipulacione, tunc per nos ad manus dicti domini Petri facta et per ipsum dictata, inviolabiliter obseruaturi. Qui quidem dominus Petrus, tamquam arbiter, arbitrator et amicabilis compositor, pena quadraginta marcarum pruthenicalium per partem non tenentem per ipsum pronuncciata et laudata, viginti ecclesie *Bysszouiensi*, et viginti parti tenenti solvendarum vallata, pronuncciauit, declarauit et laudauit: Quod cessantibus omnibus anteactis injurijs et quibuscumque debitis, presertim duarum marcarum, dicto domino Slawoborio per nos mutuatis, ac alijs quibuscumque peruis (sic) et magnis, scitis uel oblitis, debitis, ac ipsis in totum, nunquam expost memorandis, complanatis: Nos Thomislaus predictus decimam campestrem manipularem diuersi grani videlicet: siliginis, tritici, auene, ordei, pisi, scruti (2), et aliarum terre

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniola pergamena appensum est sigillum minoris formae, jam deletum.

(2) *Scrutum*, hordeum siccatum, ex quo conficitur cerevisia. Ducange.

nascencium, prout moris est, de allodio nostro in villa maiori *Gogolina* dare, decimare singulis annis sumus astricti, omni dolo ad premissa non admixto: ita tamen, quod nunccius dicti domini Slawoborij, uel ipse solus per se circa dictam decimacionem per nos fiendam, frumenta sibi veniencia visurus et conspecturus interesse debebit, cui de premissis nos oportebit intimare. Item, quod eidem domino Slawoborio, pro omnibus et singulis expensis et fatigis, vnam sexagenam grossorum, tres solidos pruthenicales pro duobus grossis computando, ad carnispriuium dare et sumus obligati et debemus. Que omnia et singula per prefatum dominum Petrum pronuncciata, laudata et dictata emologamus, approbamus et ratihabemus sub pena quadraginta marcarum pruthenicalium in premissis inposita (sic) et vellata (sic). In cuius rei testimonium, sigillum nostrum est appensum presentibus. Actum et datum, sub anno domini millesimo quadringentesimo nono. Presentibus discretis viris, dominis: Nicolao in *Wirzchuczino* et Bartholomeo in *Szosszno* plebanis, Paulo de *Cleczsko* et Cristino de *Bozegewicze* (3), clericis gneznensis dyocesis, testibus ad premissa vocatis.

(3) *Wierzchociny* villa territorii Cujaviensis, regionis Brestensis; *Sosno* villa territorii Kwidzynensis, regionis Lubawiensis; *Klecko* vel *Kletzk* parvum oppidum inter duos lacus, in territorio Bydgostiensi et regione Gnesnensi situm; *Bożejewice* villa ejusdem territorii, regionis vero Juniwladislaviensis.

CCCLI.

Brestiae, anno 1409 die 4 mensis Aprilis.

Wladislaus Rex Poloniae de caedendis lignis in insula quadam Episcoporum Wladislaviensium propria cautionem praestat (1).

Wladislaus, dei gracia Rex Polonie, Lithvanieque Princeps Supremus et heres Russie etc. Significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis: Quomodo licet de consensu et voluntate reuerendi in Christo patris

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti nonnisi taeniola pergamena, qua appensum erat, superest.

domini Johannis, Episcopi Wladislauiensis, ligna pro edificio castrorum nostrorum in insula ipsius circa villam *Groze* iacenti (²) excidere mandauimus ista uice, tamen ne huiusmodi lignorum incisio in consweludinem ducta, juri eiusdem domini Johannis, Episcopi Wladislauiensis predicti, uel ipsius successorum, Episcoporum Wladislauiensium, in eadem insula aliqualiter derogaret, nolumus hanc incisionem lignorum in insula predicta amplius obseruare, nisi de consensu et voluntate domini Johannis, Episcopi memorati, uel ipsius successorum, episcoporum Wladislauiensium predictorum, dum iterum pro edificio castrorum nostrorum nobis accideret necessitas excidendi. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Datum in *Brest*, dominica die Cantate domino etc., anno domini millesimo quadringentesimo nono. Dominus Rex per se.

(²) Forsitan *Grocke* villa ferme ex opposito urbis Wladislaviae trans Vistulam sita.

CCCLII.

Wladislaviae, anno 1410 die 1 mensis Maji.

Joannes Episcopus Wladislauiensis de prouentibus officiorum ecclesiasticorum quasdam constitutiones promulgat (¹).

In nomine domini, amen. Nos Johannes, dei gracia Episcopus Wladislaviensis, nec non dux Opoliensis et cetera, de voluntate ac unanimi consensu venerabilium fratrum nostrorum dominorum . . (sic) Capituli nostri Wladislaviensis, cupientes in ecclesia Wladislaviensi diuini cultus ministerium adaugere et personas singulas dignitates, personatus, officia aut Canonicatus et prebendas in dicta ecclesia obtinentes, ad residenciam personalem apud ipsam ecclesiam faciendam plus solito allicere, matura prehabita deliberacione, statuimus et ordinavimus, ac presentibus statuimus et ordinamus, ac statutum perpetuis temporibus in ipsa ecclesia irrefraga-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniolis pergamenis appensa sunt duo sigilla, alterum formae ovatae vulgo a capitulo usitatum, alterum itidem formae ovatae penitus deletum.

biliter (sic) edidimus observandum, videlicet: quod extunc(sic) de cetero quavis dignitate, personatu, officio seu canonicatu et prebenda in ipsa ecclesia Wladislaviensi vacantibus, per cessum vel decessum, quevis persona ad dignitatem aut personatum seu officium huiusmodi in dicta ecclesia cuiusvis potestate facultatis recipienda, aut quavis auctoritate assumenda, in proventibus et fructibus, intuitu sui beneficij, habere debeat dumptaxat (sic) viginti marcas grossorum pragensium, pro marca scilicet quadraginta et octo grossos numerando, excepta prepositura, que, cum sit dignitas . . . . (sic) maijor, post pontificalemque ob huiusmodi preeminencie specialem prerogativam, habere debeat triginta marcas grossorum monete et numeri consimilis. Item quod quevis persona ad Canonicatum et Prebendam, eodem modo vacantes, simili potestate, ut premissum est, recipienda et assumenda habere debeat dumptaxat quindecim marcas numeri et monete predictorum, in fructibus et proventibus racione sui beneficij: quibus sic proventibus sibi deputatis gaudere debeat, sive apud dictam Ecclesiam resideat personaliter, sive non. Ita tamen, quod si quempiam ex personis predictis, scienciarum studio, in loco tamen ad studium privilegiato, immorari contingerit (sic), petita et obtenta licencia a domino Episcopo Wladislaviensi, qui pro tempore fuerit, eadem habere debeat, quamdiu in studio moram traxerit, duplum in fructibus et proventibus sibi deputatis. Ad quod quidem statutum, per personas assumendas et recipiendas ad dicta beneficia, firmiter observandum, in ipsorum et cuiuslibet eorum recepcione decrevimus et presentibus decernimus exigi et prestari, sicut et de ceteris ipsius ecclesie statutis et consuetudinibus observandis exigi (sic) et prestari(sic), more solito juramentum. Redditus quoque, proventus et obvenciones singulorum beneficiorum predictorum, ultra summam, ut premissum est, quibusvis personis deputatam excrescentes reservari debeant et distribui inter personas duntaxat residenciam apud ecclesiam facientes, iuxta ordinacionem imposterius (sic) faciendam racionabiliter sub modo et forma ac moderacione, quam tradunt canonice sanctiones. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum, nostrum et dicti nostri Capituli sigilla presentibus sunt appensa. Datum et actum *Wladislavie*, in generali Capitulo, anno domini millesimo quadringentesimo decimo, ipso die Beatorum Philippi et Jacobi apostolorum, presentibus ibidem discretis viris, do-

minis: Nicolao Bychawskij, Johanne Grochowalskij, Gregorio vice custode, et Boguslao vicario perpetuis in ecclesia Wladislaviensi, et quam pluribus fide dignis testibus ad premissa.

CCCLIII.

In villa Dobrostany, anno 1411 die 17 m. Septembris.

Wladislaus Rex Poloniae acceptis a Petro Szafraniec centum marcis mutuis, eidem oppidum *Sobota* oppignerat (¹).

Wladislaus, dei gracia Rex Polonie, Lythwanieque princeps supremus et heres Russie etc. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis: Quomodo a strenuo Petro Saffranecz, subcamerario cracouiensi fideli nostro dilecto, centum marcas numeri et ponderis polonicalium mutuo recepimus. Volentes igitur ipsum de dictis centum marcis reddere cerciorem, sibi in et super villam (sic) nostram *Sobodkam*, in districtu Lanciciensi sitam (²), in eisdem centum marcis duximus obligandum, cum omnibus ipsius ville utilitatibus, prouentibus, censibus, redditibus, fructibus, dacionibus et obuencionibus uniuersis, per ipsum tenendum, habendum, utifruendum, uel ipsius legitimis successoribus pacifice possidendum, prout dicta villa in suis metis et grenicijs (sic) longe, late et circumferencialiter est distincta, tamdiu, donec dicte centum marce per nos uel nostros successores, sibi uel ipsius legitimis successoribus, integraliter fuerint persolute. Solutis autem dictis centum marcis, dicta villa ad nos et nostros successores debet reddi pleno jure, stacionibus tamen pro (sic) duntaxat exceptis, quas pro nostra volumus reseruare maiestate. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Datum in *Dobrestani* (³), feria quinta proxima post festum exaltacionis sancte crucis, anno domini millesimo quadringentesimo undecimo. Relacio Maziconis.

(¹) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nro 347 descriptum. Sigillum deest.
(²) Hodie oppidum *Sobota*.
(³) *Dobrostany* villa in Regno Galliciae in regione Leopoliensi.

CCCLIV.

Opatoviae, anno 1411 die 2 mensis Decembris.

Wladislaus Rex Poloniae remuneraturus servitia Andreae Dapiferi Dobrinensis, eidem centum marcas in villa *antiqua Rypin* inscribit (1).

Wladislaus, dei gracia Rex Polonie, Lithwanieque princeps supremus, et heres Russie etc. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis: Quod sollicite mentis intuitu perpendentes grate fidelitatis studiosa obsequia, et multiplicium meritorum constanciam, quibus fidelis noster dilectus Andreas, dapifer dobrinensis nobis complacuit, et in posterum aucto fidelitatis studio poterit prestancius complacere, horum intuitu volentes ipsum specialium graciarum prosequi fauoribus, et ad nostra obsequia reddere promptiorem, sibi centum marcas in et super villa nostra *antiqua Ryppin*, in districtu Ryppinensi sita, et in molendino inferiori *Rudny* dicto damus, deputamus, donamus et assignamus tenore presencium mediante. Quam quidem villam *Antiqua* (sic) *Ryppin* una cum molendino predicto, ac cum omnibus et singulis ipsius ville et molendini utilitatibus, fructibus, redditibus, censibus, prouentibus, nec non pertinencijs, coherencijs et appendijs uniuersis, ad ipsam villam et ad molendinum predictum spectantibus, ipse Andreas cum suis heredibus et successoribus legitimis in eisdem centum marcis tenebit, habebit, utifruetur et pacifice possidebit tamdiu videlicet, quousque iam dicte centum marce sibi vel eius successoribus, per nos vel successores nostros, fuerint integraliter persolute. Stacionibus tamen nobis dari solitis pro nobis et nostris successoribus reseruatis. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Datum in *Oppathow*, feria quarta proxima post festum sancti Andree, anno domini millesimo CCCC° undecimo.

(1) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae N^ro 374 descriptum. Sigillum deest.

CCCLV.

Raciensi, anno 1412 die 27 mensis Aprilis.

Joannes Episcopus Wladislauiensis privilegium scultetiae villae *Jezawo* innovat (1).

In nomine domini, amen. Nos Johannes, dei gracia Episcopus Wladislaviensis, nec non Abbacie Sancti Martini Sacrimontis Pannonie, Jauriensis diocesis, administrator, et Dux Opoliensis. Ad universorum tam presencium quam futurorum noticiam presentibus volumus devenire: Quod ad nostram veniens presenciam Mathias dictus Schkoda, Scultetus ville ecclesie nostre Wladislaviensis, *Jezawo* vulgariter nominate in terra Pomeranie situate, nobisque exposuit, qualiter privilegium super locacione eiusdem ville, olim sculletis predecessoribus concessum, esset illis temporibus gwerrarum casu fortuito sibi perditum et amissum, aut ignis incendio combustum; propter quod timens, sibi et successoribus suis ex defectu huiusmodi privilegij periculum inminere (sic), ac non modicum Juri suo deperire, nobis quoque humiliter supplicavit, quatenus sibi privilegium novum cum descripcione Juris, quo ipsa villa locata extitit, graciose concedere dignaremur. Cuiusque privilegij tenorem diligenter inquirendo in Thesauria ecclesie nostre predicte, et alias in armarijs nostris, nichil tamen penitus de Jure ipsius reperientes: preterea receptis multorum nostrorum fidelium et presertim Petri, Temchine et Nicolai Lenman, quondam Wlodariorum nostrorum ibidem fide digna informacione:—ex quorum informacione in primis reperimus, villam ipsam *Jezawo*, quadraginta unum mansos in agris a primeva sua locacione continere, de quibus sculteti, qui pro tempore fuerunt, quatuor mansos liberos a solucione census dumtaxat, ac lacum foris villam cum aliqua parte

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. E duobus sigillis, taeniolis pergamenis appensis, unum, quod superest majoris formae, figurae ovatae in cera coloris rubri expressum, exhibet portam gothicam in duas partes transversaliter divisam. In parte inferiori insidet solio Episcopus vestibus pontificalibus, ut vulgo dicuntur, exornatus; in superiori vero parte expressa est imago S. Mariae laeva manu infantem Jesu tenentis. Ex utraque sigilli parte apparent duo parva scuta triangularia, in quibus efficta est aquila. Verba in ambitu haec leguntur: *„sigillum iohannis episcopi wladislaviensis.”*

borre sive merice, quem et quam ipsi sculteti, qui fuerunt pro tempore, dudum habuerunt et possiderunt (sic), prout eciam idem Mathias Schkoda scultetus habuit hactenus et possedit. Et quod scultetus et sui posteri in eadem scultecia debeant personaliter residere, incole vero de triginta septem mansis, de quolibet manso Marcham (sic) denariorum monete Thorunensis, cum duabus mensuris avene, et duobus pullis, racione census in festo Sancti Martini annis singulis, solvere tenebuntur. Quem censum et alia predictus scultetus tenebitur exigere, colligere et nobis aut successoribus nostris integraliter assignare. Scultetusque ipse et sui successores iudicabunt omnes causas parvas et magnas: Magnas autem iudicabunt presente nostro nunccio (sic) ad hoc misso generali vel speciali, et de iudicatis tantum sibi tercius, et nobis aut successoribus nostris duo denarij cedent. Ceterum eciam scultetus et incole predicti tenebuntur nostrum Procuratorem vel alium nunccium nostrum, ad hoc missum, ter in anno recipere ad generale colloquium faciendum, et eidem una cum famulis suis expensas communiter ministrare. De tabernis autem nos et successores nostri duos, et Scultetus tercium denarios. recipiemus. Incole predicte ville nobis et successoribus nostris arare unum diem ad estivalia, et duos dies ad hyemalia, singulis annis sunt obligati et tenebuntur. Volumus eciam, prout predecessores nostri decreverunt, quod scultetus ipse, qui fuerit pro tempore, sculteciam ipsam non vendat, non obliget, aut quovis titulo alienet, nisi super huiusmodi vendicione, obligacione, aut alienacione, noster aut nostrorum successorum accesserint consensus pariter et voluntas. Insuper scultetus et incole memorati, jura, servicia, onera, peticiones et honores, prout ceteri sculteti et incole villarum nostrarum, in terra Pomeranie situatarum, nobis et successoribus nostris exhibebunt:— Huiusmodi quoque informacionibus per nos, ut premittitur, receptis et intellectis, ac demum superius descriptis, et propterea peticionibus dicti Mathie Sculteti nobis oblatis, tamquam iustis et racionabilibus favorabiliter inclinati, de consensu, consilio, et voluntate venerabilium virorum dominorum Capituli ecclesie nostre Wladislaviensis predicte ad hoc specialiter accedentibus, huiusmodj privilegium et ipsius Jura, ac omnia et singula supradicta inquisita, recognita et per nos, ut prefertur, ordinata, innovamus, auctorizamus (sic), et presentis scripti patrocinio confirmamus, volentes et decernentes, quod eandem vim, vigo-

rem et auctoritatem habeant, ac si originale privilegium haberetur, aut originalis privilegij copia hic esset de verbo ad verbum inserta, et per nos presentibus innovata. In cuius rei testimonium, presentes nostri et dicti Capituli nostri Sigillorum fecimus munimine roborare. Actum et datum *Raczans*, in profesto sancti Vitalis, anno domini millesimo quadringentesimo duodecimo, presentibus venerabilibus et honorabilibus viris, dominis: Andrea Lascarij preposito, Nicolao Palatini Decano, Petro archidiacono, Johanne Scolastico, Nicolao Custode, Swanthoslao Bantkowsky, Mathia Grabcowsky, Nicolao Welwesky (sic), Petro Koblynsky decano Poznaniensi, Johanne de *Newesz* Preposito Cruszviciensi, Johanne Pomerani, Paulo de *Bovelno* Archidiacono Cruszviciensi, Jarando de *Boczky* ([2]), Prelatis et Canonicis ecclesie Wladislaviensis nostre predicte, capitulariter congregatis, testibus ad premissa fidedignis.

([2]) *Bowalno* villa territorii et regionis Opoliensis; *Boczki* et *Niewiesz* villae territorii Calissiensis, regionis vero Wartensis.

CCCLVI.

Anno 1412 die 21 mensis Maji.

Limites inter villas *Zarzęcin*, *Swolszewice*, *Smardzewice*, *Sługocice* et *Twarda*, Episcopatus Wladislauiensis proprias, et villas *Błogie* et *Trzebiatow* constituuntur ([1]).

Nos Barthosius de *Charbinouicze*, subcamararius (sic) Sandomiriensis, notum facimus tenore presencium quibus expedit vniuersis: Quod per nobilem virum Jaskonem Radwansky, Camararium nostrum in districtu seu territorio Opocznensi, ac per Ministerialem seu Officialem in *Opoczno*, dictum Łoboda, receptos de Judicio terrestri in *Opoczno*, iuxta juris formam et consuetudinem, limites et granicies ac monticulos, inter villam dictam *Szarzanczino* Ecclesie et Capituli Wladislauiensis ab una, et villam *Bloge* strenui militis domini Dobeslai, heredis in *Bloge*, parte ab altera, fieri fecimus

([1]) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti nonnisi taeniola pergamena, qua appensum erat, superest.

et mandauimus de uoluntate et consensu parcium predictarum, perpetuis temporibus duraturas, modo infrascripto: videlicet quod huiusmodi limites et granicies ac monticuli facti sunt inter villas predictas *Bloge* et *Szarzanczino*, incipiendo super ripam fluuij *Pilcza*, ubi dictum fluuium *Pilcza* intrat fluuius seu riuulus dictus *Bloga*, ascendendo superius dictum fluuium *Bloga* per siluuam (sic) progresiue (sic), que *Olsini* nunccupatur (sic), et ab inde per borram et mericam non remote a dicto fluuio *Bloga*. Postquam autem ascensum fuerit per borram et mericam ultra campos ville *Szarzanczino*, ipsos campos non tangendo usque ad viam, que ducit de villa *Szarzanczino* versus *Bloge*, tunc ulterius per eandem borram et mericam progresiue, non tangendo in aliquo campos utriusque ville, tam *Bloge* quam *Szarzanczino*, sed progresiue per borram versus molendinum ville *Trzebatow*, quod iacet super fluuium *Trestka*, et tenendo ad manum sinistram viam, que ducit de *Szarzanczino* versus villam *Twarda*, quousque fuerit deuentum ad locum circa eandem viam, ubi tres monticuli magni, in volgari *Copcze* seu *Wangelnicze*, sunt facti, qui limitant seu diuidunt villas ecclesie et capituli wladislauiensis *Szarzanczino*, *Swodzisevicze*, *Smarseuicze*, *Slugoczicze* et *Twarda* ab una, et villas dominorum Dobeslai de *Bloge*, Pincerne siradiensis, et Michaëlis de *Raduna*, *Bloge* et *Trzebatow* parte ab altera: et demum continuando predictum parietem, et incipiendo a dictis tribus magnis monticulis, limites et granicies seu monticuli per prefatum Jaskonem Radwansky, Camararium nostrum, et Ministerialem seu Officialem Loboda, facti sunt progresiue versus molendinum domini Michaëlis de *Raduna*, quod iacet super fluuium *Trestkta* (sic), et inferius dictum molendinum, pertransiendo dictum fluuium *Trestkta*, et statim super ripam dicti fluuij *Trestkta*, tenendo fluuium ad manum dextram, ascendendo superius dictum fluuium *Trestkta* super ripam eiusdem fluuij per borram, mericam et siluuas (sic), usque ex opposito ville *Trzebatow*, et ulterius progresiue ad monticulum in wlgari *wangelnicza*, qui diuidit villas *Trzebatow*, *Zayanczkowo* seu *Zayanczkowskavola* (sic), et villam ecclesie et capituli Wladislauiensis dictam *Twarda*, siquidem prefati monticuli, granicies et limites, ut premittitur, facti iuxta juris formam et terre consuetudinem, diuidunt et limitant villas ecclesie et capituli Wladislauiensis *Szarzanczino*, *Swodziseuicze*, *Smarseuicze*, *Slugoczicze* et *Twarda* ab una, et villas dominorum Dobeslai

de *Bloge* et Michaëlis de *Raduna*, militum predictorum, videlicet *Bloge* et *Trzebatow* parte ab altera. Quas (sic) quidem limites et granicies ac monticulos, per Jaskonem Radwansky Camararium nostrum, et Loboda Ministerialem seu Officialem in *Opoczno* sic, ut premittitur, factas et annotatas, tenore presencium aprobamus (sic), confirmamus, perpetuis temporibus valituras ([2]). In cuius rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum ibidem circa limites supradictos, sabbato in vigilia Penthecosten, anno domini millesimo quadringentesimo duodecimo. Presentibus hijs dominis circa limitacionem supradictam: Petro de Vidaua ([3]) Judice, Jacobo subcamarario, Swanthoslao Subjudice Siradiensibus, Prandotha Subjudice Lanciciensi, Cehebda (sic) de *Nervesch* et Stanislao de *Drusbicze*, et alijs quam pluribus fide dignis etc.

([2]) Ecce nomina villarum, quae omnes in tabulis geographicis occurrunt, quaeque in documentis penitus immutata inveniuntur: villae *Blogie* et *Zarzęcin* haud procul a fluvio *Pilica*, inter eundem fluvium et oppidum *Opoczno* sitae; paululum inferius sunt villae *Trzebiatów* et *Twarda* ad rivum *Trestka;* ex eadem parte fluvii *Pilica* sunt villae *Smardzewice, Sługocice,* ex altera vero villa *Swolszewice; Zajączków* villa sita est prope villam *Trzebiatowo; Radwan* villa in eadem regione sita, parochiae Białaczeviensi adscripta.

([3]) *Widawa* oppidum hodie territorii et regionis Sieradiensis; *Drużbice* villa territorii et regionis Petricoviensis; *Niewierzyn*, territorii et regionis Opocznensis.

CCCLVII.

Budae, anno 1412 die 24 mensis Augusti.

Sententia arbitralis Sigismundi Romanorum Regis, inter Wladislaum Regem Poloniae, et Ordinem Teutonicum, super articulo Episcopi, Praepositi, et Capituli Wladislaviensis.

Dogieli Cod. Dipl. Reg. Pol. T. IV. p. 88 Nro LXXXIII.

CCCLVIII.

In oppido Żarnowiec, anno 1416 die 1 m. Augusti.

Wladislaus Rex Poloniae villam *Mazow*, **in oppidum** *Mazow Kelczonis* **dictum permutat** (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter humane nature commoda nichil dignius habeatur memoria, opportunum existit, ut actus hominum literarum apicibus, et testium annotacione perhennentur, ne lapsu temporis evanescant. Proinde Nos Wladislaus, dei gratia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuijauie, Pomeranie, Lithuanieque Princeps Suppremus (sic), Russieque dominus et heres, significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis, tam presentibus quam futuris, noticiam presencium habituris: Quod cupientes transitoria pro eternis, et temporalia pro perpetuis commutare, ac bona ecclesiarum adaugere, quia opera benignitatis amore dei exhibita, multiplici fructu recompensantur in celis ab ipso domino omnium bonorum largitore, attento itaque, dum cum exercitibus nostris contra hostes et inimicos nostros et Regni nostrj, Cruciferos videlicet de *Prussia*, procedentes, Stacionem in villa et hereditate *Mazow*, ad Custodiam Ecclesie Collegiate Sancte Marie Lanciciensis, Gnesnensis diocesis, in terra Lanciciensi situate pertinente, fecissemus, et ibidem Castra metantes stetissemus: incolis dicte hereditatis dampna non modica per exercitus nostros tunc temporis facta fuerunt et illata; in quorum damnorum resarcionem et aliqualem recompensam, ad instantes peticiones Venerabilis virj Kelczonis de *Brzow* Custodis dicte Custodie Lanciciensis, Capellani nostri sincere dilecti, nobis per ipsum oblatas acclinatj de innate nobis benignitatis clementia, de villa predicta *Mazow* Ciuitatem *Mazow Kelczonis* nuncupandam (2) facimus tenore pre-

(1) Ex confirmatione a Rege Sigismundo I, annó 1523 data, et quidem e tabula membranacea Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nr. 1557 descriptum.

(2) Privilegium hoc effectum suum non esse sortitum apparet, quum nullum supersit vestigium dicti oppidi, et nonnisi villa *Mazew* in loco designato, nimirum in territorio et regione Lanciciensi, occurrat, quamvis privilegium hocce a Rege Sigismundo I, anno 1523 esset renovatum. *Bzow*, villa territorii Olkusziensis, regionis Pilcensis.

sentium et plantamus, forum annale (sic) in festo Joannis Baptiste, et duobus diebus sequentibus: forum vero septimanale ferijs secundis statuentes et ponentes fieri in eadem ciuitate perpetuis temporibus affuturis. Dantes et concedentes omnibus et singulis incolis in eadem ciuitate *Mazow Kelczonis* inhabitare volentibus, ac etiam ad predictum forum annuale cum mercancijs venire volentibus, modis, consuetudinibus et juribus utifrui et gaudere, quibus incole ciuitatis nostre Lanciciensis utifruuntur, gaudent pariter et letantur. Ceterum, ut predicta ciuitas, sub nostro felicj regimine valeat feliciora suscipere incrementa, ipsam cum omnibus suis pertinencijs, prout in suis metis et limitibus longe, lateque et circumferencialiter ab antiquo est distincta et limitata, de jure polonico in jus theutonicum, quod Maidburgense dicitur, transferimus perpetuo duraturum: remouentes ibj omnia jura polonicalia, modos et consuetudines uniuersas, que ipsum jus theutonicum Maydburgense predictum plerumque consueuerunt perturbare. Eximimus insuper et perpetuo liberamus omnes et singulos incolas, ab omni iurisdicione et potestate omnium et singulorum Regni nostri palatinorum, capitaneorum, castellanorum, Judicum, subiudicum et quorumvis officialium et ministerialium eorumdem, ut coram ipsis, aut aliquo ipsorum pro causis tam magnis quam paruis, puta: furti, incendij, sangvinis effusionis, homicidij, membrorum mutilacionis, et quibusuis enormibus excessibus citatj, minime respondere teneantur, nec aliquas penas soluere sint astrictj. Sed tantum ciues et incole ciuitatis predicte coram aduocato suo, aduocatus vero coram prenominato Kelcio Custode, aut successoribus suis, aut coram nobis, vel judicio nostro generalj, dum tamen per nostram literam sigillo nostro sigillatam, fuerit euocatus, et hoc si in reddenda iusticia negligens fuerit et remissus, tunc non aliter, quam suo jure ciuili theutonico Maydburgensi predicto, de se querulantibus respondere sit astrictus. In causis autem criminalibus et capitalibus superius expressis, aduocato ciuitatis predicte, pro tempore existenti, in metis et granicijs judicandj, sentenciandj, puniendj, corrigendj, plectendj, et condemnandj plenam damus et omnimodam concedimus facultatem, prout hoc ipsum jus theutonicum Maidburgense predictum, in omnibus suis punctis, condicionibus, sentencijs, articulis et clausulis postulat et requirit, Juribus nostris regalibus in omnibus

semper saluis. Actum in *Zarnowecz* (3), feria quarta proxima post dominicam Letare, anno domini millesimo quadringentesimo sexto decimo. Presentibus strenuis, nobilibusque: Cristino de *Ostrow* castellano, Joanne de *Tharnow* cracouiensi, Nicolao de *Michalow* sandomiriensi, Joanne Liganza lanciciensi, palatinis; Petro Schaffranijecz succamerario cracouiensi, et Michaële de *Bogumilowicze* castellano sandomiriensi (4), et alijs quam pluribus fide dignis, fidelibus nostris dilectis. Datum per manus reuerendi in Christo patris domini Alberti Episcopi cracouiensis, Regni Polonie cancellarij, nobis sincere dilecti, et Donijn Decani Cracouiensis vicecancellarij nostri, Nostro sigillo presentibus subappenso. Relatio eiusdem domini Alberti, episcopi Cracouiensis, Regni Polonie Cancellarij.

(3) *Żarnowiec* oppidum in provincia Cracoviensi. territorio Olkusziensi situm.
(4) Plures sunt villae *Ostrów* et *Michałów* dictae, in variis regionibus sitae, hic fortasse intelligendae eae, quae occurrunt in provincia Cracoviensi. *Bogumiłowice*, villa territorii Petricoviensis, regionis Radomscensis.

CCCLIX.

Wisliciae, anno 1416 die 19 mensis Augusti.

Wladislaus Rex Poloniae *Martino de Kalinowa*, Castellano Sieradiensi, condendi oppidum *Grabow* confert facultatem (1).

In nomine domi (ni), amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter humane nature comoda nihil dignius memoria habeatur, oportunum existit, ut actus hominum literarum apicibus, et fide dignorum testimonio perhennentùr, ne lapsu temporis euanescant. Proinde Nos (Wladislaus), dei gratia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancitie, Cuiavie, Lithuanieque Princeps supremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres etc., significamus tenore presentium, quibus expedit uniuersis presentibus et futuris pr(esentium no)ticiam habituris: Quod cupientes Regni nostri condicionem facere meliorem, ut in locatione ciuitatum felicia homi-

(1) Ex confirmatione a Sigismundo I anno 1531 data, et quidem e tabula archetypa Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae, Nr. 648 descriptum.

num recipiant incrementa, ad instantes peticiones strennui (sic) Martini de Calinowa, castellani Siradiensis, fidelis nostri dilecti, in ipsius villa *G(rabow* ([2]) in) terra et districtu Siradiensi sitta, ciuitatem locare permisimus, ipsamque omnibus juribus, modis et consuetudinibus, quibus cetere ciuitates Regni nostri pociuntur, perfrui volumus et gaudere. In qua ciuitate *Grabow* denuo locanda forum septimanale statu(imus sin)gulis sabatis diebus in qualibet septimana celebrandum, temporibus perpetuis duraturum: decernentes et liberam facultatem tribuentes omnibus et singulis hominibus et mercatoribus, cuiuscunque status et condicionis fuerint, quod licite et sine omni impedimento forum huiusmodi singulis sabbatis diebus, ut premittitur, visitare poterint (sic), eorumque mercancias exercere, et eorum res vendere, emere ac etiam commutare, iuxta illorum beneplacitum voluntatis. Illo etiam non obmisso, quod omnes mercatores et homines forum huiusmodi visitare volentes, omnibus libertatibus, consuetudinibus et juribus, quibus in alijs ciuitatibus et oppidis, in quibus forum exercetur, perfruantur et gaudeant et etiam potiantur. Forum vero annale in ciuitate predicta *Grabow* super festo sancti Francisci, de anno ad annum se sequentium (sic), perpetuis temporibus statuimus celebrandum: ita tamen, quod forum huiusmodi nostris ciuitatibus non debeat aliquod preiudicium generare. Vobis igitur capitaneis et officialibus Regni nostri, qui pro tempore fueritis, mandamus, quatenus omnes mercatores et homines forum huiusmodi visitare volentes, ire et ipsum exercere libere et sine omni impedimento permittatis. Quam quidem ciuitatem *Grabow* predictam de jure polonico in jus theutonicum, quod maidburgense dicitur, transferimus perpetuo duraturum, remouentes ibidem omnia jura polonicalia, modos et consuetudines uniuersas, que ipsum jus theutonicum maidburgense predictum plerumque perturbare consueuerunt. Eximimus insuper et perpetuo liberamus aduocatum, ciues et quosvis incolas ciuitatis predicte, ab omni iurisdicione et potestate omnium Regni nostri palatinorum, capitaneorum, castellanorum, iudicum, subiudicum, ceterorumque officialium et ministerialium eorundem, ut coram ipsis, vel ipsorum aliquo pro causis tam magnis, quam paruis, puta: furti, sanguinis, homicidij, incendij, membrorum mutilacionis et quibusuis alijs enor-

([2]) *Grabow* oppidum territorii et regionis Lanciciensis.

mibus excessibus citati minime respondeant, nec aliquas penas soluere tenebuntur (sic), sed ciues et incole ciuitatis predicte coram suo aduocato, qui pro tempore fuerit, aduocatus vero coram domino suo, aut coram nobis vel judicio nostro generali, dum tamen per nostram literam nostro sigillo sigillatam fuerit euocatus, et hoc si in reddenda iusticia ciuitatis prefate dominus negligens fuerit et remissus, tunc non aliter, quam suo jure theutonico Maydburgensi predicto, de se querulantibus respondere sit astrictus. In causis autem criminalibus et capitalibus superius expressatis, aduocato ciuitatis predicte *Grabow*, in metis et granicijs ibidem judicandi, corrigendi, condemnandi et puniendi plenam damus et omnimodam tenore presencium concedimus facultatem, prout hoc Jus Maidburgense predictum in omnibus suis punctis, clausulis, condicionibus, sentencijs et articulis postulat et requirit: juribus tamen nostris regalibus in omnibus semper saluis. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Actum *Vislicie*, feria quarta infra octauas assumpcionis Sancte Marie, anno domini millesimo quadringentesimo sexto decimo. Presentibus magnificis, strennuisque dominis: Cristino de *Ostrow* castellano et capitaneo, Joanne de *Thanczin* Palatino cracouiensi, Sandiwogio de *Ostrorog* posnaniensi, Nicolao de *Michalow* sandomiriensi, Mathia de *Wanschosche* calissiensi, Mathia de *Labischin* brestensi, Jacobo de *Conieczpolie* siradiensi, palatinis, et alijs quam pluribus fide dignis, fidelibus nostris dilectis. Datum per manus reuerendi in Christo patris domini Alberti, Episcopi cracouiensis, Regni Polonie cancellarii, ac venerabilis domini [Donyn] sedis apostolice prothonotarij, decani cracouiensis, prepositi sancti Floriani, gnesnensis, cracouiensis, posnaniensis, wladislauiensis et cruschuicensis ecclesiarum canonici, Regni Polonie vicecancellarij, sincere nobis dilectorum. Ad relacionem venerabilis domini Joannis Pelka de *Nijewesch*, prepositi crusuicensis.

CCCLX.


Brestiae, anno 1418 die 12 mensis Aprilis.

Joannes Episcopus Wladislauiensis castrum et oppidum *Wolbórz* Joanni de Newesch, praeposito Kruszwiciensi, confert (¹).

In nomine domini, amen. Sub anno natiuitatis eiusdem millesimo quadringentesimo decimo octauo, indiccione undecima, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Martini, diuina prouidencia pape quinti anno primo, die uero duodecima mensis Aprilis, hora vesperorum uel quasi, in castro brestensi, et in sala murata castri eiusdem, in nostri Notariorum publicorum et testium presencia subscriptorum, constitutus personaliter reuerendus in Christo pater et dominus, dominus Johannes, dei gracia Episcopus Wladislauiensis, sanus mente et corpore, non compulsus, non coactus, sed de sua bona et libera voluntate, castrum et oppidum *Woyborzs,* Gneznensis diocesis, mense sue episcopalis wladislauiensis, cum omnibus et singulis villis ac pertinencijs suis, venerabili viro domino Johanni de *Newesch,* preposito sancti Petri Cruschwiciensis, wladislauiensis diocesis, et Canonico wladislauiensis, ecclesiarum, dedit, contulit et donauit ad vite sue tempora dumtaxat tenendum, habendum, possidendum, gubernandum et utifruendum, cum omni jure et dominio, et prout dictus dominus Johannes prepositus prefatum castrum et oppidum *Woyborzs*, cum suis pertinencijs tenuit et hactenus tenet, ita tamen, quod prefatus dominus Johannes prepositus, venerabilibus viris dominis Capitulo wladislauiensi, singulis annis annuam pensionem solitam et consuetam soluere teneatur. Super quibus omnibus et singulis prefatus dominus Johannes prepositus pecijt, sibi fieri per nos Notarios infrascriptos, unum uel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Acta sunt hec anno, indiccione, pontificatu, die, mense, hora et loco quibus supra. Presentibus: reuerendo patre domino Johanne, Electo confirmato Chelmensi, et venerabilibus ac nobilibus viris, dominis: Johanne de *Newesch* decano wladislauiensis, Ja-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum deest.

rando Scolastico sancti Petri cruschwiciensis, Petro de *Syradia*, canonicis wladislauiensis, ecclesiarum, Georgio Derslai de *Oczansch* clerico, Thoma de *Pacost*, Jactore de *Rchowo* et Johanne Costira, armigeris gnesnensis et wladislauiensis diocesis ([2]), testibus ad premissa.



Et ego Stanislaus Budconis de *Carnkowo*, clericus plocensis diocesis, publicus imperiali auctoritate Notarius, quia predictis donacioni, collacioni alijsque omnibus et singulis premissis, dum sic, ut premittitur, fierent et agerentur, una cum Notario publico subscripto, et testibus suprascriptis presens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audiui: ideo de consensu et voluntate Notarii subscripti, presens publicum instrumentum manu propria scribens exinde confeci, signo et nomine meis solitis et consuetis consignando in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum rogatus et requisitus.

([2]) *Ociąż* villa territorii Posnaniensis; *Pakość* territorii Bydgostiensis, regionis Mogilnensis, et *Ryszewo* procul dubio ejusdem territorii et regionis.

CCCLXI.

Posnaniae, anno 1418 die 8 mensis Julii.

Wladislaus Rex Poloniae remuneraturus seruitia Nicolai de *Coszemyno*, eidem quinquaginta marcas in villa *Czolpino* inscribit (1).

Wladislaus, dei gracia Rex Polonie, Lythwanieque princeps supremus et heres Russije etc. Significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis presentibus et futuris, presencium noticiam habituris: Quomodo attente mentis intuitu perpendentes grate et multum accepte fidelitatis studiosa obsequia, quibus nobilis Nicolaus de *Coszemijno*, familiaris noster fidelis dilectus (2), nobis multipliciter placere meruit, et in futurum, aucto fidelitatis studio, prestancius poterit complacere, horum intuitu volentes ipsum specialis gracie prosequi fauoribus, et ad obsequia nostra reddere continuo promcciorem, sibi in et super villa nostra *Czolpino*, in terra cuyauiensi et districtu radzeouiensi sita, de quinquaginta marcis numeri et ponderis polonicalium, quadraginta octo grossos in marcam quamlibet computando, graciose prouidimus, damusque et prouidemus presencium per tenorem, per ipsum cum omnibus utilitatibus, fructibus, prouentibus, censibus, redditibus, coherencijs, pertinencijs et appendijs uniuersis, ad eandem villam quomodolibet ab antiquo spectantibus, habendum, tenendum, utifruendum, et pacifice possidendum, quousque sibi vel suis successoribus per nos vel successores nostros dicte quinquaginta marce exsolute fuerint integre et de pleno. Quibus exsolutis prefate ville possessio ad nos vel successores nostros redire debebit pleno jure: demptis dumtaxat stacionibus solitis, quas pro nobis et successoribus nostris totaliter reseruamus. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Datum *Poznanie*, feria sexta infra octauas visitacionis beate virginis Marie, anno domini millesimo quadringentesimo decimo octauo.

Relacio venerabilis Sbignei de Oleschnijcza, scolastici et canonici sandomiriensis.

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniola pergamena appensum sigillum idem, quod in opere T. Działyńscii „Zbiór Praw etc. Poznań 1841" in imo tabulae VI a parte dextera conspicitur.

(2) Fortasse *Kossemin* villa territorii et regionis Mławensis.

CCCLXII.

Lanciciae, anno 1418 die 4 mensis Augusti.

Wladislaus Rex Poloniae Ecclesiae Wladislauiensi priuilegia eadem, quibus ecclesia Gnesnensis utitur, largitur (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter humane nature comoda (sic) nichil dignius memoria habeatur, opportunum existit, ut actus hominum literarum apicibus et annotacione testium perhennentur, ne lapsu temporis evanescant. Proinde nos Wladislaus, dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracowie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuijawie, Litwanieque princeps Suppremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres etc., significamus tenore presencium quibus expedit universis presentibus et futuris, presencium noticiam habituris: Quod ex quo ad hoc divine maiestatis providencia Nobis Regni comisit (sic) gubernacula et Dyadematis Nos honore insignivit, et cum omnium sub nostri Regiminis cura consistencium profectibus teneamur intendere, maxime personis spiritualibus et Ecclesie ministris, quorum suffragijs et precibus gressus nostri debite diriguntur, fatemur nos obligari; proinde attendentes, quomodo Ecclesia Wladislaviensis, una cum suis Presule et ministris, circa granicies et limites Bonorum dicte Ecclesie a nonnullis adversarijs et emulis nunc judiciorum strepitibus, nunc opressionibus (sic), nunc violencijs et calumpnijs, multa atque varia paciuntur detrimenta: volentes itaque, ut prefata Ecclesia Wladislaviensis, sub nostre proteccionis posita presidijs, ab opressionibus huiusmodi eruatur, et per nostra opitulamina debita libertate letetur, omnibus juribus, privilegijs, conswetudinibus, immunitatibus et gracijs, quibus Ecclesia Gneznensis potitur, tam circa limitaciones bonorum, quam eciam circa alia Jura, que ipsam Ecclesiam Wladislaviensem, et eius comodum videbuntur concernere, concedimus utifrui et gaudere. Vobis igitur omnibus et singulis Palatinis, Castellanis, Capitaneis, Subcamerarijs, Dignitarijs,

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Funiculo serico coloris coccinei, nigri et flavi, appensum est sigillum, sic dictum majestaticum Regis Wladislai. Invenitur et aliud exemplar hujus tabulae, quod tamen nullas exhibet variantes lectiones.

Nobilibus, Terrigenis et quibusvis Regni nostri officialibus et subditis, fidelibus dilectis nostris, firmis damus Regalibus in mandatis, quatenus prefatam Ecclesiam Wladislaviensem, ipsius Presulem et ministros circa Jura, privilegia, conswetudines, Immunitates, libertates et gracias, quibus Ecclesia Gneznensis utitur ab antiquo, inviolabiliter et illese debeatis conservare perpetuis temporibus et in ewum. Harum, quibus sigillum maiestatis nostre appensum est, testimonio literarum. Actum *Lancicie,* feria quinta post festum Sancti Petri ad vincula, anno domini millesimo quadringentesimo decimo octavo, presentibus Reverendis in Christo patribus, dominis: Nicolao Sancte Gneznensis Ecclesie archiepiscopo et Primate, Alberto Cracowiensis, Andrea Poznaniensis, et Jacobo Plocensis, Ecclesiarum Episcopis; Magnificis et Nobilibus: Cristino de *Ostrow* Castellano, Johanne de *Tharnow* Palatino, Cracoviensibus; Nicolao de *Michalow* Sandomiriensi, Nicolao de *Opporow* Lanciciensi, et Jacobo de *Konieczpolie* Siradiensi, Palatinis; multisque alijs fide dignis, fidelibus dilectis. Datum per manus predicti domini Alberti Episcopi Cracoviensis, Regni Polonie Cancellarij, et Venerabilis Johannis Decani Cracoviensis, eiusdem Regni Vicecancellarij, sincere nobis dilectorum.

Ad relacionem venerabilis Sbignei de Oleschnicza, Scolastici Sandomiriensis, Aule Regie prothonotarii.

CCCLXIII.

In villa Gębice, anno 1420 die 7 mensis Junii.

Limites inter villas *Modliborzyce* et *Parchanie* constituti approbantur (¹).

Nos Andreas de *Ludbrancz* Judex, nec non Andreas de *Brzeszye* subjudex Terre Cuijavie generales, significamus presentibus et futuris, quibus expedit universis: quomodo Magnifici ac Nobiles viri, domini Petrus Schaf-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Duorum sigillorum abruptorum supersunt taeniolae pergamenae.

franecz, Subcamerarius Cracoviensis, Johannes de *Newyesz*, prepositus Cruschviciensis, Florianus Castellanus Visliciensis, Bloch dapiffer Dobrinensis, de anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo, feria sexta infra octavas festi Penthecostes, judicio Regali in *Gambicze* presidentes (²), causam, que inter Reverendissimum in Christo patrem dominum Johannem, dei gracia Episcopum Wladislaviensem ab una, nec non Nobilem Modlibogyum de ***Modliboszicze***, parte ab altera, pro limitacionibus granicierum inter hereditates, has videlicet: *Parchanye* predicti domini Episcopi, et ***Modliboszicze*** Modlibogij predicti tractantes (³), nobis literatorie descripserunt, quomodo dominum Episcopum predictum circa litteram Judicum seu Judicij Wladislaviensium, coram ipsis ibidem presentatam racione granicierum predictarum perpetue remanserunt, et remanent per presentes, nobis hoc ipsum per litteras ipsorum plenius protestantes. Eatenus nos, audita ac visa huiusmodi cause per dominos suprascriptos tali diffinicione et decisione, predicte littere, coram dominis prescriptis sic presentate, robur perpetue firmitatis adiudicavimus, et ipsam confirmamus perpetuis temporibus duraturam. Si autem Modlibogyo predicto aliqua iniuria a domino Episcopo predicto super antiquis granicijs videretur, extunc ipse Modlibogyus cum domino Episcopo predicto, Jure terrestri secure poterit procedere pro eisdem. Harum, quibus Sigilla nostra sunt appensa, testimonio litterarum. Actum et datum, et presentibus hijs testibus, quibus supra.

(²) *Gębice* villa territorii Lanciciensis, regionis Zgierscensis; *Lubraniec* oppidum et villa territorii Cujaviensis, regionis vero Brestensis; *Brzoze* villa ejusdem regionis.

(³) *Modliborzyce* villa circa villam *Parchanie* in territorio Bydgostiensi, regione Juniwladislauiensi sita, non est confundenda cum villa ejusdem nominis in territorio et regione Opatoviensi sita.

CCCLXIV.

Lovicii anno 1423 die 23 mensis Aprilis.

Villa *Miroslawice*, de cujus dominio lis vertebatur inter capitulum ecclesiae collegiatae sanctae Mariae Lanciciensis, et Petrum Boleste praepositum ejusdem ecclesiae, capitulo adjudicatur (¹).

In nomine domini, amen. Nos Strzesco, canonicus poznaniensis, et rector parrochialis in *Lowicz*, ecclesiarum, arbiter, arbitrator et amicabilis compositor, per et inter venerabiles viros, dominos: Sandiwogium decanum, Albertum scolasticum, Thomam archidiaconum, Nicolaum cantorem, Jacobum Morakowsky, Sassinum de *Dzerzanszna*, Laurencium de *Borzewiczsko*, Jacobum de *Kandzerzino*, Adam de *Drzewcze* et Johannem de *Welatowo*, prelatos et canonicos (²), totumque capitulum lanciciense ab una, et reuerendum patrem dominum Petrum Boleste, prepositum eiusdem ecclesie lanciciensis predicte, ac Sedis apostolice prothonotarium, gneznensis diocesis ex altera partibus, in vim compromissi per predictas partes in causa, que vertebatur et verti sperabatur inter easdem partes de et super villa *Miroslawicze* (³) et eius proprietate, in districtu et terra lanciciensi sita, facti, habiti et inscripti specialiter ad hoc ellectus (sic), nominatus et deputatus. Notum facimus uniuersis tam presentibus quam futuris, presencium noticiam habituris: Quomodo coram nobis comparens honorabilis vir dominus Jacobus Morakowsky, canonicus et procurator, et nomine procuratorio venerabilium virorum capituli dicte ecclesie lanciciensis, prout de sue procurationis mandato, manu discreti Gregorij Pauli de *Mileow* (⁴), notarii publici constabat sufficienter per legittima documenta, literas comissionis

(¹) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae N^ro 1555 descriptum. Sigillum deest.

(²) *Dzierząsna* villa territorii Lanciciensis, regionis Zgierscensis; *Borzewisko* territorii Calissiensis, regionis Wartensis; *Kęcerzyn* territorii et regionis Lanciciensis; *Drzewce* ibidem. Quid sibi velit *Welatowo*, non satis nobis constat.

(³) *Miroslawice* villa territorii Lanciciensis, regionis Zgierscensis.

(⁴) *Milejow* villa territorii et regionis Petricoviensis.

reuerendissimi in Christo patris et domini domini Nicolai, dei gracia Archiepiscopi et primatis sancte gneznensis ecclesie, sanas, saluas, integras, non viciatas, non cancellatas, omnique prorsus vicio et suspicione carentes, eius vero sigillo subimpresso sigillatas, una cum duobus instrumentis compromissi inter predictas partes facti, et de manu dicti Gregorij notarij publici in nostram personam conscripti et signati produxit et presentauit. Quorum tenores, et primo comissionis sequitur in hec verba:

Nicolaus, dei gracia sancte gneznensis ecclesie archiepiscopus, primas. Honorabili viro domino Strzesconi, canonico poznaniensis, et rectori parrochialis in *Lowicz*, ecclesiarum, salutem in domino. Pro parte venerabilis capituli ecclesie collegiate sancte Marie lanciciensis ad nostram noticiam est deductum: Quomodo in vos, tamquam arbitrum, arbitratorem ac amicabilem compositorem, una cum venerabili viro domino Petro Boleste, preposito eiusdem ecclesie lanciciensis, sedis apostolice prothonotario, de et super villa *Miroslavicze*, quam ipsum capitulum ad se, et dominus Petrus, prepositus predictus, similiter ad se et suam preposituram predictam lanciciensem dicebant pertinere et spectare, solempne fecerunt compromissum. De qua uilla et cause meritis, ut dicitur, absque testium recepcione et examine eorundem nulla debite poteritis cognoscere racione. Igitur vobis committimus per presentes, quatenus testes, qui per dictos dominos: capitulum, et Petrum prepositum, in causa et facto huiusmodi nominati fuerint, si se gracia, odio, timore uel fauore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, auctoritate nostra, cogatis veritati testimonium perhibere. Datum in castro nostro *Uneow*, XXVIII die mensis septembris, anno domini millesimo CCCC° XX secundo, nostro sigillo presentibus subappenso.

Instrumentorum vero compromissi tenores sequuntur et sunt tales, et primo primi:

In nomine domini, amen. Sub anno natiuitatis eiusdem millesimo CCCC° vicesimo secundo, indicione quarta decima, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini, domini Martini, diuina prouidencia pape quinti et moderni, anno ipsius quinto, die vero undecima mensis Septembris, hora terciarum, uel quasi, in loco capitulari, in ecclesia sancte Marie lanciciensis collegiate sito. In mei, Notarij publici, testiumque infrascriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum presencia, Constituti personali-

ter venerabiles viri domini, Sandiwogius decanus, Albertus scolasticus, Thomas archidiaconus, Nicolaus cantor, Jacobus Morakowsky, Sassinus de *Dzerzaszna,* Jacobus de *Kandzerzino*, Adam de *Drzewcze*, Johannes de *Welathowo,* prelati et canonici ecclesie lanciciensis, tempore generalis capituli soliti et consueti tunc celebrati, et ad sonum maioris campane, ut moris est, congregati ex una actores, et venerabilis vir dominus Petrus Boleste, prepositus ecclesie lanciciensis predicte, ac sedis apostolice prothonotarius, reus ex altera partibus; volentes parcere hinc inde laboribus, sumptibus et expensis super controuersia, quam habebant inter se de et super villa *Miroslauicze,* in predicta gneznensi diocesi sita: quam prefati decanus, ceterique prelati et canonici ad se et ad capitulum ipsius ecclesie lanciciensis coniunctim et diuisim spectare asserebant, prout eciam idem dominus prepositus ex altera partibus, ad se et prepondituram suam specialiter spectare dicebat, omni modo, jure et forma, quibus melius potuerunt, et quilibet eorum potuit, de alto et basso, renuncciantes omni excepcioni juris et remedijs quibuscunque, compromiserunt unanimiter ac simul, nullo eorumdem contradicente uel reclamante, in honorabilem virum dominum Strzeskonem canonicum prebendatum poznaniensem, tamquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem de et super uilla *Miroslauicze* predicta, dantes et concedentes eidem plenam et omnimodam potestatem, testes et examina eorundem, cuiuscumque status, condicionis, preeminencie uel dignitatis fuerint, recipiendi, et eosdem examinandi, ac de merito huiusmodi cause cognoscendi, de et super articulis pro [? per] utraque [utramque] parcium, hinc a data presencium infra duos menses, continue se sequentes, indilate dandis, etc., quod eciam commissio de et super examinacione et coaccione testium, a reuerendissimo in Christo patre domino Nicolao Archiepiscopo gneznensi, et in personam ipsius, de ipsarum parcium unanimi consensu, obtinere et presentare debet. Volentes et hinc inde consencientes, quod prefatus dominus Strzesco, arbiter, arbitrator et amicabilis compositor, possit et valeat testes et juramenta ipsorum recipere et examinare, nec non quoscumque ad producendum quecumque jura et priuilegia producenda compellere, sentenciamque huiusmodi ac pronuncciacionem arbitrariam, seu laudum, ex huiusmodi attestacionibus et alijs productis et producendis, ju-

ris ordine seruato uel non seruato, singulis diebus dominicis et festiuis, feriatis et non feriatis, vocatis eciam ad hoc partibus, uel non vocatis, eciam ipsis uel earum altera absente uel presente, stando uel sedendo, in quocumque loco, uel loco loci, uel quacumque prouincia, uel diocesi, et hoc infra hinc et sex menses inclusiue; ipseque partes: decanus, ceterique prelati et canonici ex una, et prepositus prefati (sic) ex alia partibus promiserunt, et quilibet eorum promisit, sentenciam, arbitrium seu laudum siue pronuncciacionem huiusmodi per ipsum dominum Strzeskonem ferenda, emulganda imperpetuum (sic) tenere ac inconcusse et inuiolabiliter obseruare, nec ab eadem velle umquam aliquo tempore, quouis quesito colore, appellare, sub pena mille florenorum auri puri de camera iusti et boni ponderis: in casu, quod absit, si aliqua pars dictarum parcium dicte sentencie, arbitrio, laudo siue pronuncciacioni in toto uel in aliqua sui parte contrauenerit, extunc mille florenos auri incurrit et incidit ipso facto, cujus medietatem parti tenenti, et aliam medietatem ecclesie lanciciensi predicte, pro fabrica, irremissibiliter persoluere tenebitur: ad quam eciam tam per ordinarium, quam delegatum seu alium quemcumque judicem siue comissarium, et per ipsummet dominum Strzeskonem potuerit et debet ad dandum et soluendum compelli. Quibus eciam, tam penis, quam jurisdicioni dicte, partes se sponte et voluntarie submiserunt, et quelibet earum se submisit, renuncciantes et quilibet eorum renunccians omnibus privilegijs statuti, juris, et canonis, nec non legibus ac alijs remedijs quibuscumque. Super quibus omnibus et singulis, dicte partes a me, notario publico, pecierunt sibi confici unum uel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Acta sunt hec anno, indicione, pontificatu, die, mense, hora et loco, quibus supra. Presentibus discretis viris, dominis: Helmanno et Petro, vicarijs dicte ecclesie lanciciensis, Paulo de *Sarowo* (⁴) et Nicolao de *Cracowia*, notarijs publicis, ac Nicolao Stoszy, capellano prefati domini prepositi, testibus circa premissa. Et ego Gregorius Pauli de *Mileow*, clericus gneznensis diocesis, publicus, imperiali auctoritate, notarius: Quia predictis compromisso, laudo et ratihabicioni, alijsque omnibus et singulis premissis, dum sic fierent et agerentur,

(⁴) Fortasse *Szarow*, cujus nominis duae occurrunt villae in provincia Calissiensi, et quidem in territorio Calissiensi, regione Wartensi, nimirum *Szarów pański* et *Szarów księży*.

una cum prenominatis testibus presens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audiui, manuque propria conscribens in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis consignaui, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

Instrumentum vero secundi compromissi sequitur in hec verba:

In nomine domini, amen. Sub anno natiuitatis eiusdem millesimo quadringentesimo vicesimo tercio, indicione prima, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini, domini Martini, diuina prouidencia pape quinti moderni, anno ipsius sexto, die vero tercia mensis ffebruarij, hora terciarum uel quasi, in loco capitulari in ecclesia sancte Marie Lanciciensi collegiata, diocesis gneznensis, in mei, notarij publici, testiumque infrascriptorum ad hoc vocatorum et rogatorum presencia: Constituti personaliter venerabiles viri, domini: Sandiwogius decanus, Albertus scolasticus, Thomas Archidiaconus, Nicolaus cantor, Jacobus Morakowskij, Sassinus de *Dzerzaszna*, Laurencius de *Borzewiczsko*, Jacobus de *Kandzerzino*, Adam de *Drzewcze* et Johannes de *Welathowo*, prelati et canonici capitulariter congregati ab una pro se, et reuerendus pater dominus Petrus Boleste, prepositus ecclesie lanciciensis predicte, ac Sedis apostolice prothonotarius, dicte diocesis gneznensis, ex altera partibus, ratificarunt compromissum in personam honorabilis viri domini Strzeskonis, canonici ecclesie poznaniensis etc., de et super villa *Miroslauicze* alias factum, et eidem domino Strzeskoni presentatum, et per eundem omnis huiusmodi compromissi arbitrum susceptum, addicientes (sic), quod idem dominus Petrus prepositus articulos de jure suo, quod pretendit se habere in dicta villa *Miroslauicze,* non obstante lapsu termini in eodem compromisso specificato, hinc et infra ad undecimam mensis Marcij proxime venturi exclusive possit et dare valeat. Volentes et consencientes hinc inde prefati domini Petrus prepositus, Sandiwogius decanus, ceterique prelati et canonici suprascripti, quod idem dominus Strzesko omnem potestatem testes, juramentaque eorundem, ac queuis jura et munimenta recipiendi, ac quoscumque ad dandum eadem compellendi, ipsosque testes examinandi, arbitrandi, laudandi, sentenciandi, et in forma primi compromissi per omnia procedendi habeat hinc et ad festum sancti Adalberti proximum inclusive. Promittentes eedem partes, et quelibet pars earumdem, videlicet Petrus prepositus, Sandiwogius decanus etc. promisit


michi Notario manu solempniter stipulanti omnia rata et grata tenere et habere, queque per dictum dominum Strzeskonem fuerint sentenciata, arbitrata, laudata et pronuncciata, sub pena et penis in priori compromisso contenta et contentis. Super quibus omnibus et singulis predicte partes a me, Notario publico, pecierunt sibi confici unum uel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Acta sunt hec anno, indicione, pontificatu, die, mense, hora et loco, quibus supra. Presentibus discretis viris, dominis: Helmanno Notario publico, et Mathia Rzepisszewsky, vicarijs predicte ecclesie lanciciensis, testibus ad premissa vocatis et rogatis.

Et ego Gregorius Pauli de *Mileow*, clericus gneznensis diocesis, publicus, imperiali auctoritate, notarius: Quia dictis compromissi et laudi ratificacioni et approbacioni, omnibusque alijs et singulis premissis, dum sic, ut premittitur, fierent et agerentur, una cum prenominatis testibus presens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audiui, et ipsa omnia manu propria conscribens in hanc publicam formam redegi, signo et nomine meis solitis et consuetis consignaui, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

Quibus quidem comissione, literis et instrumentis compromissi productis et nobis presentatis, ac per nos receptis, dicte partes hinc inde posiciones et articulos produxerunt, et quelibet pars pro sua parte produxit. Pettentes (sic) se, et quelibet pars petiuit suos articulos ad probandum admitti et literas cittacionum (sic) necessarias contra certas personas et testes decerni. Quibus per nos admissis et literis cittacionum decretis contra testes, certum terminum eisdem partibus ad inducendum dictos testes, et ad probandum eorum articulos, nec non ad dandum et producendum jura, priuilegia et alia munimenta, si que producere vellent causam et negocium huiusmodi concernencia, assignauimus competentem. Quo termino veniente, predicte partes, et quelibet earum, pro suo interesse testes, literas, priuilegia et alia jura ac munimenta, quibus in huiusmodi causa uti volebant, induxerunt et produxerunt. Quibus testibus, recepto ab eis primitus de dicenda veritate in manibus nostris prestito corporali juramento, per nos diligenter examinatis, ipsorumque dictis publicatis, ac eorum deposicionibus, nec non omnibus et singulis actis, juribus, priuilegijs, scripturis, munimentis, in huiusmodi causa per dictas partes productis, visis et reuisis, ac diligenter

auscultatis, inter nos matura deliberacione prehabita, equaque lance justicie discussis, ad nostram sentenciam arbitralem processimus, quam in scriptis tulimus et pronuncciauimus, ac ferimus et pronuncciamus huiusmodi sub tenore: † Cristi nomine invocato, pro tribunali sedentes et solum deum habentes pre oculis, de jurisperitorum consilio, ac matura inter nos deliberacione prehabita diligenti, ac per ea, que in presenti causa vidimus et cognovimus, videmus et cognoscimus de presenti, per hanc nostram sentenciam arbitralem, quam ferimus in hijs scriptis pronuncciando dicimus, laudamus, ordinamus, diffinimus, arbitramur et declaramus: villam *Miroslaticze*, wlgariter nunccupatam, in districtu lanciciensi sitam, ad capitulum ecclesie collegiate sancte Marie lanciciensis pertinuisse et spectasse, pertinereque et spectare de jure debere; Venerabilemque virum dominum Petrum Boleste, prepositum eiusdem ecclesie lanciciensis et prothonotarium Sedis apostolice, de proprietate ville *Miroslauicze* se intromisisse de facto et non de jure: ob quod eidem domino Petro preposito super proprietate predicte ville perpetuum silencium imponimus per presentes, et hec omnia laudamus, arbitramur, diffinimus, dicimus atque inviolabiliter precipimus fieri et obseruari, sub pena mille florenorum auri puri, iusti ponderis in singulis capitulis laudi et compromissi, si contra factum fuerit, committenda, saluo et reseruato nobis arbitrio, et potestate declarandi, interpretandi et corrigendi, et super predictis ubicumque et quandocumque visum fuerit expedire, et super predictis et quolibet predictorum iterum semel et pluries pronuncciandi. Lecta, lata et in scriptis pronuncciata est hec nostra sentencia arbitralis, per nos Strzesconem canonicum arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem, in opido *Lowicz*, in domo habitacionis nostre, sub anno a natiuitate eiusdem (sic) millesimo quadringentesimo vicesimo tercio, indicione prima, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Martini, diuina prouidencia pape quinti, anno sexto, die vero veneris vicesima tercia mensis aprilis, hora vesperarum vel quasi. Presentibus ibidem discretis viris, dominis: Johanne rectore parrochialis ecclesie in *Withkowo*, Andrea Trawicz, Ffloriano et Martino Miska, ac Alberto Chmelonis, presbiteris ibidem de *Lowicz*, gneznensis diocesis, testibus circa premissa. In quorum omnium fidem et testimonium premissorum, presentes literas, nostram arbitralem sentenciam in se continen-

tes, per Petrum de *Inowlodz*, Notarium publicum (⁵), causeque huiusmodi coram nobis scribam infrascriptum subscribi et publicari, nostrique sigilli appensione iussimus communiri.



Et ego Petrus Michaëlis de *Inowlodz*, clericus gneznensis diocesis, publicus, imperiali auctoritate, Notarius, et coram prefato honorabili viro domino Strzescone canonico arbitro, arbitratore et amicabili compositore, cause huiusmodi scriba: Quia predictis sentencie pronuncciacioni, nec non terminorum omnium conseruacioni, alijsque omnibus et singulis premissis, dum sic, ut premittitur, agerentur et fierent, coram prefato domino Strzescone successiue presens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audiui: Ideo hoc presens publicum instrumentum manu propria scribens, in hanc publicam formam redegi, signoque meis et nomine solitis et consuetis una cum appensione sigilli memorati domini Strzeskonis consignaui, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

[5] *Inowlodz* oppidum territorii Rawensis, regionis vero Brzezinensis.

CCCLXV.

Brodniae, anno 1424 die 16 mensis Aprilis.

Wladislaus Rex Poloniae remuneraturus merita Joannis Episcopi Wladislauiensis eidem aream certam ante oppidum *Solec* sitam donat (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia tunc multis errorum et dubiorum prudenter occurrimus incomodis, dum gesta etatis nostre litterarum apicibus et testium annotacione perhennamus, ne lapsu temporis evanescant; Proinde Nos Wladislaus, dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracowie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuijauie, Lythwanie Princeps Suppremus, Pomeranie, Russyeque dominus et heres, etc., Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis: quomodo attendentes grate fidelitatis studiosa merita, quibus Reverendissimus in Christo pater dominus Johannes, dei gracia Episcopus Wladislaviensis, nobis complacuit, nostraque et Regni negocia vtiliter et provide semper direxit ac dirigere poterit et complacere nobis in futurum; horum intuitu, et accensi zelo devocionis, quem ad ecclesiam suam Wladislaviensem predictam obtinemus, sibi aream unam ante civitatem nostram *Solecz* prope *Fordan* superius fluminis *Wysla* (2), pro construenda Curia, domibus et granarijs, dedimus, donavimus, damusque et donamus per presentes. Quam quidem aream pariter cum curia, domibus et granarijs, prefatus dominus Johannes et successores sui Episcopi Wladislavienses ad Ecclesiam Wladislaviensem predictam, habebunt, tenebunt, ipsisque pacifice et quiete, ac pro sue libito voluntatis utifruentur et gaudebunt, perpetuis temporibus et in evum. Harum, quibus sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum in villa nostra *Brodnya*, die dominico Ramispalmarum, anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo quarto, presentibus ibidem Magnificis: Nicolao de *Opporow* Pallatino Lanciciensi, Mosticio de *Stanschow* Poznaniensi, Martino de *Calinowa* Syradiensi, Cristino de *Cozeglowi* Sandeczen-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis.
(2) *Solec* (germanice Schulitz) oppidum ad Vistulam juxta Bydgostiam, haud procul ab oppido *Fordon* situm.

si, Castellanis; Petro Schaffranyecz subcamerario Cracoviensi, Capitaneo Syradiensi, Petro de *Wydawa* Judice Syradiensi, et Jarando de *Brudzewo* Wexillifero (sic) Wladislaviensi ([3]), ac alijs quam pluribus testibus fide dignis circa premissa. Datum per manus venerabilium Johannis decani, Cancellarij, et Stanislai Czolek Cantoris Cracoviensium, vicecancellarij Regni Polonie, nobis sincere dilectorum.

Ad relacionem eiusdem wenerabilis (sic) Stanislai Czolek Cantoris Cracoviensis, Regni Polonie vicecancellarij.

([3]) *Brodnia* villa territorii Calissiensis, regionis Wartensis; *Stanschow* idem quod *Staszow*, oppidum territorii Sandomiriensis; *Kalinowa* villa provinciae Calissiensis; *Koziegłowy* est oppidum in provincia Cracoviensi situm. Sunt quoque villae hujus nominis in provinciis Masoviensi, Calissiensi et Plocensi sitae. *Brudzew* oppidum et villa in provincia Calissiensi.

CCCLXVI.

Radziejoviae, anno 1425 die 23 mensis Aprilis.

Oppidum *Radziejow* Regi Wladislao, Reginae Sophiae ac filio illorum Wladislao fidem spondet ([1]).

Nos Nicolaus magister ciuium, Albertus Zandny, Petrus Karczma, Nicolaus faber, Martinus Swonyk, Sczepan Kabath, Miczek Rachinbarg, Sthephanus (sic) Dalecz, Jacobus Kramarz, moderni et antiqui consules: Micheal (sic) Glenka, Jacussius Kupyecz, Wenceslaus faber, Symon Kramarz, Nicolaus Czayca et Jacobus, scabini et jurati ciuitatis *Radzeouiensis* ([2]), Recongnoscimus tenore presencium quibus expedit vniuersis: Quomodo tacto lingno (sic) viuifice Crucis corporaliter jurauimus, quod serenissimo principi et domino domino Wladislao, dei gracia Regi Polonie etc., domino nostro graciosissimo, quamdiu vitam duxerit in humanis: post ipsum vero, inclito filio suo, domino Wladislao, et preclare domine Zophie, Regine Po-

([1]) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nr. 282 descriptum. Sigillum deest.
([2]) *Radziejewo* vel *Radziejow* oppidum territorii Cujaviensis, regionis caput.

lonie, tamquam tutrici filij sui predicti, et durante huiusmodi tutoria: filio autem ipsius, quod absit, deficiente, illustri domine Heduigij, filie domini Regis, uirgini nondum nupte, semper fideles esse volumus, erimus, promittimus et spondemus sine dolo et fraude, nec umquam aliquem uel aliquos dominos, preter ipsos, alios nobis eligemus, uel queremus, quamdiu ipsis erit vita comes: dolo, fraude, colore, ingenio et occasionibus quibuscumque procul motis. Harum vigore literarum nostrarum, quibus sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum in *Radzeyow*, feria secunda ipso die sancti Georgij et Alberti martirum, anno domini millesimo quadringensimo vigesimo quinto.

CCCLXVII.

Dobriniae, anno 1425 die 9 mensis Maji.

Oppidum *Dobrinia* (Dobrzyń) spondet fidem Regi Wladislao, uxori ejus Sophiae, filio illorum Wladislao atque Alexandro seu Witowdo M. D. Lituaniae (1).

Nos Alexius de *Plonyani* (2) advocatus, Mathias magister ciuium, Petrus Zasundo, Mathias Kozel, Albertus Wyanczkowicz, Nicolaus Solhay, Troyan Albertus Brzesczky, Passek Krowiczsky, Zdzich Gregorius, Stanislaus Kramarz, Mathias Zaba, Mathias Podraza, Mathias Capra, Ubisch, Nicolaus Prus, Boguslaus Cupysz, Jackub (sic) Carminoz, Thomas Lokkek, Mathias sartor, Stanislaus Zambek, Johannes Polecz, Philippus Thextor (sic), consules moderni et antiqui, et jurati ac schkabini (sic) opidi *Dobrinensis*, Recognoscimus tenore presencium quibus expedit uniuersis: Quomodo tacto ligno viuifice crucis corporaliter jurauimus, Quod serenissimo principi et domino domino Wladislao, dei gracia Regi Polonie, domino nostro graciosissimo, quamdiu vitam duxerit in humanis: post ipsum vero, inclito filio suo, domino Wladislao, et preclare domine Zophie, Regine Polonie, ac inclito principi et domino domino Alexandro alias Witowdo, magno

(1) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nr. 281 descriptum.
(2) Sine dubio villa *Plomiany* territorii et regionis Lipnensis.

duci Lithwanie, illustri illustri (sic bis) domino nostro, tamquam tutoribus filij sui predicti: ffilio (sic) autem ipsius, quod absit, deficiente, illustri filie sue Hedwigi etc. semper fideles esse wolumus, erimus, spondemus, et sine dolo et fraude promittimus, nec umquam aliquem uel aliquos dominos, preter ipsos, alios nobis eligemus uel queremus, quamdiu erit ipsis vita comes: dolo, fraude, colore, ingenio et occasionibus quibuscumque procul motis. Harum vigore literarum, quibus sigillum ciuitatis Dobrinensis est appensum. Datum in *Dobrin*, feria quarta proxima post festum sancti Stanislai gloriosi martiris, anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo quinto.

CCCLXVIII.

In oppido Bobrowniki, anno 1425 die 12 m. Maji.

Oppidum *Lipno* spondet fidem Regi Wladislao, uxori ejus Sophiae, filio illorum Wladislao atque Alexandro seu Witowdo M. D. Lituaniae (1).

Nos Czambor àduocatus, Thomas Niger Magister ciuium, Paulus Cunczouicz, Paulus Goczkowicz, Andreas Mislacowsky, Johannes Secala, Jurga, Cunath, consules moderni et antiqui: Mathias Koth, Jacussius Polsky, Jacussius Oczko, Nicolaus Falkouicz, Jacussius Kawka et Bartolomeus, Andreas Ripinek, jurati et scabini opidi *Lipno* (2), totaque comunitas, Recognoscimus tenore presencium quibus expedit uniuersis: Quomodo tacto lingno uiuifice crucis corporaliter jurauimus, Quod serenissimo principi et domino domino Wladislao, dei gracia Regi Polonie, domino nostro graciosissimo, quamdiu vitam duxerit in humanis: post ipsum vero inclito filio suo, domino Wladislao, et preclare domine Zophie, Regine Polonie, ac inclito principi domino Allexandro alias Witoldo, Magno duci Lithuanie illustri, tamquam tutoribus filij sui predicti: Filio autem ipsius, quod absit, deficiente, illustri filie eiusdem domini Regis, domine Heduigi nondum nupte,

(1) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nr. 290 descriptum. Trium sigillorum, quae jam desiderantur, supersunt tantum taeniolae pergamenae.

(2) *Lipno* oppidum hodie in provincia Plocensi, territorii et regionis ejusdem nominis caput.

semper fideles esse volumus, erimus, spondemus et sine dolo et fraude promittimus, nec umquam aliquem uel aliquos dominos, preter ipsos, alios nobis eligemus, uel queremus, quamdiu ipsis erit vita comes: dolo, fraude, colore, ingenio et occasionibus quibuslibet procul motis. Harum vigore literarum, quibus sigillum nostre ciuitatis est apensum. Datum in *Bobrownyky*, sabbato proximo post festum sancti Stanislai, anno domini M° CCCC XX quinto.

CCCLXIX.

Juniwladislaviae, anno 1425 *die* 31 *mensis Maji.*

Oppidum *Juniwladislauia* (Inowrocław) spondet fidem Regi Wladislao, uxori ejus Sophiae, filio illorum Wladislao atque Alexandro seu Witowdo M. D. Lituaniae (1).

Nos Nicolaus Tycza proconsul, Andreas Jaczowskij àduocatus, Johannes Bŏze, Harnik, Nicolaus Lorko, Petrus Tylchen, Georgius institor, Venceslaus pistor, Bertoldus olim proconsul, Johannes Melicz, Nicolaus Bauch, Nicolaus Pesharnik, Nicolaus Niczowicz, antiqui et noui consules: Stefanus Pĕsharnik (sic), Georgius pistor, Handzel sutor, Phalatinus pellifex, Fredricus pellifex, Jacussius Trzanssigoscz, et Henricus Bauch, jurati et scabini ciuitatis *Juuenis Wladislauie*, ac tota communitas eiusdem, Recongnoscimus tenore presencium quibus expedit uniuersis: Quomodo tacto sancte et viuifice Crucis lingno corporaliter jurauimus, Quod serenissimo principi et domino domino Wladislao, dei gracia Regi Polonie etc., domino nostro graciosissimo, quamdiu vitam duxerit in humanis: post ipsum vero inclito filio suo, domino Wladislao, et preclare domine Zophie, Regine Polonie, ac inclito principi domino Allexandro alias Witoldo, magno duci Lithuanie, tamquam tutoribus filij predicti, et durante huiusmodi tutoria: filio autem ipsius, quod absit, deficiente, illustri filie sue, domine Heduigi uirgini nondum nupte, semper fideles esse volumus, erimus,

(1) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nr. 285 descriptam. Taeniola pergamena appensum est sigillum exhibens aquilam, qua duces a Piasto oriundi vulgo utebantur, inter duas columnas collocatam. Ex verbis in ambitu inscriptis legi possunt verba: „*sola... sigillum.*"

spondemus et sine dolo et fraude promittimus, nec umquam aliquem uel aliquos, preter ipsos, dominos alios nobis eligemus uel queremus, quamdiu ipsis erit vita comes: dolo, ingenio, colore, fraude et occasione quibuslibet procul motis. Harum, quibus sigillum ciuitatis nostre est appensum, testimonio literarum. Datum in *Juueni Wladislauia,* feria quinta infra octauas pentecostes, anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo quinto.

CCCLXX.

Lanciciae, anno 1425 die 24 mensis Julii.

Judices a Rege Wladislao designati poenam puellae interfectae in villa Joannis Episcopi Wladislauiensis propria, item decimam lini ab oppidanis *Gniewkoviensibus* pendendam, eidem Episcopo adjudicant (1).

Nos Albertus, dei gracia sancte gneznensis ecclesie Archiepiscopus et primas, significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis: Quod cum Serenissimus Princeps et dominus noster dominus Wladislaus, Rex Polonie etc., nobis cum infrascriptis dominis, videlicet: reuerendo in Christo patre domino Andrea, Episcopo Poznaniensi, ac Magnificis dominis: Sandiuogio de *Ostrorog* poznaniensi, Mathia de *Labischino* brestensi, Janussio de *Cosczelecz* wladislauiensi, palatinis; Martino de *Kalinowa* siradiensi, Johanne de *Sczekoczin* lublinensi, Mathia de *Byelawi* brzezinensi, castellanis; Johanne de *Quathkow* kalisiensi et Petro de *Wydawa* siradiensi, judicibus (2): causas inter reuerendum in Christo patrem dominum Johannem, episcopum wladislauiensem ex una, ac nobilem Dobegneum de *Kamyonacz* Konarsky siradiensem (sic) commisit (3) super quadam pena

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniola pergamena appensum sigillum mediae formae in cera vulgari coloris rubri expressum, repraesentat Episcopum vestibus pontificalibus exornatum stantem, in pedibus ejus effictum est insigne *Jastrzembiec* dictum, in ambitu sigilli haec verba inscripta: „*s. alberti archiepiscopi gneznensis.*"

(2) *Ostrorog* (Scharfenort) oppidum territorii Posnaniensis; *Łabiszyn* oppidum ad Noteciam fluvium in territorio Bydgostiensi, regione Szubinensi situm; *Kościelec* villa ejusdem territorii, regionis vero Juniwladislaviensis; de *Kalinowa* supra monuimus; *Szczekociny* oppidum territorii Olkussiensis; *Bielawy* oppidum territorii Rawensis, regionis vero Brzezinensis; *Kwiatkow* villa territorii et regionis Coninensis; *Widawa* oppidum Sieradiensis territorii et regionis.

(3) Villa *Kamionacz* territorii Calissiensis, regionis Wartensis.

puelle interfecte in villa dicti domini episcopi: ita, quod prefatus Dobegneus asserebat, quod dicta pena capitis ad ipsius dignitatem prefatam, et ad dominum nostrum Regem pertineret, et pro eadem pena villam dicti domini episcopi inpignorauerat: Nos auditis hinc inde propositis et priuilegijs ecclesie wladislauiensis, et diligenter masticatis cum dominis suprascriptis, habito ipsorum consilio et consensu, prefatam penam eidem domino Episcopo wladislauiensi et nulli alteri adiudicauimus, et tenore presencium adiudicamus, eidem Dobegneo Konarsky, et alteri cuilibet, perpetuum silencium imponentes.—Ceterum prefatus dominus noster Rex causam super decima lini, vertentem inter prefatum dominum Episcopum et opidanos de *Gnewkow*, wladislauiensis diocesis, cum suprascriptis dominis iudicandam commisit: Nos vero auditis hinc inde propositis, prefatam decimam lini, videlicet duos grossos de quolibet manso, uel quod decimam ducant, prefato domino episcopo perpetuis temporibus de voluntate et consensu (sic) adiudicauimus, et tenore presencium adiudicamus. In quorum omnium testimonium et euidenciam pleniorem, sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum in *Lancicia*, in vigilia beati Jacobi apostoli gloriosi, anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo quinto, presentibus dominis suprascriptis.

CCCLXXI.

In oppido Chęciny, anno 1425 die 9 mensis Augusti.

Wladislaus Rex Poloniae in silva *Drzewe*, oppidum ejusdem nominis condit, eique jus magdeburgense largitur (¹).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Tunc omnium dubiorum cedunt anfractus, dum res que geruntur in tempore, ne labantur continuo et gestorum contractus extingwatur, literarum presidio solida as-

(¹) Ex archetypó membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nr. 627 descriptum. Sigillum deest. Tabula praecisa, in ejus parte aversa annotatum: „Cassatae posteaquam Sacra Regia Maiestas summas peccuniarum aduocatiae istius per comissarios taxatas, in bona sortis liberae decem mansorum villae *Kalien* transtulit, atque ad thesaurum suae maiestatis datae."

sercione firmantur. Proinde nos Wladislaus, dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyauie, Lithwanieque princeps supremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres, significamus tenore presencium quibus expedit universis, presentibus et futuris, presencium noticiam habituris: Quomodo volentes loca vasta Regni nostri et deserta hominum adimplere presencia, in silua nostra *Drzewe* opidum eodem nomine *Drzewe* nunccupandum (sic) locare et de nowo erigere decreuimus ([2]), et locamus ac tenore presencium errigimus (sic): Quod jure et priuilegio aliarum ciuitatum nostrarum et opidorum, in terra lanciciensi sitorum, communimus, omnia jura, modos et conswetudines (sic) in ipso opido polonicalia innouantes, que jus theutunicum plerumque perturbare conswcuerunt, jus in ϵa (sic) theutunicum Maydburiense exnunc et perpetuo statuentes. Eximimus autem omnes ciues, opidanos et incolas ipsius, ab omni jurisdicione et potestate omnium Regni nostri palatinorum, castellanorum, capitaneorum, judicum, subiudicum, et ministerialium, ceterorumque officialium ipsorum, ut coram ipsis, aut ipsorum aliquo pro causis tam magnis, quam parwis, puta: furti, mutilacionis, seu quibusuis alijs enormibus excessibus citati, minime respondebunt, nec aliquas penas soluere tenebuntur. Sed ciues ciuitatis seu opidi memorati coram aduocato suo, nec non consulibus et juratis, qui pro tempore fuerint: advocatus vero coram nobis, uel judice nostro generali, dum tamen per nostram literam sigillo nostro sigillatam, uel eiusdem judicis nostri, euocatus fuerit et citatus, et hoc si in reddenda iusticia negligens fuerit et remissus, tunc non aliter, quam suo jure theutunico de se querulantibus respondere sit astrictus. In causis autem criminalibus et capitalibus superius expressatis, aduocato eiusdem ciuitatis uel opidi, qui pro tempore fuerit, in metis et granicijs eiusdem judicandi, sentenciandi, corrigendi, puniendi, plectendi et condempnandi plenam damus, et omnimodam tenore presencium concedimus facultatem, prout hoc ipsum jus theutunicum in omnibus suis punctis, articulis, sentencijs, condicionibus et clausulis postulat et requirit: Juribus tamen nostris regalibus in omnibus semper saluis. In quo quidem opi-

([2]) Oppidum hocce utrum revera existeret nec ne, non satis nobis constat; hodie est tantum villa *Drzewce* in territorio et regione Lanciciensi sita.

do seu ciuitate aduocaciam nobili Stanislao de *Byelicze* ([3]), nostro fideli dilecto cum suis successoribus legittimis, ut per eius studium et operam collocari valeat et hominum velocius multitudine profici et adimpleri, damus, donamus, conferimus et largimur perpetue et in ewm, cum quatuor mansis liberis, una stuba balneali, una domo cum una area, ultra alias areas dicti opidi comunes, quasi per medium unius aree laciori, cum uno prato et duabus thabernis, duabus cameris pistorum, duobus maccellis (sic) carnificum et duobus ortis. Item cum tercio denario de omni re iudicata in dicto opido, siue ciuitate, cum sexto denario census opidi siue ciuitatis predicte. Item omnia juramenta alias *przissassna* ex quibuscumque causis in judicio opidi predicti prouenientibus, per ipsum et eius successores habenda, tenenda, utifruenda, nec non vendenda, commutanda, de consensu nostro et nostrorum successorum et alias conuertenda, prout sibi et suis successoribus videbitur utilius et melius expedire. Racione cuius aduocacie idem Stanislaus et eius successores nobis et successoribus nostris ad quamlibet expedicionem nostram contra quoscumque hostes nostros et rebelles, cum duobus equis et una balista debent nobis et nostris successoribus obsequi et seruire. Hoc eciam specialiter preuiso et expresso, quod dictum opidum, postquam libertas ipsius, quam sibi ad viginti annos tenore presencium concedimus, exspirauerit, ad omnia jura, soluciones et conswetudines (sic) nobis teneatur, sicut alie ciuitates nostre sibi vicine nobis obligantur. Volumus autem, quod opidum nostrum predictum cum alijs ciuitatibus nostris et opidis, in terra lanciciensi sitis, paribus juribus et priuilegijs, emunitatibus (sic) et granicijs gratuletur, et sub nostre proteccionis presidijs requiescat. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimoino literarum. Actum in *Chanczini*, feria sexta in vigilia sancti Laurencij martiris gloriosi, anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo quinto. Presentibus ibidem magnificis, strennuis et nobilibus: Cristino de *Ostrow* cracouiensi, Michaële de *Czisow* sandomiriensi, castellanis; Paulo de *Bogumilouicze* judice cracouiensi, Johanne de *Bronischow* capitaneo lublinensi, ... czechouiensi, Domaratho de *Kobilany* Bytensi (sic), et Stanislao Gelithko Br(estensi ?) castellanis, et alijs pluribus fide dignis, fidelibus di-

([3]) *Bielice* villa territorii Gostynensis, regionis Orloviensis.

lectis ([4]). Datum per manus venerabilium Johannis decani, cancellarij, et Stanislai Czolek cantoris cracouiensis, custodis gneznensis, ecclesiarum, vicecancellarij Regni Polonie, sincère nobis dilectorum.

Ad relacionem eiusdem venerabilis Stanislai Czolek custodis gneznensis, Regni Polonie vicecancellarij.

([4]) *Chęciny* oppidum territorii et regionis Kielcensis; *Czyżow* villa territorii et regionis Saudomiriensis; *Broniszów* est in Miechoviensi et in Petricoviensi territorio; *Kobylany* plures sunt villae ejus nominis in variis regionibus sitae.

CCCLXXII.

In oppido Chęciny, anno 1425 die 17 mensis Augusti.

Stanislaus venator Lanciciensis cuidam Clementi de *Dzierzbice* advocatiam in villa *Niwki* vendit, quam venditionem Wladislaus Rex Poloniae ratam esse jubet ([1]).

In nomine domini, amen. Ad futuram rei memoriam. Ne error obliuionis gestis sub tempore uersantibus inposterum pariat detrimenta, alta Regum et Principum consilia decreuerunt ea literarum apicibus et testium annotacione perhennari, ne lapsu temporis euanescant. Proinde Nos Wladislaus, dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cujauie, Lithwanieque princeps supremus, Pomeranie Russieque dominus et heres, significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis: Quomodo in nostre Maiestatis presencia personaliter constitutus fidelis noster Clemens de *Dzirbicze* quandam literam seu priuilegium Stanislai, generalis venatoris lanciciensis condam de *Pelcziska*, nobis exhibuit et produxit Maiestati nostre debita cum instancia supplicando, quatenus sibi eandem literam de innata nobis regie benignitatis clemencia ratificare,

([1]) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae, et quidem Nr. 611 descriptum. Funiculo serico coloris rosei, albi et nigri appensum est sigillum idem, quod in opere „Zbiór praw etc." in ima parte tabulae IV a manu sinistra effictum cernitur. Tabula haec praecisa, in aversa autem ejus parte annotatum: „Cassatae, postquam S. Regia Maiestas summas introcontentas Nobili Martino Kalyensky in bona sua sortis liberae decem mansorum villae *Kalyen* transtulit, atque ad Thesaurum Suae Maiestatis latae."

approbare, renoware et confirmare dignaremur. Cuius quidem tenor litere de uerbo ad uerbum sequitur et est talis:

In nomine domini, amen. Singula hominum gesta, que aguntur in tempore, labuntur una cum tempore ab eorum memoria, nisi testimonium (sic) literarum ac municionibus sigillorum debite perhennentur. Significamus presentibus et futuris quibus expedit, noticiam presencium habituris: Nos Stanislaus generalis venator lanciciensis, nec non heres condam de *Pelcziska*, olim de *Kalen*, cupientes ampliare bona silue inter *Clodauam* et *Przedecz*, nobis ex fauore et donacione speciali a Serenissimo principe Rege Polonie comisse (sic), villam in eadem silua hoc nomine nunccupatam *Nywky*, in districtu lancicie (²), prout est (sic) in suis gadibus et limitibus circumferencialiter est (sic) limitata et distincta, de octodecim mansis in nowa radice disposuimus collocandam. In qua quidem villa duos mansos liberos de prefatis octodecim, racione aduocacie vigore memorati et cum consensu Regis Wladislai, vendidimus perpetue resignantes honesto Clementi de *Dzirbicze* et suis successoribus legittimis, cum omni jure Srzedensi seu theutunico, pro quinquedecim marcis usualibus monete et numeri polonicalis, tenendos, possidendos, vendendos, comuttandos (sic), donandos: iuxta quod sibi melius et utilius videbitur expedire: talibus condicionibus interiectis: Quod prefatus aduocatus una cum sua posteritate legittima nobis uel domino, qui pro tempore fuerit, in equo et expensis proprijs, sic remote quod posset eadem die domum reddire (sic) propriam, tenebitur famulari. Et idem aduocatus, ingruente generali expedicione, in equo proprio, trium marcarum valore (sic), cum domino ad eandem expedicionem tenebitur equitare, uel aliquem loco sui expedire. Item aduocatus cum ceteris ibidem incolis pro quocumque casu, excessu, non alias quam in eadem villa, cuilibet jure pretaxato respondere tenebuntur. Ac eciam idem omnes et singulas causas, tam magnas quas (sic) parwas, que eisdem acciderint, videlicet: capitis, mutilacionis, violencie et furti, jure Srzedensi iudicabit in hereditate predicta. Et de eisdem causis et penis per ipsum iudicatis damus tercium denarium: una cum toto denario juramenti pro se obtinebit. Eciam

(²) *Kalen* villa jam descripta; *Przedecz* oppidum territorii Cujaviensis, regionis vero Kowaliensis, prope oppidum *Kłodawa;* villa *Niwki* territorii Gostynensis, parochiae Dzierżbicensis

eidem aduocato et suis posteris unam mansem (sic), que dicitur ulgariter (sic) *przeczos* apud granicies *Babbe*, ad aduocaciam perpetue addicimus (3). Thabernam unam et ortulanum in dictis duobus mansis suis locare valebit. Item iumenta indomita, valteres (sic), canes, aues venatiles, in eadem villa licite pro sua utilitate poterit seruare. Item idem aduocatus tercium denarium de silua dicte hereditatis, wlgariter *Gayowe*, similiter obtinebit. Ac si idem aduocatus bona dicte aduocacie sue aliqua parte sui meliorauerit, puta exstirpando uel edificando, extunc pro melioribus pecunijs, quam solus emit, vendere valebit, domino sibi non recusante. Preterea kmethones, quotquot in dicta hereditate fuerint, una cum aduocato non plus, nisi per sex grossos monete simplicis in Regno currentis ad festum purificacionis virginis Marie, de quolibet manso, annis singulis, pro decima respondebunt, ut in alijs villis continetur. Quibus eciam a data presencium indulgemus libertatem inhabitantibus quatuordecim annos ab omnibus solucionibus et laboribus, et dacionibus et quibusuis angarijs nullum persenciant grauamen. Qua quidem elapsa libertate, prefati kmethones nobis uel nostris successoribus, quilibet eorum de quolibet manso duodecim grossos, racione census, usualis monete et numeri polonicalis, ad festum sancti Martini; similiter eciam per fertonem, racione expedicionis, wlgariter *woyennego*, eiusdem monete, annis singulis, tenebuntur expagare, una cum quatuor choris (sic) awenealias *ossep*, super festum primo dictum. Item eciam dicti kmethones per quinque decim owa et per unum caseum super festum Pasce, et per duos pullos bonos super festum assumpcionis virginis Marie (4). Insuper dicti kmethones nobis unam diem integram arrare (sic) tenebuntur, sic tamen, quod hoc totum, quantum una die arabunt, illud debent debite terminare, videlicet pro et contra arrare, seminare, metere, capitare et usque in horreum conducere. Similiter eciam in prato una die scindentes gramina rastrare, capitare, conducere et finire annis singulis sint astricti. Et ad festum Natalis Domini quilibet eorum unum plaustrum lignorum de silua nostra in domum nostram conducere tenebuntur. Et eciam duo et duo simul ad forum pro necessarijs nobis debent equitare, et ad vias ubi fuerit oppor-

(3) In ea regione occurrunt villae *Baba* et *Baby*, utra hic intelligenda sit, haud liquet nobis.

(4) Aliquid omissum esse videtur.

tunum. Item judicium magnum siue bannitum anno quolibet ter faciemus: a quo quidem judicio prefati kmethones primo et secundo fertonem nobis soluent monete communis, Aduocatus vero a tercio similiter nobis expagabit. Thabernatores vero, quotcumque in eadem hereditate fuerint, nobis similiter per fertonem et per duos pullos super festum sancti Martini, annis conswetis exsoluent. Et thabernatores aduocati soluent aduocato. Item ortulani, quotcumque fuerint, anno quolibet per sex grossos soluant usuales pecunias. Item dicti ortulani et thabernatores nostri tenebuntur cum kmethonibus in messe et feno laborare, et eciam transire, quocumque eis faciemus. Ut autem hec robur obtineant, sigillo nostro consweto presentes fecimus communiri. Actum et datum in *Kalen*, in vigilia sancti Valentini martiris gloriosi, anno domini M° CCCC° vicesimo quarto. Testibus presentibus, dominis: Alberto plebano de *Dzirbicze*, Thomcone herede de *Gay*, Francone de *Belicze*, Cyborio de *Przewyska*, Stanislao herede de *Sarowo*, Symone vladario de *Kalen* ([5]), et alijs quam pluribus fide dignis.

Nos vero peticionibus eiusdem Clementis, tamquam iustis et racioni consonis, benigniter acclinati, prefatam ipsius literam seu priuilegium in omnibus suis punctis, capitulis, articulis et clausulis in ea contentis, ratam habentes atque gratam, ex nostra certa sciencia ratificamus, innowamus, confirmamus, approbamus et presentis scripti patrocinio roboramus, decernentes ipsam robur perpetue obtinere firmitatis. Nichilominus tamen omnia omnia (sic bis) jura nostra regalia, quibus utimur in presenti, uel que nobis competere dinoscuntur, salua pro nobis et nostris successoribus reseruamus. Harum, quibus sigillum nostre Majestatis est appensum, testimonio iterarum. Actum in *Chanczijny*, feria sexta in octaua sancti laurencij martiris gloriosi, anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo quinto. Presentibus ibidem magnificis strenuis et nobilibus: Cristino de *Ostrow*, cracouiensi, Michaële de *Czisow*, sandomiriensi, castellanis; Paulo de *Bogumilouicze*, judice cracouiensi, Johanne de *Branischow* capitaneo lublinensi, ... czechouiensi ([6]), Domaratho de *Kobilany*, Byttensi (sic),

([5]) *Gajew* villa regionis Orłoviensis, territorii Gostynensis; *Przewijska* fortasse *Przewoz* territorii et regionis Lanciciensis; *Zarowo* villa territorii Cujaviensis, regionis Kowaliensis; *Kalen*, *Dzierżbice* et *Bielice* jam descriptae.

([6]) Nomen aliquod ante vocem *czechouiensi* omissum esse apparet.

et Stanislao Gelithko, *Brzesensi* (sic), castellanis, et alijs pluribus fide dignis, fidelibus dilectis. Datum per manus venerabilium Johannis decani, cancellarij, et Stanislai Czolek cantoris cracouiensis, custodis gneznensis ecclesiarum, vicecancellarij Regni Polonie, sincere nobis dilectorum.

Ad relacionem venerabilis Stanislai Czolek, custodis gneznensis, Regni Polonie vicecancellarij.

CCCLXXIII.

In villa Swięciowiszki, a. 1425 d. 28 m. Septembris.

Wladislaus Rex Poloniae remuneraturus merita Nicolai de *Koszemyno*, eidem in villa regia *Czolpino* quinquaginta marcas inscribit (1).

Wladislaus, dei gracia Rex Polonie, Lithwanieque princeps supremus et heres Russie etc., significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis tam presentibus quam futturis (sic), noticiam presencium habituris: Quomodo perpendentes grate fidelitatis studiosa obsequia et multiplicium meritorum constanciam, quibus nobilis Nicolaus de *Koszemyno*, noster sincere dilectus, nobis complacuit, et in posterum poterit, aucto prestancius studio, complacere: Horum intuitu volentes ipsum graciarum nostrarum prosequi fauoribus, et ad nostra obsequia reddere promptiorem, sibi in et super villa nostra *Czolpyno*, in districtu Radzeowiensi sita, quinquaginta marcas monethe et numeri polonicalium, videlicet quadraginta octo grossos in marcam quamlibet numerando, damus, donamus, conferimus, inscribimus presentibus et largimur graciose tenendam, habendam, utifruendam, cum omnibus et singulis eius utilitatibus, censibus, prouentibus, reditibus, per-

(1) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae. Sigillum, mediae formae appensum taeniola pergamena, divisum est in quatuor campos, quorum superior a parte dextra exhibet aquilam, a parte sinistra equitem lituanicum, vulgo *pogoń* dictum, inferior vero campus a parte dextra exhibet caput tauri, a laeva autem dimidium leonem ac dimidiam aquilam. Inscriptio in ambitu sigilli haec legitur: „*wladisla. dei gra. rex polonie lituanieq. pnce. supm. hes. rusie.*" Tabula praecisa. Ejusdem prorsus argumenti est tabula anni 1418, quae videatur ad Nr. CCCLXI p. 389.

tinencijs, coherencijs et appendijs vniuersis tamdiu, quousque dicte quinquaginta marce sibi uel suis legittimis successoribus per nos, uel nostros successores, integraliter fuerint persolute: quibus solutis predicte ville possessio (sic) ad nos uel successores nostros reuertetur iure pleno. Stacionibus, contribucionibus, nobis dari solitis et consuetis semper saluis. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio litterarum. Datum in *Szwcowyska* (²), feria sexta ipso die sancti Wenceslai martyris gloriosi, anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo quinto.

Relacio venerabilis Johannis decani cracouiensis, Regni Polonie cancellarij.

(²) Erit procul dubio *Święciowiszki* villa territorii et regionis Mariampolensis, provinciae Augustoviensis: etenim eo anno Rex Wladislaus effugiendo pestem, quae in Polonia grassabatur, in iis regionibus commorabatur, proficiscens in urbem Brestiam Litvanicam ad celebranda comitia, quae inchoata sunt die 11 Novembris; quibus finitis cum uxore contulit se in Lituaniam. (Vid. Długossii Hist. Pol.).

CCCLXXIV.

In oppido Brestia Lituanica, a. 1425 d. 15 m. Novem.

Jacobus de *Baranow* **fatetur sibi a Wladislao Rege Poloniae Capitaneatum Dobrinensem possidendum concessum esse** (¹).

Ego Jacobus de *Baranow* (²) publice confiteor et recongnosco (sic), me recepisse et habuisse capitaneatum dobrinensem cum omnibus ciuitatibus, opidis, castris, villis ac alijs bonis ad ipsum spectantibus, a serenissimo principe domino, domino Wladislao, dei gracia Rege Polonie etc., domino michi graciosissimo, ad tenendum et gubernandum michi data et concessa. De quo quidem capitaneatu, siue tenuta, prefato domino nostro Regi, singulis annis quadringentas marcas soluere me obligo et staciones

(¹) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nro 574 descriptum. Taeniola pergamena appensum sigillum minoris figurae repraesentat quasi tres turres; verba in ambitu haec inscripta leguntur: „*s. iacobi de Baranow.*"

(²) Plures villae ejus nominis in diversis provinciis occurrunt.

consuetas ministrare, prout alij capitanei ministrabant. Condicionemque tam terre dobrinensis, quam bonorum predictorum et allodiorum ac edificiorum eiusdem capitaneatus, pro posse meo promitto facere meliorem. Si autem, quod absit, alique guerre uel insultus inimicorum terre dobrinensis iminerent, extunc, durantibus huiusmodi gwerris, a solucione dictarum quadringentarum marcarum volo fieri solutus atque liber. Harum, quibus sigillum meum est appensum, testimonio literarum. Datum in *Brest Ruthenico* (3), feria quinta proxima post festum sancti Martini, anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo quinto.

(3) *Brestia rutenica* siue Brestia lituanica (Brześć litewski) caput provinciae ejusdem nominis. Ibi anno 1425 celebrata sunt comitia, die 11 Novembris inchoata.

CCCLXXV.

Wladislaviae, anno 1426 die 7 mensis Januarii.

Joannes Episcopus Wladislauiensis privilegium scultetiae villae *Sosnka* innovat (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Johannes, dei gracia Episcopus Wladislaviensis, significamus tenore presencium quibus expedit universis presentibus et futuris, presencium noticiam habituris: quod Johannes, Wenczeslaus cum Derska uxore, Martinus et Petrus scolteti de *Soznka*, villa mense nostre Episcopalis in districtu *Radzeyoviensi* iacente, et ad castellaniam nostram *Raczansensem* pertinente, ad nostram venientes presenciam, privilegium super ipsorum scoltetia in parte destructum et corruptum, timentes ipsis et eorum posteris exinde periculum imminere, nobis presentarunt, humiliter supplicantes, quatinus ipsis privilegium cum innovacione et omni Jure antiqui privilegij concedere dignaremur. Nos igitur votis eorum benigniter annuentes, sub ratihabicione wenerabilium (sic) dominorum fratrum nostrorum Capituli nostri Wladislaviensis prefatis

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Funiculo serico coloris viridis et rosei appensa sunt duo sigilla, videlicet Joannis Episcopi et capituli, jam superius descripta.

scoltetis privilegium novum sub punctis et clausulis antiqui privilegij donavimus et dedimus in hunc modum: Ita quod dicti Scolteti et eorum posteri tres mansos liberos a censu et unum ortulanum in dicta villa *Soznka* Jure hereditario perpetuo possidebunt pacifice et quiete: incole vero ville predicte, racione census, tres fertones moneṭe Prutenicalis et numeri Polonicalis, aut similiter tres fertones monete et numeri polonicalis: et hoc erit in opcione nostra: de quolibet manso super festo Beati Martini, et decem ova super festo Pasce, nec non duos pullos super festo assumpcionis Beate Marie virginis gloriose, annis singulis, nobis et nostris successoribus solvere tenebuntur. Judicabunt quoque Scolteti predicti et sui posteri omnes causas magnas et parvas, infra terminos eiusdem hereditatis contingentes, Jure Theutunico Maydburiensi, presente nostro nunccio generali vel speciali ad hoc misso. De iudicatis quoque et iuramentis, similiter de penis et thabernis, nos et nostri successores duos denarios, scolteti vero predicti et ipsorum posteri tercium recipiemus; decimam autem manipularem omnium frumentorum in campo, excepta decima lini, quam dare non debent, nobis et nostris successoribus solvere sint astricti. Statuimus insuper, quod dicti scolteti ac eorum posteri et incole ville predicte procuratorem nostrum et nostrorum successorum, ter in anno recipiant ad faciendum colloquium generale: cui cum sua comitiva scolteti et eorum posteri unum prandium, et incole duo ministrabunt, aut pro quolibet prandio quindecim grossos polonicales solvere tenebuntur: preterea Kmethones ville predicte unam diem ad yemalia, et unam ad estivalia arare, et unam fenum falcare, et hoc idem cumulare, et usque ad horeum nostrum et nostrorum successorum conducere tenebuntur. Insuper concedimus dictis scoltetis et eorum posteris pecora et pecudes servare, et in hereditate pascere, absque dampno nostro et impedimento kmethonum. Ceterum si nos vel nostros successores adversus scoltetos predictos vel eorum posteros aliquid agere contingat, ipsi coram nobis vel nostro tenutario seu capitaneo Raczanznensi (sic) et Judice, quem ad hoc ponemus vel ponet ibidem in hereditate, Jure Maydburiensi predicto respondebunt; preterea predicti scolteti et eorum posteri et incole ville supradicte nobis et nostris successoribus honores, peticiones et servicia exhibebunt, prout hoc ipsum Jus Maydburiense exigit et requirit. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, nostrum et dicti nostri Ca-

pituli sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum *Wladislauie*, feria secunda in crastino Epyphanie domini, in capitulo generali, anno eiusdem millesimo quadringentesimo vicesimo sexto, presentibus ibidem wenerabilibus et honorabilibus dominis: Johanne de *Slupowa* Archidiacono, Predwogio de *Grandi* Cantore, Paulo Wladimiri et Nicolao de *Kyky* decretorum doctore, Petro Cluka, Stanislao Chebde de *Nyewyesch* Magistro, Laurencio de *Borzeviczsko*, Sandivogio Jarando de *Byernaczicze*, Johanne de *Mlodavino* (²) et Petro ungaro, prelatis et Canonicis Wladislaviensibus.

(²) *Słupowo* villa territorii Bydgostiensis; plures sunt villae *Grądy* in diuersis provinciis sitae; *Kiki*, *Borzewisko*, *Biernacice* villae omnes territorii Calissiensis, regionis Wartensis; *Młodawin* territorii Sieradiensis, regionis Szadkoviensis.

CCCLXXVI.

Romae, anno 1426 mense Martio.

Controversia de dominio villae *Orle* inter Petrum de Lubstowo et Joannem Episcopum Wladislauiensem orta componitur (¹).

Reuerendis in Christo patribus et dominis, dominis dei et apostolice sedis gracia Cracouiensi et Poznaniensi Episcopis, eorumque et cuiuslibet ipsorum in Spiritualibus Vicarijs et officialibus generalibus, ac uniuersis et singulis inhabitatoribus et incolis, arrendatoribus, vindemiatoribus, colonis, decimatoribus et laboratoribus ville *Orle*, wladislauiensis diocesis, cum nonnullis alijs villis, lacu, piscinis, molendinis, borris, gays, illi adiacentibus, ac decimis et alijs pertinencijs (uniuersis in) Terra Cuigauiensi (sic), in districtu eiusdem ville *Orle* consistentibus, et presertim Petro Mathye de *Lupstowo* (²), pro custode ecclesie poznaniensis se gerenti, eiusdem ville

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Funiculo serico rubei coloris appensum est sigillum formae ex longo rotundae in cera vulgari coloris rubri expressum. Repraesentat autem imaginem matris dei puerum in sinu tenentis, ab utraque illius parte conspiciuntur duae personae stantes, acsi preces ad eandem fundentes; ad pedes illarum collocata sunt tria scuta cum insignibus jam deletis. Ex verbis in ambitu inscriptis haec leguntur: *„sigillum petri dei gracia episcopi electensis."*

(²) Villa *Orle* regionis Brestensis, *Lubstowo* villa territorii Coninensis, regionis vero Pyzdrensis.

Orle cum villis, lacu, piscinis, molendinis, borris, gays, decimis et ali(js pertinencijs oc)cupatori, omnibusque alijs et singulis, quorum interest, uel intererit, quosque infrascriptum tangit negocium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, quibuscumque nominibus censeantur, aut quacunque prefulgeant dignitate, Petrus, eadem gracia (Episcopus et Executor)... ad infrascripta, una cum infrascriptis, nostris in hac parte collegis cum illa clausula: Quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios etc.: a sede apostolica specialiter deputatus, Salutem in domino et mandatis nostris huiusmodi, ymo uerius apostolicis, firmiter obedire: Literas executoriales in forma *peticio* nuncupatas sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Martini, diuina prouidencia pape quinti, eius vera bulla plumbea impendente cum cordula canapis, more romane curie bullatas, sanas et integras, non viciatas, non cancellatas, non abrasas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vicio et suspicione carentes, nobis pro parte reuerendi patris domini Johannis, Episcopi Wladislauiensis principalis infrascripti, in dictis literis apostolicis principaliter nominati, presentatas, coram Notario publico et testibus infrascriptis nos cum ea, qua decuit, reuerencia noueritis recepisse. Quarum quidem literarum executoriarum (sic) tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis:

Martinus episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri Episcopo Electensi, et dilectis filijs: preposito uneouiensis, ac decano cruschuiciensis, gneznensis et wladislauiensis diocesis, ecclesiarum, salutem et apostolicam benedicciouem. Peticio venerabilis fratris nostri Johannis, Episcopi wladislauiensis nobis exhibita continebat, quod, licet quondam Henricus et alij eius predecessores, Episcopi Wladislauienses, qui fuerunt pro tempore, villam *Orle,* wladislauiensis diocesis, cum nonnullis alijs villis, lacu, piscinis, molendinis, borris, gaijs illi adiacentibus, ac decimis et alijs pertinencijs uniuersis in terra Cuigauiensi (sic), in districtu eiusdem ville *Orle* consistentibus, et ad mensam episcopalem wladislauiensem legittime pertinentibus, racione ecclesie wladislauiensis et mense episcopalis predicte, ab olim tenuissent et possedissent pacifice et quiete; tamen Petrus Mathie de *Lupstowo,* qui se gerit pro custode ecclesie poznaniensis, falso asserens dictam villam *Orle* cum villis, lacu, piscinis, molendinis, borris, gaijs, decimis et alys pertinencys uniuersis ad se spectare: ecclesiam wladislauiensem

53*

et mensam prefatas, villa *Orle* et pertinencys uniuersis et earum possessione contra iusticiam spoliauit, seque in illis (sic) intrusit, ipsasque occupauit et detinuit, prout detinet indebite occupatas, fructus percipiendo ex eisdem. Ortaque propterea inter Episcopum et Petrum predictos super premissis et eorum occasione materia questionis: Nos causam huiusmodi, non obstante, quod de suj natura ad romanam curiam legittime deuoluta, et apud eam tractanda et finienda non esset, quondam Capo de *Laturre*, ad instanciam dicti Episcopi primo, et deinde ex certis causis dilecto filio Magistro Johannj de *Mela*, Capellanis nostris et causarum pallacij apostolici, audiendam commisimus et fine debito terminandam. Quj quidem Johannes auditor, cognitis huiusmodi cause meritis, de consilio et assensu coauditorum suorum causarum dicti pallacij, quibus super hijs relacionem fecit fidelem, per suam diffinitiuam sentenciam pronuncciauit (sic), decreuit et declarauit: prout hec omnia in quodam libello pro parte dicti Episcopi in huiusmodi causa exhibito petita fuerant: spoliaciones, intrusiones, occupaciones et detenciones predictas fuisse et esse temerarias, illicitas, iniustas et de facto presumptas; ipsique Petro super illis perpetuum silencium fore imponendum et imposuit, ipsumque Petrum ab occupacione et detencione ville *Orle* et pertinenciarum predictarum amouendum fore et amouit; dictumque Episcopum ad corporalem possessionem ville *Orle* et pertinenciarum huiusmodi restituendum et reintegrandum fore, et restituit ac reintegrauit, ipsumque Petrum in fructibus ex villa *Orle* et pertinencijs ipsis (sic), a tempore spoliacionis huiusmodi citra perceptis, et in expensis, coram eo in huiusmodi causa legittime factis, condempnandum fore et condempnauit, earundem expensarum taxacione sibi imposterum reseruata. A qua quidem sentencia fuit pro parte dicti Petri ad sedem apostolicam appellatum. Nos causam appellacionis huiusmodi dilecto filio Magistro Johanni Gundissaluj, capellano nostro et causarum dicti pallacij auditori, audiendam commisimus et fine debito terminandam. Quj eciam, cognitis huiusmodi cause meritis, de consilio et assensu coauditorum suorum causarum dicti pallacij, quibus super hijs relacionem fecit fidelem, per suam diffinitiuam sentenciam pronunciauit, decreuit et declarauit, per prefatum Johannem de *Mela*, auditorem in causa huiusmodi bene fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum, ipsiusque sentenciam antedictam confirmandam fore et

confirmauit: et pro parte dicti Petri ab eadem sententia ipsius Johannis de *Mela* auditoris, male fuisse et esse appellatum; dictumque Petrum in fructibus ex villa *Orle* et pertinencijs predictis, a tempore dicte late sentencie ipsius Johannis de *Mela* auditoris citra perceptis, et in expensis, coram eo in huiusmodi causa legittime factis, condempnandum fore et condempnauit, predictarum expensarum taxacione sibi imposterum reseruata. Cumque ab eadem sentencia ipsius Johannis Gundissaluj auditoris pro parte dicti Petri ad sedem fuisset appellatum antedictam, nos causam ultime appellacionis huiusmodi dilecto filio Magistro Cuntzonj de *Zwola*, capellano nostro et causarum dicti pallacij auditori, audiendam commisimus et fine debito terminandam. Qui similiter, cognitis huiusmodi cause meritis, de consilio et assensu coauditorum suorum causarum dicti pallacij, quibus eciam super hijs relacionem fecit fidelem, per suam diffinitiuam sentenciam pronunciauit, decreuit et declarauit, per prefatum Johannem Gundissaluj auditorem in causa huiusmodi bene fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum, ipsiusque sentenciam predictam confirmandam fore et confirmauit; ac pro parte dicti Petri ab eadem sentencia ipsius Johannis Gundissalui auditoris [male fuisse et esse appellatum; dictumque Petrum in fructibus ex villa *Orle* et pertinencijs predictis, a tempore dicte late sentencie ipsius Johannis de *Mela* auditoris] ([3]) citra perceptis, et in expensis, coram eo in huiusmodi causa legittime factis, condempnandum fore et condempnauit, prefatarum expensarum taxacione sibi imposterum reseruata. Et subsequenter Johannes de *Mela*, coram se in quadraginta, Johannes Gundissaluj coram se in quindecim, et Cuntzo, auditores prefati, coram se factas expensas huiusmodi eciam in quindecim florenis aurj de camera, bonj et iusti ponderis, prouida moderacione taxauerunt, procuratoris ipsius Episcopi, super expensis ipsis, iuramentis secutis, prout in instrumentis publicis inde confectis eorundem auditorum sigillis munitis dicitur plenius contineri.—Quocirca discrecionj vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, premissa execucionj debite demandantes, prefatum Episcopum ad corporalem possessionem ville *Orle* cum alijs villis, lacu, pi-

([3]) Verba uncis inclusa, librarii incuria omissa, apposuimus secuti auctoritatem alterius exemplaris hujus tabulae.

scinis, molendinis, borris, gaijs, decimis et alijs pertinencijs huiusmodi auctoritate nostra restituatis et reintegretis, ipsumque restitutum et reintegratum secundum iuris exigenciam defendatis, facientes sibi de ipsarum ville *Orle* et pertinenciarum fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus et obuencionibus vniuersis integre responderj, et de predictis perceptis fructibus et florenorum summis pro dictis expensis, iuxta prefatorum instrumentorum, earundem condempnacionum et taxacionum tenores, plenam et debitam satisfaccionem impendi: contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo. Datum *Rome*, apud sanctos Apostolos, undecimo kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno nono.

Post quarum quidem literarum apostolicarum presentacionem et recepcionem, nobis et per nos, ut premittitur, factas, fuimus pro parte prefati reuerendi patris domini Johannis, Episcopi wladislauiensis, debita cum instancia requisiti, quatenus ad execucionem earundem literarum et contentorum in eisdem procedere dignaremur iuxta traditam seu directam a dicta sede apostolica nobis formam. Nos igitur Petrus Episcopus et Executor prefatus, volentes mandatum apostolicum, nobis in hac parte dictum, reuerenter exequj, ut tenemur, auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa prefatas literas apostolicas, et hunc nostrum processum, ac omnia et singula in eis contenta vobis omnibus et singulis supradictis, et presertim tibi Petro Mathie intimamus, insinuamus et notificamus, ac ad vestram (et) cuiuslibet vestrum noticiam deducimus, et deduci volumus per presentes vosque omnes et singulos supradictos tenore presencium requirimus et monemus primo, secundo, tercio, communiter et diuisim, vobis et vestrum cuilibet in virtute sancte obediencie et sub infrascriptis (sentenciarum) penis, districte precipiendo mandantes: Quatenus infra sex dierum spacium: post presentacionem seu notificacionem presencium, vobis seu alteri vestrum factas: immediate sequencium, et postquam pro parte dicti domini Johannis, Episcopi wladislauiensis, fueritis requisiti seu quicumque alter (ad) hoc fuerit requisitus: Quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos dies, vobis vniuersis et singulis supradictis, pro tercio et peremptorio termino, ac monicione canonica assignamus: prefatum dominum Episcopum wladislauiensem vel proc(uratorem s)uum pro eo et eius nomi-

ne ad corporalem, realem et actualem possessionem dicte ville *Orle*, cum alijs villis, lacu, piscinis, molendinis, borris, gays, decimis, et alijs pertinencijs vniuersis eorumdem, prout ad vos et quemlibet vestrum pertinet sine cont(radic)cione, difficultate et impedimento, restituatis, reintegretis et reinducatis, et faciatis ab alijs, quantum in vobis fuerit, restitui, reintegrari et reinduci ad eandem: Quem nos eciam reinducimus, reintegramus et restituimus per presentes: ac ipsum dominum Episcopum wladislauiensem restitutum, reinductum et reintegratum iuxta iuris exigenciam defendatis. Et nichilominus ipsi domino Episcopo, seu procuratorj suo eius nomine, et non dicto Petro Mathie de ipsarum ville *Orle* et pertinenciarum fructibus, redditibus, prouentibus, juribus et obuencionibus vniuersis integre respondeatis, et ab alijs, quantum in vobis fuerit, ac ad vos et vestrum quemlibet pertinet coniunctim uel diuisim, integre faciatis responderj. Nec non, infra dictum sex dierum terminum, si necesse fuerit, prefatum Petrum Mathie personaliter accedatis, et eundem auctoritate nostra, ymo uerius apostolica, requiratis et moneatis, ipsique in virtute sancte obediencie et sub penis infrascriptis mandetis, prout nos sic mandamus eidem, quatenus infra sex dierum spacium: post monicionem et requisicionem vestras huiusmodi, eidem Petro Mathie per vos vel alterum vestrum factas: immediate sequencium: (quorum sex) dierum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos dies eidem Petro Mathie pro tercio et peremptorio termino ac monicione canonica assignetis, prout et nos sic assignamus eidem: possessionem dictarum ville *Orle*, cum alijs villis, (lacu, piscinis, mol)endinis, borris, gaijs, decimis et pertinencijs vniuersis suis, dicto domino Episcopo vel procuratorj suo eius nomine, vacuam, liberam et expeditam sine omni dolo et fraude permittat.

Monemus eciam modo et forma, quibus supra, te Petrum Mathie (sub vir)tute sancte obediencie, et sub infrascriptis sentenciarum penis, districte precipiendo mandantes: Quatenus infra sexaginta dierum spacium, postquam pro parte dicti domini Episcopi wladislauiensis vigore presencium fueris requisitus, immediate sequencium: Quorum sexaginta dierum viginti pro primo, viginti pro secundo, et reliquos viginti dies tibi pro tercio et peremptorio termino ac monicione canonica assignamus: eidem domino Episcopo vel procuratorj suo eius nomine, de fructibus per te vel alium tuj nomine ex

dictis villa *Orle* et pertinencijs suis vniuersis, a tempore spoliacionis earumdem ville *Orle* et pertinenciarum ac dictarum latarum sentenciarum citra perceptis, nec non de septuaginta florenis auri de camera bonj et iusti ponderis, in quibus racione expensarum in dicta causa pro parte eiusdem domini Episcopi factarum, per prefatos dominos: Johannem de *Mela*, Johannem Gundissaluj et Contzonem de *Zwola* auditores, ut in dictis literis apostolicis, ac condempnacionibus et taxacionibus earumdem, instrumentis publicis desuper confectis lacius continetur, successiue condempnatus existis, nec non de decem florenis aurj et ponderis predictorum pro huiusmodi literis executorialibus, et presenti nostro processu per eundem dominum Episcopum seu eius nomine expositis: ad quos quidem decem florenos huiusmodi literas et processum taxa(uimus) et taxamus per presentes: juramento tamen procuratoris ipsius domini episcopi debito modo subsecuto: plenam et debitam satisfaccionem impendas, aut interim te amicabiliter componas cum eodem. Insuper monemus modo et forma premissis, et sub p(enis excommunicationum), vos inhabitatores, incolos (sic), arrendatores, vindemiatores, colonos, decimatores et laboratores antedictos, quatenus de cetero post presentacionem et notificacionem ac intimacionem presencium vobis seu alteri vestrum factas, de vniuersis et singulis fructibus . . . . . . prouentibus, juribus et obuencionibus, occasione dictarum ville *Orle* et pertinenciarum soluendis et respondendis, prefato domino Episcopo vel eius legitimo procuratorj nomine suo, et non prefato Petro Mathie respondeatis, ac debitam solucionem impendatis, et quilibet vestrum (impendat) realiter et cum effectu. Inhibemus insuper vobis omnibus et singulis supradictis, sub penis et sentencijs infrascriptis, ne prefato domino Episcopo vel procuratorj suo eius nomine, quominus supradicte diffinitiue sentencie et litere apostolice debite execucionj demandentur, et ad possessionem (corporalem) realem et actualem dicte ville *Orle* cum alijs villis, lacu, piscinis, molendinis, borris, gays, decimis et pertinencijs vniuersis, idem dominus episcopus restituatur et reintegretur, ac sibi de omnibus et singulis dictarum ville *Orle* et pertinenciarum fructibus, ... prouentibus, juribus et obuencionibus vniuersis, et de dictis expensis et fructibus perceptis, nec non florenorum summis debita et plenaria satisfaccio impendatur, et quominus omnia et singula supradicta suum debitum sorciantur et consequantur effectum, impedi-

mentum aliquod prestetis aut aliquis vestrum prestet, per vos vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, quouis quesito colore, neque impediendi et perturbandi eundem dominum Episcopum vel procuratorem suum predictum super premissis in aliquo detis seu dent aut det auxilium, consilium uel fauorem; sed in omnibus et per omnia supra et infrascriptis mandatis et monicionibus nostris huiusmodi, ymo uerius apostolicis, pareatis et intendatis ac quilibet vestrum pareat et intendat realiter et cum effectu. Alioquin si premissa omnia et singula, prout narrantur (ac) vobis mandantur, non adimpleueritis, seu adimpleuerint, ac mandatis et monicionibus nostris huiusmodi, ymo uerius apostolicis, non parueritis, aut non paruerint, seu non paruerit realiter et cum effectu, nos exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc in vos et vestrum quemlibet in premissis uel eorum aliquo culpabiles seu culpabilem, nec non impedienti et impedientibus dictum dominum Episcopum uel procuratorem suum in premissis in aliquo dantes auxilium, consilium uel fauorem publice uel occulte, directe uel indirecte, quouis quesito colore, cuiuscumque condicionis, gradus, status uel ordinis sitis, sint uel sit, ac singulariter in singulos et specialiter in dictum Petrum Mathie, huiusmodi canonica monicione premissa, excommunicacionis, in capella vero quecumque in hijs delinquentibus suspensionis a diuinis, et (in) ipsorum delinquencium ac dictarum ville *Orle* cum alijs villis et pertinencijs ecclesias interdici, sentencias ferimus in hijs scriptis, et eciam promulgamus. Vobis vero reuerendis patribus dominis Cracouiensi et poznaniensi episcopis, quibus ob vestrarum dignitatum pontificalium reuerentiam deferendum duximus et deferre volumus in hac parte, si contra premissa uel premissorum aliquod per vos vel submissas personas, tacite vel expresse, directe uel indirecte feceritis, prefata sex dierum canonica monicione premissa, ingressum ecclesie interdicimus in hijs scriptis. Si vero huiusmodi interdictum per alios sex dies, jam dictos sex dies immediate sequentes, sustinueritis, vos, simili canonica monicione premissa, suspendimus a diuinis; verum si prefatas interdicti et suspensionis sentencias per alios sex dies, prefatos duodecim dies immediate sequentes, animo, quod absit, sustinueritis indurato, vos exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc, dicta canonica monicione premissa, in hijs scriptis excommunicacionis sentencia innodamus.

Ceterum cum ad execucionem ulteriorem in presenti negocio faciendam nequiueramus personaliter interesse, alijs arduis in romana curia prepediti negocijs, vniuersis et singulis dominis Abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, scolasticis, cantoribus, custodibus, thesaurarijs et canonicis tam cathedralium, quam collegiatarum, parochialiumque ecclesiarum rectoribus et locatenentibus eorumdem, ceterisque presbyteris curatis et non curatis, clericis, Notarijs et Tabellionibus publicis quibuscumque per ciuitates et dioceses Poznaniensem, Cracouiensem et Wladislauiensem, ac alias ubilibet constitutis, et eorum cuilibet in solidum, super ulteriorj execucione dicti mandati apostolici atque nostri, tenore presencium committimus vices nostras, donec eas ad nos duxerimus reuocandas. Quos nos et tenore presencium, et eorum quemlibet requirimus et monemus, coniunctim et diuisim: ipsisque et eorum cuilibet in virtute sancte obediencie, et sub excommunicacionis pena, quam, canonica monicione premissa, in eos et ipsorum quemlibet ferimus in hijs scriptis, si ea, que eis in hac parte committimus, neglexerint seu contempserint contumaciter adimplere, districte precipientes mandamus, quatenus ipsi et eorum cuilibet (sic), quj pro parte dicti domini Episcopi fuerint seu fuerit legitime requisitus seu requisiti, communiter uel diuisim, ita tamen, quod in hijs exequendis alter alterum non expectet, nec unus pro alio se excuset, nisi infra trium dierum spacium, quos ipsis et eorum cuilibet super hoc pro omnibus dilacionibus ac monicione canonica assignamus, ad vos omnes et singulos supradictos, si necesse fuerit et ad ipsam villam *Orle* cum suis pertinencijs, et ad prefatum Petrum Mathye, nec non ecclesias, personas atque loca, de quibus expediens fuerit, pro premissis et infrascriptis fideliter publicandis personaliter accedant seu accedat, ac supradictas literas apostolicas et hunc nostrum processum, ac quascumque alias scripturas ad huiusmodi execucionem facientes et pertinentes, omniaque et singula in eis contenta vobis et cuilibet vestrum et alijs, quorum interest, communiter uel diuisim, semel et pluries, ac tociens quociens fuerit oportunum legant, intiment, insinuent, ac fideliter publicare procurent: ipsumque dominum Episcopum, uel procuratorem suum eius nomine, ad corporalem, realem et actualem possessionem ville *Orle* cum alijs villis, lacu, piscinis, molendinis, borris, gays, decimis et alijs pertinencijs huiusmodi auctoritate apostolica supradicta effectualiter

sine contradiccione, difficultate et impedimento restituant, reintegrent et reinducent (sic), quem nos etiam, ut premittitur, restituimus, reintegramus et reinducimus: ipsumque restitutum, reintegratum et reinductum, iuxta iuris exigenciam, defendatis seu defendat, sibique domino Episcopo, uel eius procuratori predicto pro eo, de ipsorum ville *Orle* et pertinencijs, fructibus, redditibus, prouentibus, juribus et obuencionibus vniuersis, per dictum dominum Petrum Mathie, a tempore spoliacionis dictarum ville *Orle* et pertinenciarum, ut premittitur, citra perceptis, ac florenorum summis plenam satisfaccionem impendj faciant et procurent, quantum in eis fuerit, realiter et cum effectu.

Si vero dictus Petrus Mathie occupator, ceterique contradictores in hac parte, et reb(elles) huiusmodi nostris processibus et mandatis, ymo uerius apostolicis, infra dictos eis assignatos terminos non paruerint seu paruerit realiter et cum effectu, dictas excommunicacionis sentencias propter hoc dampnabiliter incurrendo; extunc prefatos omnes et singulos subdelegatos nostros, et vestrum quemlibet, requirimus et monemus, et sub dicta excommunicacionis pena mandamus, quatenus singulis diebus dominicis et festiuis in suis ecclesijs, monasterijs et capellis, infra missarum et aliarum horarum ecclesiasticarum solempnia, ubi, quando et quociens opus fuerit, et pro parte dicti domini Episcopi principalis requisiti fuerint, seu alter eorum fuerit requisitus, prefatum Petrum Mathie occupatorem, ac contradictores et rebelles predictos sic excommunicatos, publice nuncient et ab alijs, quantum in eis fuerit, faciant publice nunciarj: ab huiusmodi denunciacione non cessando, donec rebelles et contradictores predicti huiusmodi nostris literis plenarie paruerint, uel aliud desuper a nobis habueritis in mandatis. Et generaliter omnia alia et singula, nobis in hac parte commissa, plenarie exequantur iuxta traditam seu directam a sede apostolica nobis formam, et secundum presentis nostri processus continenciam et tenorem: ita tamen, quod ijdem subdelegati nostri in preiudicium dicti domini Episcopi nil valeant attemptare, nec in processibus per nos habitis et sentencijs per nos latis, absoluendo uel suspendendo, aliquid immutare. Et si contingat nos super premissis in aliquo procedere, de quo nobis potestatem omnimodam reseruamus, non intendimus propterea commissionem nostram huiusmodi in aliquo reuocare, nisi de reuocacione huiusmodi specialem et expressam in

nostris literis fecerimus mencionem. Per processum autem nostrum huiusmodi nolumus, nec intendimus, nostris in aliquo preiudicare collegis, quominus ipsi uel eorum alter, seruato tamen hoc nostro processu, possint seu possit in huiusmodi execucionis negocio vlterius procedere, prout eis seu alteri eorum videbitur expedire. Prefatas quoque literas apostolicas et hunc nostrum processum, ac omnia et singula in eis contenta, volumus penes dictum dominum Episcopum, uel eius procuratorem remanere, et non per vos, aut aliquem vestrum, seu quemuis alium, ipsis inuitis, quomodolibet detinerj. Contrarium vero facientes prefatis sentencijs per nos latis ipso facto volumus (subiacere. Man)damus tamen copiam fieri de premissis eam petentibus et habere debentibus, petencium quidem sumptibus et expensis. Absolucionem vero omnium et singulorum, quj prefatas nostras sentencias, aut earum aliquam, incurrerint quoquomodo, nobis uel superiorj nostro... (In quorum omnium et) singulorum fidem et testimonium premissorum, (presentes) literas, siue presens publicum instrumentum, huiusmodi nostrum processum in se continentes siue continens, exinde fieri et per Notarium publicum infrascriptum subscribi et publicarj mandauimus, nostrique sigilli (iussimus) appensione communirj. Datum et actum *Rome*, (apud sanctum) Petrum, in palacio apostolico, hora completorij uel quasi, sub anno a natiuitate domini millesimo quadringentesimo vicesimo sexto, indiccione quarta, die Jovis vi(delicet ....)a mensis Marcij, Pontificatus prefati domini nostri pape Martini quinti anno nono. Presentibus ibidem: venerabili et circumspecto viro magistro Henrico Raystop literarum apostolicarum scriptore et abbreuiatore, et discreto viro Petro Fabri clerico Leodiensis diocesis, familiari nostro, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(S. N.) Et ego Johannes Cabebe de *Werda,* clericus coloniensis diocesis, publicus apostolica auctoritate Notarius: Quia prescriptarum literarum apostolicarum ... scripcioni omnibusque alijs et singulis premissis, dum sic, ut premittitur, per Reuerendum patrem dominum Petrum, Episcopum Electensem et Executorem prefatum, et coram eo agerentur et fierent (una cum preno)tatis testibus presens fuj, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audiuj, ideo hoc presens publicum instrumentum manu mea scriptum subscripsi et in hanc formam publicam re(degi, signo) et nomine meis solitis et consuetis,

una cum memorati domini Episcopi executoris sigilli appensione, de mandato ipsius domini executoris, signaui rogatus in fidem (et testimonium omni)-um et singulorum premissorum.

CCCLXXVII.

Wladislaviae, anno 1427 die 12 mensis Februarii.

Controversia de dominio villae *Orle* inter Petrum de *Lupstowo* atque Joannem Episcopum Wladislauiensem orta, componitur (1).

Reuerendis in Christo patribus et dominis, dominis dei et apostolice sedis gracia: Archiepiscopo Gneznensi, nec non Cracouiensi, Poznaniensi, Wratislauiensi, Plocensi et Lubucensi Episcopis, et eorum in Spiritualibus Vicarijs, ac uniuersis et singulis Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidiaconis, Scolasticis, Cantoribus, Custodibus, Sacristis, Succentoribus tam kathedralium, quam collegiatarum Canonicis ecclesiarum, quam parrochialium Rectoribus, aut loca tenentibus eorundem, ceterisque presbiteris et clericis curatis et non curatis, Altaristis, Vicarijs, perpetuis beneficiatis clericis, Notarijs et Thabellionibus publicis quibuscumque per quascumque provincias, ciuitates et eorum (sic) dioceses et alias ubilibet constitutis, et eorum cuilibet in sólidum, ad quem, uel ad quos presentes nostre litere peruenerint, Jacobus de *Jezersko* (2) prepositus ecclesie collegiate sancte Marie vneouiensis, Gneznensis diocesis, executor trium sentenciarum diffinitiuarum pro parte reuerendi in Christo patris et domini, domini Johannis, dei gracia Episcopi Wladislauiensis, et contra Petrum Mathie de *Lupstow,* assertum custodem poznaniensem, super villa *Orle,* mense episcopalis wladislauiensis, per certos sacri pallacij apostolici causarum auditores conformiter latarum, una cum nostris in hac parte collegis, per sedem Apostolicam deputatus et specialiter requisitus, salutem in domino cum reue-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniola pergamena appensa sunt undeviginti sigilla minoris et unum mediae formae, itaque simul viginti sigilla, quorum insignia jam deleta.

(2) *Jezierско* villa territorii Calissiensis, regionis vero Wartensis.


rentia debita et honore, literas apostolicas executoriales sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Martini, diuina prouidencia pape quinti moderni, eius vera bulla plumbea in cordula canapis (sic), more romane curie, dependente bullatas, sanas, saluas et integras, non viciatas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vicio et suspicione carentes nobis, pro parte reuerendi in Christo patris domini Johannis, Episcopi Wladislauiensis, coram Notario publico et testibus presentatas, Nos cum ea, qua decuit, reuerencia, noueritis recepisse huiusmodi sub tenore: *(Sequitur Bulla Martini Papae ejusdem tenoris, uti in tabula praecedenti anni* 1426 *Nr.* CCCLXXVI *p.* 418 *usque ad vocem Romae).*

Huiusmodi siquidem literarum apostolicarum, et processus executorialis inde secuti, vigore fuimus pro parte prefati Reuerendi patris domini Johannis, Episcopi Wladislauiensis, cum debita instancia requisiti, quatenus ad execucionem ipsarum litterarum, iuxta continenciam et tenorem earundem procedere, et predictum dominum Petrum Mathie de *Lupstow,* assertum Custodem Poznaniensem, super perceptis, dampnis et expensis, per ipsum in dicta villa *Orle* et alijs pertinencijs: et signanter ut possessionem ipsius ville *Orle* cum suis pertinencijs dicto reuerendo patri domino Johanni, Episcopo Wladislauiensi, aut ipsius procuratori legittimo eius nomine, traderet et assignaret, monere curaremus: Nos vero, tamquam filius obediencie, mandatum apostolicum huiusmodi exequi volentes, ut tenemur, predictis literis executorie et processibus reuerendi in Christo patris domini et domini Petri, eadem gracia Episcopi Electensis, nostri in hac parte college, reuerenter receptis, prefatum dominum Petrum Mathie de *Lupstow,* assertum custodem poznaniensem, a tempore occupacionis, et per certos auditores sacri pallacij apostolici in tribus instancijs sentencialiter condempnatum, monuimus personaliter apprehensum, quatenus infra terminum sub penis et sentencijs in dictis literis apostolicis et processibus executorialibus contentum pro expensis, dampnis et perceptis in dicta villa *Orle* ad ipsum reuerendum patrem dominum Johannem Episcopum, et ipsius mensam episcopalem wladislauiensem spectantibus, sicut prefertur per ipsum dominum Petrum Mathie de *Lupstow* illatis et factis satisfaceret cum effectu, vel cum eodem amicabiliter componeret pro eisdem, et possessionem realem et ac-

tualem dicte ville *Orle,* cum suis pertinencijs, ipsi reuerendo patri domino Johanni, Episcopo wladislauiensi, aut ipsius procuratori eius nomine, traderet et assignaret. Verum quia idem dominus Petrus Mathie de *Lupstow,* assertus custos poznaniensis, prout ex querela procuratoris prefati domini Johannis, Episcopi Wladislauiensis, didicimus, pro huiusmodi dampnis, perceptis et expensis, per ipsum, sic ut premittitur, factis, infra terminum sibi in dictis literis apostolicis et processibus executorialibus prefixum satisfacere, neque cum eodem amicabiliter componere, et possessionem tradere et assignare curauit, et hucusque non curat; propter quod non est dubium, ipsum penas et sentencias in dictis literis apostolicis et processibus contentas incidisse ipso facto, et ob hoc pro parte prefati reuerendi patris domini Johannis, Episcopi wladislauiensis, per procuratorem suum legittimum nobis cum debita instancia extitit supplicatum, quatenus dictum dominum Petrum Mathie de *Lupstow,* penas et sentencias excommunicacionum in eisdem literis et processibus executorialibus contentas, declarare incidisse dignaremur: Nichilominus procuratore dicti domini Johannis Episcopi, articulos super valore dampnorum et perceptorum in presencia dicti domini Petri Mathie, et ad hoc per certum executorem legittime cittatum producente, et super eisdem articulis testes recipi pettentem (sic), litterisque cittatoriis (sic) nostris ibidem contra testes ad cognoscendum per nos de valore huiusmodi dampnorum et perceptorum per eundem Petrum Mathie in dicta villa *Orle* et suis pertinencijs, sicut prefertur, factorum, in presencia eiusdem domini Petri Mathie decretis, eodemque domino Petro, ad videndum jurare testes de valore perceptorum inducendos, per certum executorem cittato: ipsisque testibus ad nostri presenciam cittatis, juramentisque corporalibus ab eisdem iuxta condicionem ipsorum super dicenda veritate receptis, ipsisque examinatis, et prout ex ipsorum dictis et deposicionibus cognouimus: ipsum dominum Petrum Mathie de *Lupstowo,* prefato reuerendo patri domino Johanni, Episcopo wladislauiensi, dampna in decimis, lacubus, siluis, borris, gaijs, pratis, nemoribus, piscinis, molendinis, censibus et rusticorum seruicijs, ad dictam villam *Orle* cum alijs pertinencijs spectantibus, et per ipsum octo annis possessis et tentis, in valore plus quam octingintarum (sic) marcarum currentis monete intulisse et fecisse comperimus: predictaque dampna et percepta ex dicta villa *Orle* cum suis pertinencijs, moderacione

prehabita, ad octingintas marcas monete currentis, in quamlibet marcam quadraginta octo grossos computando numero polonicali taxauimus, preterea eundem dominum Petrum Mathie de *Lupstow* ad videndum ipsum (sic) penas et sentencias in literis apostolicis et processibus executorialibus contentas, propter dampna huiusmodi et percepta, sic ut premittitur, per ipsum facta, declarari incidisse: vel, quare premissa minime fieri debeant, causas racionabiles allegandum et dicendum nostris cittacionum litteris cittari fecimus ad alium certum terminum competentem. Quo quidem termino veniente, procurator reuerendi patris domini Johannis, Episcopi Wladislauiensis, et eius nomine personaliter comparens, coram nobis cittacione reproducta et legittime executa, accusauit contumaciam dicti Petri Mathie non comparentis in huiusmodi termino per se, nec per suum responsalem, petens prefatum Petrum Mathie de *Lupstow* pro dampnis et perceptis huiusmodi per ipsum factis in dicta villa *Orle* et suis pertinencijs, et possessionem dicte ville *Orle* tradere et assignare nolentis, et occasione octingintarum marcarum per nos pro huiusmodi dampnis et perceptis ab annis occupacionis, et non solutis huiusmodi, penas et sentencias in dictis literis apostolicis et processibus executorialibus contentas, declarari incidisse. Et quia predictus dominus Petrus Mathie, Custos poznaniensis, in termino ipso pertinaciter parere non curauit, ideo ipsum de juris peritorum consilio, ac matura deliberacione inter nos prehabita, declarauimus et presentibus declaramus auctoritate apostolica, nobis in hac parte concessa, penas et sentencias, in dictis literis apostolicis et processibus executorialibus nostri in hac parte college contentas, incidisse. Que omnia et singula vobis dominis prescriptis intimamus, insinuamus, et notificamus, et ad vestram et cuiuslibet vestrum noticiam deducimus, et deduci volumus per presentes. Vobis nichilominus in virtute sancte obedientie et sub excommunicacionis pena, quam in vos et vestrum quemlibet, trina trium dumtaxat dierum canonica monicione premissa, ferimus in hijs scriptis, nisi mandatis nostris huiusmodi, ymmo verius apostolicis, parueritis cum effectu, districte precipientes mandamus, quatenus, receptis et visis presentibus, vos vel quilibet vestrum fuerit requisitus, per vos seu alium, uel alios, prefatum dominum Petrum Mathie, de *Lupstow* coram Christi fidelibus ad diuina in ecclesijs vestris congregatis dictas penas et sentencias excommunicacionum in dictis literis apostolicis et

processibus executorialibus nostri collège contentas declaratum incidisse intimetis, insinuetis, notificetis et denunccietis, et ad noticiam ipsorum deducatis et deduci faciatis, introitum ecclesie et diuinorum audicionem, ac sacramentorum ecclesiasticorum percepcionem, sibi penitus inhybentes (sic) et interdicentes tamdiu, donec a nobis, vel a nostro superiori aliud habueritis in mandatis; prefatasque literas nostras seu processum declaratorium volumus penes dictum reuerendum patrem dominum Johannem, episcopum wladislauiensem uel procuratorem suum remanere, et non per vos, nec per quempiam vestrum, preter ipsius domini Episcopi uel procuratoris sui voluntatem, quomodolibet detinere. Contrarium vero facientes excommunicacionis sentencie ipso facto volumus subiacere. Mandantes tamen et copiam fieri de premissis eam petentibus, sumptibus quidem petencium et expensis. De die vero execucionis presencium, et quicquid in premissis feceritis, per vestras pattentes (sic) literas, aut instrumenta publica, harum seriem seu designacionem in se continentes seu continencia, remissis presentibus, nos reddatis cerciores. In quorum omnium fidem et testimonium premissorum, presentes nostras declaratorias literas scribi et publicari mandauimus, nostrique sigilli appensione iussimus communiri. Actum et datum *Wladislauie,* in domo nostre habitacionis, anno domini millesimo CCCC^mo^ vicesimo septimo, indicione quincta (sic), pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Martini, diuina prouidencia pape quinti, anno decimo, die vero XII mensis februarij, hora sexta vel quasi. Presentibus ibidem honorabilibus et discretis viris, dominis: Gregorio Vicecustode, Stanislao predicatore, Johanne et Petro vicarijs perpetuis in ecclesia wladislauiensi, testibus ad premissa vocatis et rogatis.



Et ego Stanislaus Budkonis de Carnkowo, Clericus Plocensis diocesis, publicus imperiali auctoritate Notarius: Quia premissis omnibus et singulis, dum sic, ut premittitur, per prefatum venerabilem virum dominum Jacobum, prepositum Vneowiensem et Executorem, et coram ipso, agerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audiui: Et quia certis alijs negocijs occupatus, presentes literas declaratorias per alium fidelem scribi procuraui, meque hic subscribens publicaui; signo et nomine meis solitis et consuetis una cum appendentis sigilli eiusdem domini Jacobi prepositi et executoris appensione consignando, in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

Ego Johannes, Vicarius in *Crosszino*, executus sum presens mandatum appostolicum (sic) feria quarta, ipso die sancti Gregorij, et in signum huius manu propria subscripsi et sigillum appendi.

Per me Mathiam, plebanum in *Simkowcze*, istius mandati execucio facta est ipso die beati Gregorij, et in signum huius manu propria subscripsi et sigillum appendi.

Per me Petrum, Vicarium in *Radzeow*, huius mandati facta est execucio quinta feria ante Judica.

Per me Przedwogium, plebanum in *Mancossyno*, presentis mandati execucio facta est ipso die Marci una cum appensione mei sigilli.

Per me, Michaëlem vicarium in *Orlle* (sic), huius mandati execucio facta est ipso die dominico, quo canit ecclesia: Esto michi una cum sigilli mei appensione.

Per me Petrum, Viccarium (sic) in *Przedecz*, huius mandati execucio facta est die dominico, quo decantatur in ecclesijs domini: Inuocauit me, una cum sigilli mei appensione.

Per me Johannem, vicarium in *Chotecz*, huius mandati execucio facta est feria tercia proxima post dominicam, in qua canitur: Invocauit me, cum sigilli mei appensione.

Per me Phalum, plebanum in *Orley*, huius mandati execucio facta est ipso die (sic) feria secunda post Inuocauit.

Ego Laurencius, Commendator ecclesie *Juueniwladislauiensis*, sum executus presens mandatum apostolicum secunda die mensis Aprilis, ipsum coram populo denuncciando in ecclesia, et in signum huius me manu propria subscripsi, et sigillum proprium appendi.

Anno domini millesimo CCCC^{mo} XXVII, die Solis penultima mensis Marcij (sic), presens litera est publicata coram me Nicolao, vicario perpetuo, tunc Ebdomadario in ecclesia poznaniensi kathedrali.

Per me Johannem, Vicarium perpetuum in ecclesia wladislauiensi, presentis processus execucio facta est penultima die mensis Februarij: Nam dominum Petrum de *Lupstowo*, ut prefertur excommunicatum, publice in ecclesia wladislauiensi denunciaui, et in signum sigillum meum appendi.

Ego Nicolaus, Vicarius Brestensis, executus sum presens mandatum apostolicum penultima dye (sic) mensis Februarij, et in signum debite execucionis me hic subscripsi et sigillum sub et infra appendi.

Ego Cristinus, Vicarius in *Swirczino*, executus sum presens mandatum apostolicum ultima die mensis Februarij. Et in signum debite execucionis me hic subscripsi et sigillum meum infra appendi.

Per me Stanislaum, Vicarium in *Lubothin*, facta est execucio presentis processus ipso die sabbati ante dominicam Esto mihi, et in signum huius sigillum meum appendi et manu propria subscripsi.

Die lune ultima mensis Marcij facta est execucio per me Johannem, vicarium ecclesie Gnesnensis, pro tunc ebdomadarium chori eiusdem, presentis mandati anno M^{o} CCCC^{o} vicesimo septimo, sigillo consueto.

Ego Mathias, vicarius perpetuus ecclesie collegiate sancti Petri Crusuiciensis, sum executus presens mandatum apostolicum die secunda mensis Fe-

bruarij. Et in signum debite execucionis me hic subscripsi, et sigillum subappendi.

Per me Stanislaum, Vicarium in *Wynecz*, facta est execucio presentis processus penultima die mensis Februarij et in signum huius sigillum meum appendi, et manu propria subscripsi.

Ego Johannes, Vicarius in *Chalino*, sum executus presens mandatum apostolicum vltima die mensis Februarij, et in debite execucionis signum me subscripsi et sigillum subappendi.

Ego Symon, Vicarius in *Istbicza*, executus sum presens mandatum apostolicum XXVII die mensis Februarij, et in signum debite execucionis hic subscripsi et sigillum meum infra appendi.

Et ego Jacobus, rector parochialis ecclesie in *Brdow*, sum executus presens mandatum apostolicum ultima die mensis Februarij, et in signum huius me subscripsi et sigillum meum appendi ([3]).

([3]) Nomina villarum, in quibus decretum hocce erat promulgatum, sunt: *Kruszyn* villa regionis Brestensis; *Siemkowice* territorii Petricoviensis, regionis Radomscensis; *Mąkoszyn* territorii Cujaviensis, regionis Brestensis; *Orla* ibidem; non *Chotecz* sed procul dubio *Chotel* regionis Kowaliensis; *Swierczyn, Lubotyń, Wieniec, Chalno* villae regionis Brestensis; *Izbica* hodie oppidum regionis Kowaliensis; *Brdow* hodie oppidum regionis Brestensis.

CCCLXXVIII.

Gnesnae, anno 1427 die 14 mensis Decembris.

Nicolaus de *Crassowo* ob injurias ecclesiae Wladislaviensi illatas excommunicationis poena mulctatur ([1]).

Stanislaus prepositus domus sancti Johannis extra muros gneznenses, ordinis sancti Augustini sacri sepulcri dominici, Judex ac conseruator, una cum nostris in hac parte collegis, juriumque, bonorum ac libertatum reuerendi in Christo patris et domini domini Johannis, dei gracia Episcopi sueque

([1]) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniolis pergamenis appensa erant quatuor sigilla, quorum quod restat unum mediae formae repraesentat crucem

ecclesie et capituli wladislauiensis, per sedem apostolicam specialiter deputatus: Honorabilibus et discretis viris, dominis. . . (sic) in *Nyeschulkowo*, in *Kalaczino*, in *Dmoszino* et in *Pyenaschkowo,* parochialium ecclesiarum rectoribus (²), vel eorum vicesgerentibus, curatis et non curatis per dioceses gneznensem, plocensem ac poznaniensem ubilibet constitutis, ad quos presentes nostre litere peruenerint, quique presentibus communiter uel diuisim fuerint requisiti, seu alter eorum fuerit requisitus, salutem in domino et mandatis nostris huiusmodi, ymmo verius apostolicis, humiliter obedire. Receptis pridem per nos literis apostolicis conseruatorijs et defensorijs iurium bonorumque ac libertatum dicti reuerendi patris domini Johannis, episcopi suique capituli wladislauiensis, cum ea qua decuit reuerencia, pro parte ipsius domini episcopi nobis presentatis, de quibus et quarum tenore in literis et processibus citatorijs per nos decretis et emissis in toto extitit facta vobis plena fides, et de quibus hesitantibus, loco et tempore congruis, fidem indubiam faciemus: Quia post presentacionem earundem literarum nobis pro parte ipsius domini Johannis episcopi fuit expositum cum querela: quomodo nonnulli nobiles et plebei, videlicet Jacobus de *Swydno,* subjudex rauensis, Nicolaus de *dluge Kalanczino*, Johannes de *Lubovidza* et Nicolaus de *Crassowo* (³), gneznensis, plocensis et poznaniensis diocesis, plura dampna, molestias et iniurias, predas et exacciones pecuniarum hominibus mense et ecclesie sue, contra libertatem et jus ipsius ecclesie sepius in villis et predijs coram nobis nominatis et expositis intulissent, irrogassent et fecissent; propter quod nobis, pro parte eiusdem domini Episcopi extitit supplicatum, quatenus iuxta prefatas conseruatorias et defensorias literas apostolicas procedentes, remedia debita conseruacionis et defensionis huiusmodi oppressionibus, iniurijs, exaccionibus, violencijs et predis apponen-

duplicatam figurae ejusmodi . In ambitu leguntur haec: „*s. stanislai prepositi sancti iohannis.*"

(²) *Niesułków* et *Dmosin* villae territorii Rawensis, regionis Brzezinensis; *Kałęczyn* territorii Cujaviensis, regionis Radziejoviensis; villa *Pieniążkowa* non occurrit in vicinia.

(³) *Świdno* villa territorii Varsaviensis, regionis Czerscensis; *Kałęczyn* plures sunt villae ejus nominis in variis provinciis sitae. *Lubowidza* villa territorii Rawensis, regionis Brzezinensis; *Kraszow* ejusdem territorii et regionis.

tes, sentencias excommùnicacionis contra nominatos oppressores, iniuriantes, invasores et exactores ac predatores, dare et decernere dignaremur opportunas. Nos vero volentes prefatas literas apostolicas, nobis in hac parte directas ac presentatas, rite et iuste exequi, unicuique quoque non preiudicare, ut tenemur, decretis et emissis per nos literis nostris certi tenòris citatorijs cum insercione predictarum literarum apostolicarum nobis missarum, dę auctoritate et officio nostris, fidem realiter faciendo: quibus nominatos nobiles laijcos et plebeyos ad certum et competentem diem ipsis assignatum pro termino peremptorio fecimus euocari, ut in eodem comparentes, seu eorum quilibet comparens, causam et causas, si quam et quas haberent et haberet, propter quam et quas moneri et excommunicari ob premissa non deberent, vel non possint, aut si quid aliud dicere uel opponere in prefatas literas conseruatorias, vel in nostram jurisdicionem voluissent vel haberent. Et quia ceteris in ipsis nostris citatorijs literis nominatis comparentibus, ac termino ipsis per nos prefixo satisfacientibus, per se et suos procuratores sufficientes coram nobis: nobilis Nicolaus de *Crassowo* nec comparere, neque aliquid in termino per se, uel per aliquem responsalem facere, aut ydoneum procuratorem curauit comparere; prefato reuerendo patre domino Johanne Episcopo, per suos procuratores sufficientes coram nobis comparente, et ipsius Nicolai non comparentis contumaciam instancius accusante, processusque excommunicatorios tamquam contra contumacem ac rebellem, meritoque de predictis iniurijs, exaccionibus pecuniarum et oppressionibus, contra ipsum coram nobis specifice propositis, iam suspectum: Nos prefatum Nicolaum de *Crassowo,* licet diucius expectatum pronuncciauimus contumacem, ipsumque ob contumaciam huiusmodi excommunicauimus et excommunicamus, Christi nomine invocato, in hijs scriptis, ac processus contumacie et opportunos in nomine domini decreuimus in eundem. Quocirca vobis omnibus et singulis dominis supradictis, in virtute sancte obediencię, et sub pena excommunicacionis, quam in vos et vestrum quemlibet, trina tamen trium dierum monicione canonica premissa, nisi feceritis que mandamus, precipientes: quatenus dictum Nicolaum de *Crassowo,* sic, ut premittitur, per nos excommunicatum, in vestris ecclesijs, pulsatis nolis, candelisque accensis et extinctis, ac in terram proiectis, coram omnibus fidelibus, ad diuina congregatis, et dum populi maior affuerit multitudo de-

nunccietis, et denuncciare faciatis singulis diebus dominicis et festiuis, inhibentes districcius omnibus et singulis Christi fidelibus, cuiuscumque status, condicionis et eminencie fuerint, ne cum dicto Nicolao sic, ut prefertur, excommunicato, in cibo, potu, locucione, balneo, ignis aque hospiciique concessione, via, judicio, foro, molendino, et quouis alio actu legittimo audeant participare. Alioquin contra sic participantes, preter sentenciam excommunicacionis minoris, quam incurrunt isto facto, quantum de jure fuerit faciendum, dante domino faciemus. Moneatis insuper prefatum nobilem Nicolaum ex superhabundanti, ut infra sex dierum spacium, quorum duos pro primo, duos pro secundo, reliquos vero duos dies pro tercio et peremptorio termino sibi prefigimus et assignamus, a premissis oppressionibus, iniurijs, et pecuniarum exaccionibus desistens, et pro comissis iam de facto, et de quibus coram nobis contra eundem Nicolaum est propositum, merito, ut premittitur, est suspectus, satisfaciat eidem domino Episcopo cum effectu, et alias amicabiliter componat cum eodem, a nobisque absolui se procuret: alias propter premissas iniurias et pecuniarum exacciones in ipsum excommunicacionis sentenciam ferimus in hijs scriptis, premissa monicione canonica supradicta. Quem et vos sic, ut premittitur, per nos excommunicatum, prout superius est mandatum, denunccietis singulis diebus dominicis et festiuis: tamdiu premissa exequentes, donec a nobis aliud habueritis in mandatis. In quorum omnium fidem et testimonium, presentem nostrum processum excommunicacionis et contumacie, per nostrum infrascriptum notarium publicum, causeque huiusmodi coram nobis scribam, scribi et publicari mandauimus, nostrique appensione sigilli communiri. Actum et datum in domo nostre habitacionis extra muros gneznenses, anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo septimo, indicione quinta, Pontificatu sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Martini, diuina prouidencia pape quinti, anno ipsius X, die saturni XIIII mensis Decembris, uel quasi. Presentibus ibidem discretis viris: fratre Martino ordinis [sepulcri] dominici Jerosolimitani, Nicolao Wenceslai de *Wola*, plebano in *Grabye* ([1]), et Mathia de *Lang*, plocensis et wladislauiensis diocesis, testibus circa premissa.

([1]) Procul dubio *Grabie* villa territorii et regionis Sochaczeviensis.

(S. N.) Et ego Thomas Cunradi de *Xansch* (5), clericus cracouiensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, prefatique venerabilis viri domini Stanislai, prepositi sancti Johannis ante *Gneznam*, causarum et cause huiusmodi coram eo scriba: Quia predictis contumacie accusacioni, pronuncciacioni et eiusdem decreto, alijsque omnibus et singulis premissis, dum sic, ut premittitur, fierent et agerentur, una cum prenominatis testibus presens interfui, eaque omnia et singula premissa sic fieri vidi et audivi, alijs tamen arduis prepeditus per alium fideliter scribi procuraui, factaque auscultacione diligenti in hanc publicam formam redegi, manu propria me subscribendo, signoque et nomine meis solitis et consuetis vna cum appensione sigilli memorati domini prepositi judicis comissarij consignaui in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

Ex aversa parte huius diplomatis legitur:

Ego Stanislaus, plebanus in *Dmoschino*, presens mandatum sum executus die dominico ipso die sancti Thome apostoli, auctoritate apostolica, et in signum maioris certificacionis hic me subscripsi et sigillum proprium presentibus impressi etc.

Ego Stanislaus, rector ecclesie parochialis in *Colaczino*, presens mandatum recepi XXI die mensis Decembris apostolicum, et ipsum sum executus in forma, et in signum execucionis me subscripsi et sigillum meum apposui.

Ego Nicolaus, rector parochialis ecclesie in *Nyesulcowo*, executus sum presens mandatum apostolicum in forma die XXI mensis decembris, hora terciarum uel quasi, et in signum huius execucionis faciende (sic) sigillum meum proprium subappendi.

(5) *Xiąż* oppidum et villa territorii et regionis Miechoviensis.

CCCLXXIX.

Wladislaviae, anno 1428 die 8 mensis Martii.

Joannes Episcopus Wladislauiensis bona ecclesiae in villa *Lodzia* fundatae, ab eadem alienata, restituit (¹).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Johannes, dei gracia Episcopus Wladislauiensis, Significamus tenore presencium, quibus expedit vniuersis presentibus et futuris, presencium noticiam habere volentibus: Quod, sub rathihabicione venerabilium dominorum Capituli nostri wladislauiensis et consensu, bona, videlicet decimas, agros, prata, borram, siluas, nemora, piscinas, molendinum, que ab ante per dominos Capitulum predictum attributa et donata pro ecclesia parrochiali in *Lodzya* fuerunt: licet eadem bona ex certis legittimis causis Michaëli ipsius ecclesie vltimo et inmediato plebano, mandauerimus retinere; tamen quia post mortem predicti Michaëlis eandem ecclesiam domino Stanislao de *Grochowyska* Cappellano (sic) curiē nostre donauimus (²): quam idem dominus Stanislaus cum domino Petro, vicario perpetuo wladislauiensi pro eadem ecclesia iam de facto permutauit. Quare omnia et singula bona pro ecclesia in *Lodzya* predicta, ut prefertur, attributa et donata, fecimus restitui pro eadem, et tenore presencium restituimus et reddimus. Ipsaque bona, videlicet decimas, agros, prata, borram, siluas, nemora, piscinas molendinum, que ab ante ad dictam ecclesiam in *Lodzya* pertinebant: eandem donacionem ratificantes: eadem bona pro dicta ecclesia appropriamus, attribuimus, donamus et incorporamus per presentes, perpetuo duratura: ipsaque bona ad eandem ecclesiam volumus pertinere. In cuius rei testimonium, nostrum et dicti nostri capituli sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum in castro nostro wladislauiensi, feria secunda in crastino Oculi mei, anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo octauo. Pre-

(¹) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Taeniolis pergamenis duo erant huic tabulae appensa sigilla, mediae formae, quorum unum reliquum penitus deletum.

(²) *Lodzya* hodie *Lodź* oppidum territorii Lanciciensis, regionis Zgierscensis; *Grochowiska* villa territorii Cujaviensis, regionis Kowaliensis.

sentibus ibidem venerabilibus et honorabilibus viris, dominis: Johanne de *Slupowa* Archidiacono, Nicolao de *Kyky* decretorum doctore, Petro Kluka, Stanislao Chebde, Paulo de *Czechowo*, Jarando de Bernaczycze, Magistro, Laurencio de *Borzewyczsko*, Johanne de *Mlodawyno*, Sandiuogio et Petro Clawconis, canonicis wladislauiensibus.

CCCLXXX.

Gnesnae, anno 1428 die 17 mensis Maji.

Lites de decimis villarum *Sadlno* et *Chlebowo* ortae dirimuntur (1).

In nomine domini, amen. Sub anno natiuitatis eiusdem millesimo quadringentesimo vicesimo octauo, indicione sexta, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Martini, diuina prouidencia Pape quinti anno undecimo, die vero Lune decima septima mensis Maij, hora vesperum, in sala domus wenerabilis viri domini Benedicti canonici et officialis gneznensis site in summo gneznensi: in mei, Notarii publici, testiumque infrascriptorum ad hoc vocatorum et rogatorum, presencia constituti personaliter honorabiles viri, domini: Jacobus in *Sadlno* ex una, et Henricus in *Bronischewo*, ecclesiarum parochialium rectores, wladislauiensis diocesis parte ex altera, volentes controuersijs ac litibus, que inter ipsas partes, de et super decimis manipularibus et campestribus de agris consistentibus inter signa inferius in sentencia arbitrali descripta, quos colunt nobiles et eciam kmethones ad dextram partem villarum *Sadlno* et *Chlebowo* (2), tam in curia romana, quam extra vertebanntur (sic), ac verti et esse possent, finem imponere, renuncciantes (sic) et recedentes predicti domini Henricus a sentencijs duabus, tam in prima, quam in secunda instancijs pro eo latis, et Jacobus ab appellacione ad sedem apostolicam alias interposita, omnibus melioribus modo, via, facto et forma, quibus potuerunt et debuerunt, fecerunt sponte et libere, de alto et basso, simpliciter et in totum compromiserunt in wenerabiles viros, dominos: Albricum Archidia-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigillum deest.
(2) *Sadlno*, *Broniszewo* et *Chlebowo* villae sibi contiguae in regione Brestensi sitae.

conum Warschouiensem, Benedictum Officialem et Nicolaum Bronissij Canonicos Gneznenses, tamquam in arbitros, arbitratores et amicabiles compositores, ac communes amicos, dantes et concedentes eisdem dominis plenum mandatum ac omnimodam facultatem super predictis decimis, nec non perceptis et expensis pronuncciandi, arbitrandi, diffiniendi, cognoscendique de alto et basso, ac simpliciter et de plano absque strepitu et figura judicij: auditis hincinde parcium proposicionibus et responsis procedendi et cognoscendi, sentenciamque arbitralem, stando uel sedendo, die feriata uel non feriata, juris terminis seruatis, uel non seruatis: vocatis tamen ad hoc partibus, ipsisque comparentibus, uel non comparentibus, eciam si altera pars per contumaciam se absentet: proferendi; promittendo hincinde stare, parere et firmiter obedire sentencie, pronuncciacioni dictorum dominorum seu alterius eorundem, et nullo vmquam tempore, facto uel verbo, directe uel indirecte, per se uel per alium contrauenire, nec compromissum presens reuocare; renuncciantes in premissis omnibus et singulis excepcionibus, de jure uel de facto ipsis compettentibus (sic), nec non appellacionibus quibuscumque uel petticionibus (sic) super restitucionem in integrum, et alijs juris remedijs, per que sentencie, pronunecciacioni, mandato et arbitramento dictorum dominorum arbitrorum, seu alteri ipsorum, posset in aliquo derogari, et specialiter recursui habendo ad arbitrium boni uiri. Pro quibus omnibus et singulis sic, ut prefertur, per ipsos tenendis et inviolabiliter obseruandis, dicte partes et eorum (sic) quelibet videlicet: Jacobus in *Sadlno* ex una, et Henricus in *Bronischewo* plebani, partibus ex altera, sub pena per prefatos dominos arbitros et compositores amicabiles et communes amicos tunc apposita, videlicet tricentarum marcarum latorum grossorum: primam ecclesie gneznensi, secundam dominis arbitris et compositoribus amicabilibus, et terciam partem parti tenenti arbitrium, ordinacionem et laudum per partem contravenientem irremissibiliter persoluenda, se submiserunt bona fide: promittentes sentencie, pronuncciacioni et mandato predictis omnino stare et firmiter parere sub pena predicta, per prefatos dominos arbitros vallata. Qua pena soluta, uel non soluta, nichilominus sentencia, pronuncciacio et mandatum dictorum dominorum arbitrorum, seu alterius eorumdem, debet firma et inuiolata permanere. Qua (sic) quidem pena tociens si comittatur et comissa exigatur, quociens contradictum fuerit sentencie pronuncia-

cioni, mandato et arbitramento antedictis. Quo quidem compromisso per dictas partes in prenominatos dominos Albricum Archidiaconum, Benedictum Officialem et Nicolaum Bronissij Canonicos facto, mox et in continenti prelibati domini arbitri, arbitratores et amicabiles compositores, compromisso huiusmodi in se suscepto, auditis quoque parcium intencionibus, propositis et responsionibus, ac actis, tam in prima instancia, quam in secunda acticatis et bene masticatis, deliberacione matura inter se prehabita diligenti, ad suam arbitralem sentenciam et amicabilem composicionem processerunt, ipsamque in scriptis tulerunt huiusmodi sub tenore:

In nomine domini, amen. Nos Albricus de *Modlna* (3), Archidiaconus Warschouiensis, Benedictus de *Modla* (sic) Officialis, et Nicolaus Bronissij, Canonici ecclesie gneznensis, arbitri, arbitratores et amicabiles compositores, ac communes amici per honorabiles viros, dominos: Jacobum de *Sadlno* ab vna, et Henricum de *Bronissewo* ecclesiarum parochialium rectores, wladislauiensis diocesis, de et super litibus et controversijs, que vertuntur et verti sperantur inter eos, super jure decimarum de agris tam nobilium, quam kmethonum partis dextre villarum *Sadlno* et *Chlebowo*, nec non perceptis et expensis et interesse eorundem, et quibusuis alijs questionibus, litibus, qui (sic) ex premissis fieri possent parte ex altera concorditer assumpti et electi, nostram sentenciam arbitralem pronuncciauimus in hunc modum: In primis pronuncciamus, laudamus, ordinamus, arbitramur, diffinimus, dicimus atque precipimus: quod omnes lites inter ipsas partes pendentes, tam in partibus (sic) quam in curia indecisas extingwimus. Item pronuncciamus, laudamus, ordinamus, diffinimus et arbitramur: quod omnes controuersie, inimicicie, quomodocunque inter predictas partes suscitate, extingwantur et sopiantur. Item pronuncciamus, laudamus, sentenciamus, diffinimus et arbitramur: quod decime post araturas agrorum allodij, quos colebat olim Jaroslaus Judex, et nunc sui colunt successores, et decime post araturas agrorum allodialium, quos colebat Lucas, et nunc colunt sui successores post septem mansos, de quolibet istorum duorum allodiorum: nec non agri, quos coluerunt predecessores dicti domini Jacobi et ipse dominus Jacobus extirpati et extirpandi cum eorum decimis pertineant et per-

(3) *Modlna* villa territorii Lanciciensis, regionis Zgierscensis.

tinere debent perpetuo ad ecclesiam in *Sadlno*, et rectores ipsius. Item pronuncciamus, laudamus, arbitramur et diffinimus: quod decime post araturas tam nobilium, quam kmethonum in *Chlebowo* similiter pertineant et pertinere debeant ad dictam ecclesiam in *Sadlno*, prout ipsum *Chlebowo* in limitibus est distinctum et limitatum. Item pronuncciamus, arbitramur, sentenciamus et diffinimus: quod decime post araturas omnium kmethonum colencium agros tam nouos, quam antiquos extirpatos et extirpandos a signis, videlicet a via, que dicitur *via Episcopi*, usque ad pirum, que est ante villam *Sadlno*, et a piro usque ad montem parwm (sic) dictum *Cirzkwicza*, et a dicto monte usque ad *Crowibrod*, et a *Crowibrod* usque ad *Glambokybrod*, que signa sunt in eisdem hereditatibus *Sadlno* et *Chlebowo*: nec non decima post araturas nobilis Zemyanthe, heredis ibidem in *Sadlno* de septem mansis, ut expost suorum successorum iam extirpatos (sic) et expost extirpandos, similiter ad ecclesiam in *Bronischewo* et suos successores pertineant et pertinere debeant. Item pronuncciamus, dicimus, sentenciamus et arbitramur: quod pro decimis lini, quando in agris antiquis, retro aream relicte Luce, frumenta estiualia rector ecclesie in *Bronischewo* perciperet pro tempore existentes (sic), tunc unum fertonem currentis monete rector ecclesie in *Sadlno* pro eisdem decimis soluet. Item pronuncciamus, dicimus, decernimus, declaramus, sentenciamus, diffinimus et arbitramur: quod percepta preteritorum annorum, que percepit predictus dominus Jacobus, plebanus in *Sadlno*, et expense in lites facte transeant hinc inde compensate et compensata. Item quod dicte partes dictam nostram sentenciam arbitralem emologabunt, approbabunt, recipient et eidem obedient sub pena superius descripta. Lecta, lata et in scriptis pronuncciata est hec nostra sentencia arbitralis per nos Albricum, Benedictum Officialem, et Nicolaum, anno, indicione, pontificatu, die, mense, hora et loco, quibus supra. Presentibus honorabili et discretis viris, dominis: Stanislao de *Rudzicza* (¹), Baccalaureo plebano sancti Laurencij ante Gneznam, Peregrino, Alberto, Romano, et Nicolao Piesconis, Aduocatis causarum consistorij gneznensis, testibus ad premissa. In quorum omnium fidem et testimonium premissorum, presentes literas, siue presens publicum instrumentum, huiusmodi no-

(¹) *Rudzica* villa territorii et regionis Coninensis.

stram sentenciam arbitralem in se continentes seu continens exinde fieri et per Jacobum Mathie de *Lancicia*, Notarium publicum et facti huiusmodi coram nobis scribam infrascriptum, subscribi et publicari, nostrorumque appensione sigillorum iussimus communiri.

(S. N.) Et ego Jacobus Mathie de *Lancicia*, clericus gneznensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, ac coram prefatis dominis arbitris et amicabilibus compositoribus huiusmodi facti scriba: Quia predictis compromisso, faccioni, sentencie arbitralis pronunciacioni, leccioni, pene vallacioni, recepcioni et emologacioni et alijs omnibus premissis una cum prenominatis testibus, dum sic agerentur et fierent, presens interfui, eaque sic fieri vidi et audiui, ideo presentes literas, siue hoc presens publicum instrumentum, sentenciam arbitralem in se continentes siue continens, me officij mei arduis occupato, per alium scriptum exinde confeci, me propria manu subscripsi, et in hanc publicam formam redegi, signo et nomine meis solitis et consuetis vna cum appensione sigillorum predictorum dominorum arbitrorum consignaui in fidem et testimonium omnium premissorum.

CCCLXXXI.

In oppido Kozienice anno 1429 die 2 m. Decembris.

Joannes de *Szczekociny* Castellanus Lublinensis obtento a Wladislao Rege Poloniae Capitaneatu Dobrinensi ad certa officia exequenda se adstringit (1).

Ego Johannes de *Sczekoczin*, castellanus lublinensis, una cum filijs meis publice confiteor et recongnosco (sic), me recepisse et habuisse capitaneatum dobrzinensem cum terra et omnibus ciuitatibus, opidis, castris, villis et alijs bonis ad ipsa spectantibus, a serenissimo principe domino Wladislao, dei gracia Rege Polonie etc. domino michi graciosissimo, ad tenendum et gubernandum michi data et concessa. De quo quidem capitaneatu seu tenuta, prefato domino nostro Regi, singulis annis, quadringentas mar-

(1) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae, et quidem e tabula Nro 569 descriptum. Taeniola pergamena appensum sigillum minoris formae, in scuto repraesentat insigne *Odrowąż* dictum. E verbis in ambitu inscriptis, possunt legi: „*s. iohannis.*"

eas soluere me obligo et staciones consuetas ministrare polliceor, prout et alij ministrabant. Condicionemque tam terre quam castrorum, opidorum et villarum ac allodiorum terre et capitaneatus predictj dobrzinensis, pro posse me promitto facere meliorem et *parkonis* (sic) castrum vallare. Si autem alique gwerre uel insultus inimicorum terre dobrzinensi iminerent, extunc, durantibus huiusmodi gwerris, a solucione predictarum quadringentarum marcarum volo esse solutus atque liber. Harum, quibus sigillum meum est appensum, testimonio literarum. Datum in *Cozinicze* (²), feria sexta proxima ante festum sancti Nicolaj, anno domini millesimo quadringentesimo XX nono.

(²) *Kozienice* oppidum in provincia olim Sandomiriensi territorio Radomiensi situm, regionis sui nominis caput.

CCCLXXXII.

Ibidem, anno 1429 die 2 mensis Decembris.

Joannes de *Szczekociny* Castellanus Lublinensis pollicetur se Capitaneatum Dobrinensem, sibi a Wladislao Rege Poloniae ad possidendum datum fideliter administraturum (¹).

Ego Johannes de *Sczekoczin*, castellanus lublinensis, una cum filijs meis promitto sub fide et honore, et polliceor, quod omnes et singulas ciuitates, opida et castra, et signanter castrum *Bobrowniky*, cum omnibus bonis ad Capitaneatum dobrzinensem spectantibus, in quibuscumque districtibus terre dobrzinensis situata existunt, fideliter, absque dolo et fraude, ad manus serenissimi principis domini Wladislai, dei gracia Regis Polonie, domini mei graciosissimi, inclitorumque natorum ipsius: Wladislai et Kazimiri, que ex sua libertate (sic) et munificencia michi dedit ad tenendum, fideliter tenebo, regam, reformabo et custodiam, eciam si predictus dominus W(ladislaus) dei gracia, quod absit, de hac luce migrawerit (sic), extunc sine contradictione filijs suis predictis: Wladislao et Kazimiro, eadem fide me obligo et

(¹) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nro 278 descriptum. Sigilli abrupti superest tantum taeniola pergamena.

astringo. In casu autem, quod deus aufferat, si quid humanitus in predictis filijs domini Regis contingerit (sic), pro illustri filia sua Hedwigi, virgine nondum nupta, ciuitates et castra huiusmodi simili fide custodiam et seruabo. Harum, quibus sigillum meum est appensum, testimonio literarum. Datum in *Cozinicze*, feria sexta proxima post festum sancti Andree, anno domini millesimo quadringentesimo XX nono.

CCCLXXXIII.

Piorkoviae, anno 1431 die 11 mensis Januarii.

Joannes Archiepiscopus Leopoliensis, privilegium anni 1334, quo hereditas *Petherow* scultetis Wykano et Joanni concessa erat describi, idque descriptum ratum esse jubet (1).

In nomine dominj, amen. Nos Johannes, dei gracia archiepiscopus Leopoliensis, ad universorum tam presencium quam futurorum noticiam deducimus per presentes: Quod coram nobis personaliter constitutus discretis vir, dominus Albertus Zegothe de *Pyotrow*, plebanus Ecclesie parrochialis in *Ruschkow*, diocesis Cracoviensis, tenens suis in manibus quoddam privilegium in pargameno scriptum, reuerendi in Christo patris domini Mathie, eadem gracia olim Episcopi Wladislauiensis, super scultecia, taberna, et molendino confectum, sanum, salvum et integrum, non rasum, non abolitum, sed omni prorsus vicio et suspicione carens, duobus sigillis, uno eiusdem Domini Mathie Episcopi, et altero dicte ecclesie Wladislaviensis sui capituli, in cordulis sericeis viridis coloris subappensum (sic), sigillatum: Quod quidem sigillum dicti domini Mathie Episcopi fuit oblonge figure de cera communi, videlicet alba, intus et ab extra factum: in cuius quidem sigilli medio, quedam ymago pontificalibus induta, manum dextram ad benedicendum extendens, in manu vero sinistra tenens baculum pastoralem, in quodam Cyborio stans sculpta apparebat, sub quo Cyborio clipeus pro armis habens crucem ad modum *thau*, sculptus apparebat: In circumfe-

(1) Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis. Sigilli abrupti superest taeniola pergamena.

rencia vero dicti sigilli textus litteris capitalibus premissa cruce: *S. Mathie Episcopi Wladislauiensis* legebatur; sigillum vero aliud dicte ecclesie Wladislaviensis Capituli similiter fuit oblongum de cera communi, intus et ab extra factum, in cuius quidem sigilli medio quedam ymago Beate Marie Virginis infantem in manu sinistra baiulantis, et in dextra pomum tenens, quasi sedens super duobus animalibus, capitibus extensis, sculpta cernebatur: subter quam ymaginem quedam ymago, extensis ad orandum manibus et flexis genibus, in medio duarum parvarum ymaginum, que discerni non poterant, sculpta apparebant; textus vero litteris capitalibus in circumferencia dicti sigilli sculptus propter pulveres eidem textui adherentes, non potuit debite legi et describi: nobisque exposuit, quomodo cum eodem privilegio ad diversa Judicia et loca esset perrecturus, et ne aliquid periculi in eodem privilegio contingat, debita cum instancia a nobis postulavit, quatinus idem privilegium transsummi (sic), transscribi, et in formam publicam redigi mandaremus, interpositis sibi auctoritate nostra et decreto, sigillique nostri appensione communiri, ut eidem transsumpto in Judicijs et extra ac ubique locorum staretur et crederetur, ac fides omnimoda adhiberetur, tamquam originali privilegio memorato. Nós vero dicto privilegio recepto et conspecto, attendentesque, quod iusta petentibus assensus non est denegandus, dictum privilegium per circumspectum Johannem Andree de *Crobya*, imperiali auctoritate publicum, ac notarium nostrum infrascriptum, transsummi, transscribi, et in publicam formam redigi mandavimus, nichil addendo vel minuendo, quod sensum immutaret, vel variaret intellectum; quo transsumpto et auscultacione facta diligenti cum eodem, quia huiusmodi transsumptum cum privilegio originali antedicto in omnibus et per omnia invenimus concordare, ideoque eidem transsumpto nostram auctoritatem interposuimus et interponimus per presentes, et decretum volentes et per hec scripta decernentes, quod eidem transsumpto in Judicio et extra, ac ubique locorum stetur et credatur, fidesque plenaria adhibeatur, ac si originale privilegium prescriptum per omnia appareret. Cuius quidem Privilegij tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis:

(Sequitur privilegium anni 1334 *quod vid. ad eundem annum N.* CCLVI p. 251*)*.

In quorum omnium fidem et testimonium premissorum, presens transsumptum sigilli nostri appensione est communitum. Actum et datum in *Pyrkow* (²), sub anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo tricesimo primo, indicione nona, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Martini, divina providencia Pape quinti, anno XIIII°, die vero Jovis XI mensis Januarij, hora terciarum vel quasi, in stuba maiori, presentibus strennuo domino: Zawyssio de *Ruschkow* subiudice terre Sandomiriensis, et honorabili viro domino Sand Scolastico in *Konskye*, ac nobilibus Andrea de *Lowinicza*, Janussio de *Neprowycze*, Paschkone de *Przeczslawycze* et Nicolao de *Vyele* armigeris, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis (³).

(S. N.) Et ego Johannes Andree de *Crobya*, Clericus Poznaniensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate, ac prefati Reverendi in Christo Patris et domini domini Johannis archiepiscopi Leopoliensis notarius: Quia premissis privilegij transsumpti peticioni, et eius decreto, alijsque omnibus, dum sic ut premittitur agerentur et fierent, una cum prenotatis testibus presens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, ideoque hoc instrumentum transsumpti publicum manu mea propria scriptum, de mandato prefati domini Johannis arhiepiscopi exinde confeci et in hanc publicam formam redegi, signo et nomine meis solitis et consuetis, una cum antedicti reverendi patris domini Johannis archiepiscopi appensione sigilli consignavi, rogatus et requisitus, in fidem ac testimonium omnium et singulorum premissorum.

(²) Villa jam ad annum 1334 Nro CCLVI p. 251 descripta,
(³) *Ruszkow* villa territorii et regionis Opatoviensis; *Końskie* oppidum territorii Opocznensis; *Łownica* territorii et regionis Sandomiriensis; *Nieprowice* territorii Miechoviensis; *Przecławice* ibidem. *Vyele* sine dubio *Wielgie* villa territorii Opatoviensis; *Krobia* oppidum territorii Posnaniensis, regionis sui nominis caput, in M. D. Posnaniensi.

CCCLXXXIV.

Romae, anno 1432 die 19 mensis Septembris.

Causa quae agebatur a duodecim annis inter Joannem Episcopum Wladislauiensem et civitatem Gedanensem, de domo Episcoporum Wladislaviensium propria, ibidem sita, a civibus destructa, dijudicatur (¹).

In nomine domini, amen. Sub anno natiuitatis eiusdem millesimo quadringentesimo tricesimo quinto, indiccione tredecima, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Eugenij, divina providencia Pape quarti, anno quarto, die decima septima mensis Januarij, hora terciarum vel quasi, in *Opporowo,* Gneznensis diocesis, et in curia reuerendi in Christo patris et domini domini Wladislai, dei gracia Episcopi Wladislaviensis, in mei notarij publici, testiumque subscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum presencia, constitutus personaliter prenominatus reverendus in Christo pater dominus Wladislaus Episcopus Wladislaviensis, habens et suis tenens in manibus litteras executoriales Reverendi domini Johannis, miseracione divina tituli Sancti Sixti Presbiteri Cardinalis executoris unici trium diffinitivarum sentenciarum pro parte quondam Reverendi patris domini Johannis, Episcopi Wladislaviensis et ipsius Ecclesie, et contra preconsules (sic), consules, opidanos, ac totam communitatem opidi *Gdanczk,* wladislaviensis diocesis, de et super demolicione certe domus mense Episcopalis Wladislaviensis, ac alijs rebus in actis cause huiusmodi deductis, et ipsius occasione, per certos sacri pallacij apostolici causarum auditores latarum, eius vero sigillo oblonge figure intra de rubea, ab extra vero de comuni (sic) ceris, in cordula rubei coloris more Romane curie dependenti sigillatas, manuque circumspecti Angeli Johannis de *Rachneto,* publici apostolica et Imperiali auctoritatibus notarij subscriptas et consignatas sanas, salvas et integras, in cuius quidem sigilli medio ymago (sic) Beate Marie Virginis infantem in manu dextera baiulantis stans erecta apparebat, a cuius dextris ymago infulata manum dexteram ad benedicendum exten-

(¹) **Ex archetypo membranaceo tabularii capituli Wladislauiensis.**

dens, et librùm in sinistra deferens, quasi in pontificalibus videbatur, a sinistris vero ymago altera librum in dextera et curwaturam (sic) in sinistra manibus habere cernebatur; sub quarum imaginum pedibus imago infulata, manibus supra pectus compositis, quasi in pontificali apparatu videbatur, a dextris cuius et sinistris duo clipei et in eorum medio pallacia cum quatuor fenestris sculpta noscebantur, litere vero circumferenciales: ***sigillum Johannis tituli Sancti Sixti Presbiteri Cardinalis,*** hee (sic) legebantur. Quas quidem litteras asserens propter nonnulla incomoda, pericula et inopinati casus eventum, ac ex certis causis animum suum moventibus non posse comode versus curiam Romanam vel alibi dirigere et destinare, me notarium publicum infrascriptum ex meo officio thabellionatus requisivit, quatinus predictas litteras executoriales, una cum descripcione sigilli ipsis dependentis transsumerem, ac in publicam formam redigerem et copiarem, nichil addendo, diminuendo, aut variando, quod substanciam facti mutaret, aut saltem variaret intellectum, ut eisdem litteris transsumpti stetur, credatur et fides plenaria in Romana Curia vel extra adhibeatur, ac si littere originales apparerent. Quarum litterarum tenor de verbo et (sic) verbum sequitur et est talis:

Illustrissimis et Serenissimis Principibus et dominis, dominis Sigismundo, divina favente clemencia Romanorum semper Augusto, ac Ungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc., et Wladislao Polonie, nec non Dacie, Swecie, Norwegie Regibus, Regnorum vestrorum felicis prosperitatis augmentum: Reverendisque in Christo patribus et dominis, dominis Gneznensi et Leopoliensi Archiepiscopis, ac Cracoviensi, Plocensi, Poznaniensi, et Chelmensi Episcopis, eorumque et cuiuslibet ipsorum in spiritualibus et temporalibus vicarijs et Officialibus generalibus, ac universis et singulis dominis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, Archidiaconis, scolasticis, cantoribus, custodibus, Thezaurarijs, sacristis, succentoribus tam kathedralium, quam Collegiatarum ecclesiarum Canonicis, monasteriorumque quorumcumque exemptorum et non exemptorum, ac ministris generalibus, provincialibus, vicarijs, gwardianis (sic), nec non Sancti Johannis Jerosolimitani ordinis Magistro, commendatoribus, preceptoribus et ipsorum (sic) domorum fratribus, ac Conventualibus minorum heremitarum (sic) Sancti Augustini, predicatorum et beate Marie Carmelitarum, ac quorumcumque

aliorum ordinum fratribus, ac parrochialium ecclesiarum rectoribus seu locatenentibus eorumdem, plebanis, viceplebanis, cappellanis curatis et non curatis, vicarijs perpetuis, clericis, notarijs et thabellionibus publicis, nec non illustribus Principibus et dominis Mazovie et Stolpensibus ducibus ac Marchionibus, Comitibus, et alijs nobilibus, ac terrarum dominiš quibuscumque, ceterisque militibus, armigeris, advocatis, Judicibus, officialibus, Castellanis, Burgrabijs, magistris civium, Scoltetis, consulibus, proconsulibus, Gubernatoribus, Juratis, scabinis, servientibus, scribis et preconibus quarumcumque civitatum, opidorum, villarum, castrorum et locorum, per dictorum Archiepiscoporum et Episcoporum provincias, civitates et dioceses, ac alias ubilibet constitutis, et presertim Magnificis et prudentibus viris dominis proconsulibus, consulibus, opidanis, et universitati opidi *Gdanczk*, Wladislaviensis diocesis, principalibus ex adverso, in infrascriptis sentencijis et comissione (sic) nominatis, omnibusque alijs, quōrum interest vel intererit, quosque infrascriptum tangit negocium seu tangere poterit quomodolibet in futurum, quibuscumque nominibus censeantur, aut quacumque prefulgeant dignitate, Johannes, miseracione divina tituli Sancti Sixti sacrosancte Romane ecclesie Presbiter Cardinalis Judex et commissarius, ac executor unicus ad infrascripta a domino nostro Papa specialiter deputatus, salutem in domino et mandatis nostris, ymo verius Apostolicis firmiter obedire. Noveritis quod orta dudum dissensionis materia inter bone memorie Johannem Episcopum Wladislaviensem ex una, et prefatos proconsules, consules, opidanos, et universitatem opidi *Gdanczk*, de et super demolicione et destruccione cuiusdam domus ad mensam Episcopalem Wladislaviensem spectantis, lapidum, lignorum et laterum deportacione et abduccione, ac alijs rebus deductis, et earum occasione, partibus ex altera. Sacrosancta et generalis Sinodus Constanciensis, apostolica sede tunc vacante, causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad Romanam curiam devoluta, ac apud eam tractanda et finienda non esset: quondam Bertholdo de *Wyldungen* dicte sedis, ad instanciam prefati bone memorie Johannis Episcopi Wladislaviensis, primo, et deinde felicis recordacionis dominus Martinus Papa quintus, divina favente clemencia ad summi Apostolatus apicem assumptus, ex certis causis, nonnullis alijs sacrj pallacij apostolici auditoribus, ac postea Reverendo patri domino Cunczoni, dei et

apostolice sedis gracia Episcopo Olomuczensi, tunc pallacij causarum apostolici predicti auditorj, audiendam comisit, cognoscendam, decidendam, et fine debito terminandam cum omnibus et singulis suis emergencijs, incidencijs, dependencijs et connexis. Ipseque dominus Cunczo Episcopus, tunc auditor, postquam causam eandem in statu debito resumpserat, ac, dicto Johanne vita functo, de persona Reverendi patris domini Johannis Episcopi Wladislaviensis, ecclesie Wladislaviensis tunc pastoris solacio destitute apostolica auctoritate provisum, ipse illi in Episcopum et pastorem prefectus fuerat, perperam in ipsa causa procedens, diffinitivam, per quam proconsules, consules, opidanos et universitatem predictos ab impeticione dicti domini Episcopi prefecti (sic) absolvit, sentenciam in scriptis tulit et promulgavit. A qua pro parte dicti domini Episcopi prefecti (sic) Wladislaviensis, ad prefatam sedem Apostolicam in scriptis appellato (sic), prefatus felicis recordacionis dominus Martinus Papa quintus, causam appellacionis huiusmodi venerabili et circumspecto viro domino Johannj de *Mella,* decretorum doctori et pallacij causarum apostolici predicti auditorj audiendam comisit, cognoscendam, decidendam et fine debito terminandam cum omnibus et singulis suis emergencijs, incidencijs, dependencijs et connexis. Qui dominus Johannes de *Mella* auditor, in causa huiusmodi rite procedens, cognitis ipsius meritis, servandis seruatis, sentenciam diffinitivam in scriptis tulit et promulgavit in hunc modum:

Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes et solum Deum pre oculis habentes, de dominorum nostrorum Coauditorum consilio et assensu, per hanc nostram diffinitivam sentenciam, quam ferimus in hijs scriptis, pronunciamus, decernimus et declaramus, per dictum dominum Cunczonem auditorem in huiusmodi causa, que tunc coram eo in prima vertebatur, et nunc coram nobis in secunda vertitur instancia, inter dictas partes de et super demolicione dicte domus et rebus alijs deductis, et earum occasione, male et inique fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum: eiusque diffinitivam senteneiam, ex noviter coram nobis productis, revocandam fore et revocamus. Et pro parte dicti domini Episcopi ab eodem domino Cunczone auditore, eiusque diffinitiva sentencia huiusmodi, bene fuisse et esse provocatum et appellatum. Nec non nostra parj diffinitiva sentencia pronunciamus, decernimus et declaramus: subversionem dicte domus et eius

demolicionem atque deportacionem, et obduccionem lignorum, lapidum et laterum per dictos proconsules, consules, et universitatem sive comunitatem opidi in *Gdanczk*, ac de comuni (sic) mandato, coniunctim seu divisim, factas, fuisse et esse temerarias, iniquas, illicitas et iniustas, ac de facto presumptas, ac ecclesiam Wladislaviensem et eius mensam Episcopalem per premissa in quinque milibus (sic) sexagenis grossorum latorum in subversione et demolicione dicte domus et ceteris per predictos proconsules, consules, opidanos ac universitatem opidi *Gdanczk* dampnificatos fuisse et esse, ipsosque proconsules, consules, opidanos, ac universitatem ad resarciendum et refundendum dicto Reverendo patri domino Johanni, Episcopo Wladislaviensi moderno et eius mense, dicta dampna condempnandos fore et condempnamus, condempnatosque, ut de dictis dampnis et condempnatis prefato Reverendo patri satisfaciant realiter cum effectu, compellendos fore et compellimus vijs et remedijs Juris opportunis, ipsosque proconsules, consules, opidanos, ac universitatem dicti opidi *Gdanczk* adversarios in expensis, in huiusmodi causa coram nobis legittime factis condempnandos fore et condempnamus, quarum expensarum taxacionem nobis in posterum reservamus. A qua quidem sentencia fuit pro parte dictorum proconsulum, consulum, opidanorum ac universitatis, ad sedem appellatum prefatam. Dictus tunc dominus Martinus Papa quintus, ad instanciam dicti Episcopi asserentis, appellacionem ipsam, a sentencia predicta interpositam, fuisse et esse desertam, causam desercionis eiusdem Reverendo patri domino Marciali, Episcopo Ebroicensi, tunc dicti pallacij causarum apostolici primo, et deinde ex certis causis venerabili et circumspecto viro domino Laurencio de *Arecio* decretorum doctorj, et eiusdem pallacij causarum apostolici auditoribus, audiendam commisit, cognoscendam, decidendam et fine debito terminandam cum omnibus et singulis suis emergencijs, incidencijs, dependencijs et connexis. Ipseque dominus Laurencius auditor, postquam, eodem Johanne Episcopo prefecto (sic), eciam ab hac luce subtracto, prefate ecclesie Wladislaviensi de persona Reverendi patris domini Johannis, moderni Episcopi Wladislaviensis, eadem auctoritate provisum, ipseque illi in Episcopum et pastorem prefectus fuerat, cognitis huiusmodi cause meritis, servatis servandis, ac rite procedens et legittime, sentenciam in scriptis tulit et promulgavit in hec verba:

De dominorum Coauditorum nostrorum consilio et assensu per hanc nostram sentenciam, quam pro tribunali sedentes et solum Deum pre oculis habentes ferimus in hijs scriptis, pronunciamus, decernimus et declaramus, appellacionem a diffinitiva sentencia, per venerabilem dominum Johannem de Mella Coauditorem nostrum in causa huiusmodi, que tunc coram eo vertebatur inter bone memorie dominum Johannem tunc Episcopum, et nunc coram nobis vertitur inter Reverendum patrem dominum Johannem modernum Episcopum et ecclesiam Wladislauiensem predictos ex una, ac universitatem, proconsules, consules ac opidanos opidi *Gdanczk*, Wladislaviensis diocesis, ipsorum adversarios, de et super demolicione cuiusdam domus, ad dictam ecclesiam spectantis, rebusque alijs deductis et earum occasione, partibus ex altera, pro prefato quondam domino Johanne, Episcopo Wladislaviensi, predecessore inmediato (sic) dicti domini Episcopi moderni, et ecclesia predictis, lata, pro parte dictorum universitatis, consulum, proconsum et opidanorum fuisse et esse desertam, dictamque sentenciam diffinitivam in rem transivisse iudicatam, prefatosque universitatem, consules, proconsules et opidanos in expensis, propterea in hac instancia legittime factis, condempnandos fore et condempnamus, quarum expensarum taxacionem nobis inposterum reservamus. A qua quidem sentencia dicti domini Laurencij auditoris fuit pro parte ipsorum proconsulum, consulum, opidanorum et universitatis ad predictam sedem appellatum. Dictus tunc dominus Martinus papa quintus causam appellacionis huiusmodi venerabilibus et circumspectis viris dominis Johanni de *Thomarijs* de *Bononia* decretorum primo, et deinde ex certis causis Johanni de *Polomar*, utriusque juris doctoribus et eiusdem pallacij causarum apostolici auditoribus audiendam commisit, cognoscendam, decidendam et fine debito terminandam cum omnibus et singulis suis emergencijs, incidencijs, dependencijs et connexis. Ipseque dominus Johannes de *Polomar* auditor rite procedens, cognitis huiusmodi cause meritis, servatis servandis, sentenciam in scriptis tulit et promulgavit in huno modum:

De dominorum coauditorum nostrorum consilio et assensu per hanc nostram sentenciam, quam pro tribunali sedentes ferimus in hijs scriptis, pronunciamus, decernimus et declaramus, per venerabilem dominum Laurencium de Arecio Coauditorem nostrum in causa huiusmodi, que tunc coram

eo vertebatur et nunc coram nobis vertitur, inter prefatos Reverendum patrem dominum Johannem, Episcopum et Ecclesiam Wladislaviensem ex una, ac consules, proconsules, opidanos et universitatem opidi *Gdanczk*, Wladislaviensis diocesis, de et super demolicione domus mense Episcopalis Wladislaviensis, rebusque alijs deductis et earum occasione, partibus ex altera, bene fuisse et esse processum, pronunciatum et sentenciatum, eiusque processum et sentenciam huiusmodi confirmandam fore et confirmamus, et pro parte dictorum consulum, proconsulum, opidanorum et universitatis opidi predicti, ab eodem domino Laurencio, eiusque processu, et a sentencia huiusmodi, male fuisse et esse provocatum et appellatum, ac eosdem proconsules, consules, opidanos et universitatem opidi predicti, in expensis, in huiusmodi causa propterea coram nobis legittime factis, condempnandos fore et condempnamus: quarum expensarum taxacionem nobis inposterum reservamus.—Cumque a sentencia Johannis de *Polomar*, auditoris huiusmodi, pro parte dictorum proconsulum, consulum, opidanorum et universitatis fuisset ad prefatam sedem appellatum, dictus dominus Martinus Papa quintus causam ipsius ultime appellacionis venerabili et circumspecto viro domino Johannj Andree de *Caldrinis*, decretorum doctorj, Canonico Ecclesie Bononiensis, et dicti pallacij causarum Apostolici auditorj audiendam commisit, cognoscendam, decidendam et fine debito terminandam cum omnibus et singulis suis emergencijs, incidencijs, dependencijs et connexis. Qui, coram eo inter partes predictas, aut earum procuratores, in causa huiusmodi aliquali continuato processu, ac deinde prefato domino nostro Papa quinto, sicut altissimo placuit de medio sublato, et sanctissimo in Christo patre et domino nostro, domino Eugenio, divina favente clemencia ad summi apostolatus apicem assumpto, causaque huiusmodi de eius mandato in statu debito resumpta, cognitis ipsius cause meritis, rite procedens, servatis servandis, sentenciam in scriptis tulit et promulgavit in hec verba:

De dominorum Coauditorum nostrorum consilio et assensu per hanc nostram sentenciam, quam, pro tribunali sedentes et solum deum pre oculis habentes, ferimus in hijs scriptis, pronunciamus, decernimus et declaramus, per prefatum dominum Johannem de *Polomar*, Coauditorem nostrum, in causa, que tunc coram eo vertebatur, et nunc coram nobis vertitur, inter prefatum Reverendum patrem dominum Johannem, Episcopum Wladislaviensem

et eius ecclesiam ex una, et consules, proconsules, opidanos et universitatem opidi *Gdanczk,* Wladislaviensis diocesis, de et super demolicione cuiusdam domus Episcopalis mense wladislaviensis, et rebus alijs deductis et earum occasione, partibus ex altera, bene fuisse et esse processum, sentenciatum et pronunciatum, eiusque processum et sentenciam huiusmodi confirmanda fore et confirmamus; et pro parte consulum, proconsulum, opidanorum et universitatis predictorum, ab eodem domino Johanne de *Polomar* auditore, eiusque processu et sentencia huiusmodi, male fuisse et esse provocatum et appellatum; ac eosdem proconsules, consules, opidanos et universitatem in expensis, propterea in hac causa legittime factis, condempnandos fore et condempnamus: quarum expensarum taxacionem nobis inposterum reservamus. Subsequenter dictus dominus noster, dominus Eugenius Papa quartus, quandam comissionis sive supplicacionis cedulam nobis Johanni, Cardinali Judici et commissario ac Executorj prefato, per certum suum cursorem presentarj fecit, quam reverenter, ut decuit, recepimus huiusmodi sub tenore:

Sanctissime pater! Sunt duodecim anni et ultra, quod consules, proconsules et universitas opidi *Gdanczk,* Wladislaviensis diocesis, quandam domum sive pallacium Episcopale, spectans pleno jure ad reverendum patrem dominum Episcopum wladislaviensem pro tempore, cum suis pertinencijs penitus usque ad fundamentum demoliverunt et destruxerunt; unde propterea quondam Reverendus pater dominus Johannes, Episcopus Wladislaviensis, iam sunt duodecim anni et ultra, contra dictum opidum litem movit, et quia forsan intencio dicte ecclesie tunc plene probata non erat, Reverendus pater dominus Cunczo Episcopus Olomucensis, tunc pallacij apostolici causarum auditor, dictum opidum ab impeticione dicti quondam *domini* Episcopi absolvit. A qua pretensa sentencia appellato, Reverendus pater dominus Johannes de Mella, dicte cause appellacionis et eiusdem pallacij auditor, dictam priorem pretensam absolutoriam sentenciam diffinitive revocavit et dictum opidum, propter temerariam destruccionem et demolicionem huiusmodi, in quinque milibus sexagenarum latorum grossorum, ac expensis dicte ecclesie condempnavit. Et quia prefatum opidum suam pretensam appellacionem a dicta diffinitiva sentencia adiudicatoria ipsius domini Johannis de Mella deseruit, reverendi patres domini Laurencius de *Arecio*, Johannes

de *Polomar*, ac Johannes Andree de *Caldrinis*, dicti pallacij Apostolici auditores, per tres sentencias conformes pronunciaverunt, dictam pretensam appellacionem, a prefata sentencia domini Johannis de *Mella* interpositam, fuisse et esse desertam, et sentenciam diffinitivam adiudicatoriam huiusmodi, pro ipsa Ecclesia latam, in rem transivisse iudicatam, prefatum opidum in expensis, coram se factis, condempnando. Verum dictum opidum in consistorio publico proponi fecit, ut dicitur, petendo, ut, reiectis desercione huiusmodi et inde secutis, dumptaxat in negocio principali procederetur perinde, ac si causa in primo fatali foret: et hoc pretendit dictum opidum petivisse ante latam dictam terciam sentenciam super desercione huiusmodi, et ad illam peticionem dicit fuisse responsum: constat de tercia sentencia lata. Postque prefatum opidum exposuit, quomodo dicta sua commissio sive peticio proposita fuisset in consistorio, antequam dicta tercia sentencia super desercione lata fuisset, et quod post hoc Reverendissimi patres domini Cardinales, tunc tenentes consistorium, dictam responsionem fecissent: constat de tercia lata sentencia. Quodque procurator dicti opidi Reverendo patrj domino Johanni Andree tempore huiusmodi late sentencie dixisset, commissionem in huiusmodi causa propositam, petendo a Sanctitate vestra, quod si huiusmodi prior commissio ante dictam terciam sentenciam super (de super) (sic) desercione et transitu in rem iudicatam proposita erat, lata fuisset, et quod tunc in negocio principali dominus Genumanus, auditor, dictis tribus sentencijs super desercione et transitu in rem iudicatam, ut premittitur, latis, et desercione huiusmodi non obstante, ut prius petitum erat, procederet: que commissio sic signata est de mandato nostri Pape: audiat idem auditor, procedat in principali, ut petitur, solutis expensis duarum instanciarum: super desercione tercia lata sentencia et alijs premissis non obstantibus: et iusticiam faciat. Advertere placeat sanctitati vestre, quam enormiter ledi videtur dicta ecclesia Wladislaviensis per dictam pretensam commissionem. Primo, quia dicta lis duravit duodecim annis et ultra, que per dictas sentencias cum magnis laboribus et expensis dicte ecclesie sopita fuit, et sanctitas vestra, ad quam lites dirimere et eis finem imponere spectat, predictam litem sic antiquam, sopitam, ut premittitur, resuscitarj mandavit in grave dampnum dicte ecclesie. Secundo, licet aliqua commissio proponatur in consistorio, non propterea per aliquam regulam seu mandatum ligate sunt

manus Judicis, maxime hoc casu, cum Reverendus pater dominus Johannes Andree de *Caldrinis* dudum ante dictam pretensam proposicionem regestrum habuit in huiusmodi causa, et, ut creditur, plene deliberatus fuerit: si ergo, ut videtur, graciose expectavit partem adversam diucius, hoc non debet nocere dicte ecclesie. Tercio, per sentenciam diffinitivam adiudicatoriam, que in rem transivit iudicatam, queritur jus parti, pro qua fertur, et sic per dictam diffinitivam adiudicatoriam sentenciam et alias tres super transitu illius in rem iudicatam, et desercione appellacionis ab ea interposite jus fuit quesitum dicte ecclesie in dicta summa quinque milium (sic) sexagenarum, que constituunt, ut dicitur, summam quindecim milium florenorum Renensium, ac expensis: et tollere tale jus quesitum ecclesie gravissimum videretur, nec creditur de intencione sanctitatis vestre fore alicui tollere jus quesitum, presertim in re ita ardua, et maxime ecclesie secus foret in beneficialibus, ut sentencia non dat Jus. Quarto, consueverunt Romani pontifices et Sanctitas vestra ecclesijs in rebus, ubi faverj potest, cum bona equitate favere, et in preiudicium ecclesiarum, quarum sanctitas vestra caput et protector est, nichil concedere: presertim in favorem laicorum, domus et pallacia ecclesiarum destruencium. Quibus, et alijs pluribus, attentis, supplicatur sanctitati vestre pro parte prefate ecclesie, cuius eciam certa edificia per hostes dicti Regni nuper combusta existunt, quatinus eedem (sic) ecclesie in jure suo pie compaciendo, nec jus suum auferendo, dando adversarijs eiusdem ecclesie favores, sed pocius ipsam ecclesiam in jure suo et in jure comuni (sic) conservando, statutus (sic) causarum huiusmodi habendo pro expressis, illas ad se directe advocare, necnon alicui ex Reverendis patribus sancte Romane ecclesie Cardinalibus committere et mandare dignemur (sic), ut huiusmodi pretensam commissionem, ex adverso pro parte dicti opidi *Gdanczk*, adversariorum, in preiudicium dicte ecclesie et sentenciarum pro ea latarum extortam, non obstante in dictis causis, si et prout de Jure comuni fuerit, nichil gracie aut favoris alicui dictarum parcium, scilicet ecclesie aut opido predictis concedendo, sed ambas partes ad jus comune reducendo, et in illo servando, procedat. Et si per informacionem summariam invenerit, dictas sentencias, pro prefata ecclesia latas, reiectis prefatis (sic) pretensa commisione in preiudicium dicte ecclesie extorta, de jure fore exequendum, illas per litteras suas, sub eius sigillo, desuper decernendo per censuras eccle-

siasticas et alia juris remedia, debite et plenarie exequatur, premissis constitucionibus apostolicis, statu causarum huiusmodi, in quibus a decreto remissionis per dictum dominum Genumanum ad instanciam dicti opidi facto primo: Et quia pendente termino Apostolorum procedebatur secundo pro parte dicte ecclesie appellatum, et super prima apellacione reposicio facta, eciam si ab illa reposicione ex adverso appellatum existat, eciam si alique alie appellaciones per dictas partes aut earum alteram interposite et termini pro Apostolis dandis pendeant vel qualescumque apostoli assignati existant: quorum omnium status et tenores hic habentur pro expressis. Ac hijs et alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, attento, Pater sancte, quod sepissime Imperatores, Reges et domini temporales et eorum leges et constituciones privilegiant ecclesias ultra laicos, quanto magis sanctitas vestra, que est caput ecclesiarum in terris, et si non velit privilegiare ecclesiam vel illi dare favorem ultra jus comune, saltem conservet ipsam ecclesiam in jure comuni et ad illud jus comune ipsam reducat, et de hoc laici adversarij merito conquerj non poterunt, si sanctitas vestra non dat eis favorem et privilegia contra ecclesiam... iam miserabiliter combustam. In fine vero dicte commissionis sive supplicacionis cedule, scripta erant de alterius manus littera, superiorj littere ipsius cedule penitus et omnino dissimuli (sic) et diversa, hec verba, videlicet: de mandato domini nostri Pape audiat Reverendus pater dominus Cardinalis Sancti Sixti, et si sentencia domini Johannis de Mella pro ecclesia lata, que per tres sentencias pronunciata est, transivisse in rem iudicatam, et appellacionem ab ea interpositam fuisse desertam per summariam informacionem invenerit esse iustam et bene latam; reiecta appellacione quacumque, confirmet et exequatur, ut petitur: alioquin procedat si et prout de jure, premissis non obstantibus.

Post cuiusquidem commissionis sive supplicacionis cedule presentacionem et recepcionem, nos ad providi viri Magistri Johannis de *Lawonio*, in Romana curia causarum et supradicti domini Johannis, moderni Episcopi ac Ecclesie Wladislaviensis, procuratoris et Sindici instanciam, providum virum Magistrum Thomam Rode, in eadem Curia causarum et predictorum proconsulum, consulum, opidanorum et universitatis procuratorem et sindicum: de quorum hincinde procuracionum mandatis nobis ex actis causarum huiusmodi legittima extitit facta fides, ad dicendum et excipiendum, quicquid

verbo vel in scriptis dicere sive excipere volebat (sic) contra comissionem ultimam predictam, per certum dicti domini nostri Pape cursorem citarj fecimus ad certum peremptorium terminum competentem. In quo per prefatum magistrum Thomam Rode, procuratorem et sindicum nomine antedicto contra comissionem ultimam preinsertam nonnullis excepcionibus articulatis, factis, exhibitis, atque datis, replicatoque, duplicato, triplicato et quadruplicato coram nobis inter partes supradictas: tandem nos ad prefati Magistri Johannis de *Lawonio*, procuratoris et sindici, instanciam, antedictum Magistrum Thomam Rode, procuratorem et sindicum ex adverso, ad domum habitacionis sue, de speciali mandato nostro, ulterius ad videndum et audiendum, ad execucionem supradictarum diffinitive et aliarum sentenciarum, pro dicto Episcopo et ecclesia Wladislaviensi latarum, procedi, litterasque executoriales, monitorias et denunciatorias, aggravatorias et reaggravatorias, usque ad invocacionem auxilij brachij secularis inclusive, nostro sub sigillo, iuxta vim, formam et tenorem comissionis ultime, superius inserte, in forma solita et consueta decerni et concedi, vel allegandum causam racionalem, si quam haberet, quare hoc minime fierj deberet, ac sentenciam desuper in scriptis per nos ferrj et promulgarj, per duos dicti domini nostri Pape cursores, tribus vicibus successive, citarj mandavimus et fecimus ad certum peremptorium terminum competentem, videlicet ad diem et horam infrascriptas. In quibus comparuit in Judicio coram nobis Magister Johannes de *Lowanio* (sic), procurator et sindicus nomine antedicto, et predicti Magistri Thome Rode, procuratoris et sindici ex adverso, non comparantis (sic) contumaciam accusavit, ipsumque pecijt contumacem reputarj, et in eius contumaciam litteras executoriales huiusmodi decerni et concedi, sentenciamque desuper ferrj et promulgarj per nos, debita cum instancia postulavit. Nos tunc dictum Magistrum Thomam Rode, procuratorem ex adverso, non comparentem, neque termino huiusmodi in aliquo satisfacientem, licet diucius expectatum, reputavimus, iusticia exigente, contumacem, et in eius contumaciam, attendentes requisicionem huiusmodi fore iustam et consonam racioni: quodque parum prodesset sentencias ferrj, nisi execucioni debite demandarentur, volentesque dictam ultimam nobis factam commissionem reverenter exequi, ut tenemur, nec non visis primitus per nos et diligenter inspectis omnibus et singulis actis, acticatis, litteris, scripturis,

instrumentis, iuribus et munimentis, testiumque dictis et deposicionibus, in tota huiusmodi causa habitis, exhibitis et productis, eisque cum diligencia et maturitate debita recensitis: de juris peritorum consilio et assensu, quibus de huiusmodi cause meritis relacionem plenariam fecimus et fidelem, ad nostram sentenciam proferendam duximus procedendum et processimus, eamque per ea, que vidimus et cognovimus, ac cognoscimus et videmus, in scriptis tulimus et promulgavimus, et presentibus ferimus et promulgamus in hunc, qui sequitur, modum:

De Juris peritorum consilio et assensu per hanc nostram sentenciam, quam pro tribunali sedentes ferimus in hijs scriptis, pronunciamus, decernimus et declaramus, dictam diffinitivam sentenciam adiudicatoriam, per venerabilem virum dominum Johannem de *Mella*, pallacij apostolici causarum auditorem prefatum, pro Reverendo patre domino Johanne, Episcopo Wladislaviensi et ecclesiam Wladislaviensem (sic) predictis, iuste et bene latam, ac huiusmodi tres interlocutorias sentencias vim diffinitivarum sentenciarum habentes, per quas pronunciatum extitit, prefatam diffinitivam adiudicatoriam sentenciam in rem transivisse iudicatam, et appellacionem ab ea interpositam fuisse desertam, latas iuxta vim et tenorem dictarum sentenciarum per censuras ecclesiasticas, et alia juris remedia pro dictis domino Episcopo et ecclesia Wladislaviensi, debite et plenarie execucioni demandandas fore, et execucioni debite demandamus, dictamque appellacionem, a sentencia prefati domini Johannis de *Mella* interpositam, fuisse et esse desertam, litterasque executoriales sub sigillo nostro necessarias et opportunas desuper eciam iuxta formam commissionis apostolice, nobis desuper pro parte dictorum domini Episcopi et ecclesie Wladislaviensis presentatas, decernendas fore et decernimus, opposicionesque, molestaciones et impedimenta, per dictos consules, proconsules et universitatem prefati opidi *Gdanczk*, adversarios, ut premittitur, fuisse et esse temeraria, illicita et de facto presumpta, ipsisque Consulibus, proconsulibus et universitati, adversarijs, super illis perpetuum silencium imponendum fore et imponimus, dictosque Consules, proconsules et universitatem in expensis, in huiusmodi causa propterea coram nobis legittime factis, condempnandos fore et condempnamus: quarum expensarum taxacionem nobis in posterum reservamus. Que omnia et singula vobis omnibus et singulis supradictis intimamus, insinuamus et

notificamus, ac ad vestram et cuiuslibet vestrum noticiam deducimus et deduci volumus per presentes: vosque omnes et singulos supradictos, et vestrum quemlibet in solidum, ac alios, quorum interest vel intererit, comuniter vel divisim, tenore presencium requirimus et monemus primo, secundo, tercio et peremptorie; vobisque nichilominus, et vestrum cuilibet, in virtute sancte obediencie, et sub infrascriptis sentenciarum penis districte precipiendo mandamus, quatinus infra sex dierum spacium, post presentacionem seu notificacionem presencium, vobis seu alteri vestrum super hoc factam, et postquam pro parte dicti domini Episcopi et ecclesie Wladislaviensis fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, immediate sequentes, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos dies vobis omnibus et singulis supradictis pro tercio et peremptorio termino ac monicione canonica assignamus, prenominatos Consules, proconsules, opidanos et universitatem, coniunctim et divisim, requiratis et moneatis primo, secundo tercio et peremptorie, eisque nichilominus in virtute sancte obediencie, et sub penis infrascriptis districte precipiendo mandetis: prout nos eciam ipsos tenore presencium requirimus et monemus, ac eis mandamus: quatinus infra sexaginta dierum spacium, post requisicionem seu monicionem vestras huiusmodi immediate sequencium, quorum sexaginta dierum viginti pro primo, viginti pro secundo, et reliquos viginti dies pro tercio et peremptorio termino et monicione canonica eisdem proconsulibus, consulibus, opidanis et comunitati assignetis, prout et nos eciam sic assignamus eisdem, prefato domino Episcopo, aut procuratorj seu sindico suo, ad id sufficiens mandatum habentj, prefata quinque milia (sic) sexagena (sic) grossorum latorum, in quibus per prefatum dominum Johannem de *Mella,* ut premittitur, condempnati sentencialiter existunt, iuxta prefate sentencie formam et tenorem, libere dent, tradant et assignent cum effectu, aut se super premissis cum eodem domino Episcopo Wladislaviensi seu eius procuratore amicabiliter concordent et componant. Quod si forte premissa omnia et singula non adimpleveritis seu aliquis vestrum non adimpleverit, seu non adimpleverint proconsules, consules, opidani et universitas prefati, ac mandatis ac monicionibus nostris huiusmodi, ymmo verius apostolicis, non parueritjs, paruerit, seu non paruerint realiter et cum effectu, Nos in vos omnes et singulos, et alios quoscumque, qui in premissis culpabiles fueritis,

fuerit aut fuerint, aut dicto domino Episcopo seu procuratorj suo impedimentum aliquod prestiteritis, prestiterit seu prestiterint, vel impediendo huiusmodi dederitis auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quesito colore, nec non in contradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel condicionis existant, salvo (sic) moderacione infrascripta, singulariter in singulos, ac presertim in prefatos proconsules, consules et opidanos excommunicacionis, in universitatem vero dicti opidi *Gdanczk*, suspensionis a divinis, sentencias ferimus in hijs scriptis, et eciam promulgamus.

Et si forsan, quod non credimus, prefati proconsules, consules, opidani et universitas opidi *Gdanczk*, aut alijs (sic) contradictores et rebelles in hac parte, huiusmodi nostris processibus et mandatis, in terminis prefatis, non paruerint, dictas excommunicacionis et suspensionis sentencias incurrendo, extunc vos omnes et singulos supradictos, et presertim ecclesiasticas personas et vestrum quemlibet requirimus et monemus primo, secundo, tercio et peremptorie, vobis et vestrum cuilibet in virtute sancte obediencie, et sub infrascriptis penis districte precipiendo mandamus, quatinus singulis diebus dominicis et festivis, in vestris ecclesijs, monasterijs et cappellis, ubi, quando et quociens opus fuerit, ac requisiti fueritis seu alter vestrum fuerit requisitus, infra missarum sollemnia, prefatos consules, proconsules et opidanos, aliosque contradictores et rebelles, sic excommunicatos, ac universitatem dicti opidi *Gdanczk*, a divinis suspensarj, et ab alijs faciatis publice nunciarj, donec et quousque beneficium absolucionis super premissis meruerint obtinere, aut aliud a nobis, vel superiorj nostro, habueritis in mandatis.

Si vero prefati proconsules, consules, opidani et universitas denunciacionem huiusmodi per decem dies sustinuerint, extunc processus nostros aggravare volentes, vobis omnibus et singulis supradictis, et alijs Christi fidelibus, ad quorum noticiam presentes nostre littere pervenerint, committimus et mandamus, quatinus singulis diebus dominicis et festivis, infra missarum et aliarum horarum ecclesiasticarum sollemnia, dictam denunciacionem reiterando et innovando, eosdem proconsules, consules et opidanos excommunicatos, et universitatem dicti opidi a divinis suspensam, ut prefertur, campanis pulsatis, candelis accensis in terram proiectis, cruce erecta et religione indicta, aquam benedictam aspergendo ad fugandum demones, qui sic

eos detinent ligatos et suis laqueis cathenatos (sic), orando, quod dominus noster Jesus Christus ipsos ad catholicam fidem et sancte matris ecclesie gremium reducere dignetur, ne eos in tali perversitate dies eorum finire permittat, cum decantacione responsorij: ***Revelabunt celi iniquitates Jude*** etc. et psalmi: ***Deus laudem meam ne tacueris*** etc. cum antiphona: ***Media vita*** etc. una cum clericis et parrochianis accedentes et [? ut] ad terrorem ipsi sic excommunicati, et a divinis suspensi, eo cicius ad obedienciam redeant, tres lapides versus habitaciones eorum proiciendo in signum malediccionis eterne, quam Deus dedit Dathan et Abiron, quos terra vivos absorbuit: eciam post missam et in vesperis ac in sermonibus publicis sollemniter publicetis et denuncietis, et ab alijs, quantum in vobis fuerit publicarj, et denunciarj, ac ab omnibus Christi fidelibus arctius evitarj faciatis, donec et quousque aliud [a] nobis vel superiorj nostro desuper habueritis in mandatis.

Verum si prefati denunciati et aggravati per alios decem dies, prefatos decem dies inmediate sequentes, prefatas denunciacionem et aggravacionem animis, quod absit, sustinuerint induratis, extunc, processus nostros huiusmodi reaggravando, requiratis et moneatis auctoritate apostolica supradicta, modo et forma premissis, omnes et singulos utriusque sexus homines, Christi fideles, quos nos eciam tenore presencium requirimus et monemus, ac eis et eorum cuilibet in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis pena, quam in eos et eorum quemlibet contrafacientem ferimus in hijs scriptis, districtius iniungatis, prout eciam et nos iniungimus eisdem, et specialiter familiaribus et servitoribus prefatorum denunciatorum et aggravatorum, quatinus infra sex dies post monicionem et requisicionem vestras, et execucionem presencium ipsis factam, immediate sequentes, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos dies vobis universis et singulis supradictis pro tercio et peremptorio termino et monicione canonica assignamus, ipsi fideles ac servitores et quilibet eorum a comunicacione ipsorum denunciatorum et aggravatorum, penitus et omnino desistant, nec cum eisdem denunciatis et aggravatis, aut eorum altero, serviendo, loquendo sedendo, stando, aut bibendo, salutando, hospitando, comedendo, molendo, coquendo cibum, potum, aquam vel ignem ministrando, aut aliquo humanitatis solacio, preterquam in casibus a jure permissis, participare presumant; et si contrarium fecerint seu alter eorum fecerit, nos in eos, et eo-

rum quemlibet sic, ut premittitur, participantes et contrafacientes exnunc prout extunc, dicta sex dierum monicione canonica premissa, excommunicacionis sentenciam ferimus in hijs scriptis et eciam promulgamus. Et nichilominus vos et singulos supradictos et presertim ecclesiasticas personas, modo et forma premissis, ac sub penis infrascriptis, requirimus et monemus, quatinus singulis diebus dominicis et festivis, prout et quociens expediens fuerit, et fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, in vestris ecclesijs, monasterijs et cappellis, infra missarum et aliarum horarum canonicarum sollemnia, prefatos Christi fideles familiares et servitores, qui cum dictis denunciatis, aggravatis et reaggravatis rebelliter participaverint, excommunicatos publice denuncietis, et ab alijs Christi fidelibus arccius (sic) evitarj faciatis, donec et quousque beneficium absolucionis desuper meruerint obtinere. Volumus autem, et, dicta auctoritate apostolica, omnibus Christi fidelibus precipimus, ac modo et forma premissis mandamus, sub penis et sentencijs infrascriptis, ne aliquis eorum dictis denunciatis, aggravatis et reaggravatis, quamdiu in huiusmodi rebellione perstiterint et obedire non curaverint, super debitis aut alijs negocijs in foro ecclesiastico vel secularj respondere presumat, sed eis, ut premittitur, rebellibus, omnis juris ordo et actus judiciarius precludatur et negetur, nec eorum testimonijs fides adhibeatur: ipsi tamen alijs omnimodo respondere teneantur.

Preterea si prefati denunciati, aggravati et reaggravati per alios decem dies, proxime dictos decem dies inmediate sequentes, postquam constiterit huiusmodi reaggravacionem ad ipsorum noticiam pervenisse, predictas nostras sentencias sustinuerint, ad modum aspidum surdarum aures suas obturancium, ne vocem audiant incantantis, nos enim exnunc prout extunc, lapsis terminis antedictis, civitates, terras, opida, castra, villas, suburbia, et quarumcumque ecclesiarum et monasteriorum collegia et parrochias, et generaliter loca, in et sub quibus dictos denunciatos, aggravatos et reaggravatos, aut eorum alterum morarj, et ad quas, seu que, eos seu eorum alterum declinare contigerit, quamdiu ibidem fuerint seu fuerit eorum alter, in hijs scriptis ecclesiastico supponimus interdicto, mandantes vobis omnibus et singulis, modo et forma premissis, ac sub penis et sentencijs infrascriptis, qualinus extunc, quamdiu dictj denunciati, aggravati et reaggravati, aut eorum aliquis in locis predictis fuerint, cessetis et ab alijs

cessarj faciatis, apertis iannjs, a divinis: quam quidem cessacionem per tres dies continuos, post ipsorum denunciatorum, aggravatorum et reaggravatorum, vel alterius eorumdem recessum, observetis, et ab alijs continuarj faciatis et observarj, ita et taliter, quod, huiusmodi durante interdicto, nulla sacramenta ecclesiastica in et sub ejsdem locis, sub quibus predicti denunciati, aggravati et reaggravati fuerint aut alter eorum fuerit, ministrentur: nisi penitencia et baptismus omnibus indifferenter, eukaristia (sic) infirmis tamen (sic), et matrimonium sine ecclesiastica sollemnitate contrahatur: inibique et sub eisdem locis decedentibus ecclesiastica denegetur sepultura.

Demum si prefati denunciati, aggravati et reaggravati infra alios decem [dies], dictos triginta ultimos dies inmediate sequentes, processibus, mandatis et monicioni nostris huiusmodi, ymmo verius apostolicis, non paruerint cum effectu, quod Deus avertat, nos extunc attendentes, quod mucro (sic) non perficiente ecclesiastico, temporalis gladius non inmerito suffragatur, auxilium brachij secularis duximus invocandum et invocamus, ut, quos timor Dei a malo non revocat, temporalis saltem coherceat severitas discipline: hincque vos serenissimos principes et dominos, Sigismundum Romanorum etc. ac Polonie et Dacie, Reges, dicti gladij vibratores et iusticie zelatores in domino exhortamur, vosque dominos principes, duces, comites, barones, milites, nobiles, justiciarios, judices, Officiales, advocatos, Castellanos, ceterosque officiarum (sic) et terrarum dominos per provincias, civitates et dioceses, et alibi constitutos, requirimus dicta auctoritate et monemus, vobisque et vestrum cuilibet in virtute sancte obediencie, et sub infrascriptis penis districte precipiendo mandamus, quatinus, post lapsum dictorum terminorum, et postquam presens noster processus vobis aut alteri vestrum, in vestris territorijs, jurisdicionibus et districtibus fuerit publicatus, *infra* sex dies, dictos terminos inmediate sequentes, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos dies duos vobis et vestrum cuilibet pro tercio et peremptorio termino ac monicione canonica assignamus, vos omnes et singuli temporales domini antedicti, et quilibet vestrum, quorum omnium super hoc brachij secularis invocamus auxilium, quociens et quando pro parte dicti domini Episcopi fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus in juris subsidium contra prefatos denunciatos, aggravatos et reaggravatos, dicta auctoritate apostolica, per arestacionem bono-

rum quorumcumque suorum, ac capcionem, invasionem, incarceracionem personarum, corporum, rerum et bonorum eorumdem denunciatorum, aggravatorum et reaggravatorum insurgatis et alios insurgere faciatis. Nec non personas, corpora, res et bona eorumdem et cuiuslibet ipsorum capiatis, invadatis, incarceretis et in carceribus teneatis, arestetis et occupetis per vos vel alium seu alios libere et licite: super quibus vobis et cuilibet vestrum licenciam et plenariam auctoritatem concedimus per presentes, dictosque denunciatos, aggravatos et reaggravatos astringatis ita et taliter, et compellatis eciam manu forti usque ad integram satisfaccionem omnium premissorum dicto domino Episcopo impendendam. Quod si forte vos Illustrissimi et serenissimi principes ac domini, domini Sigismundus Romanorum etc. ac Polonie et Dacie, Reges antedicti, executores iusticie presentis nostri processus ac mandatorum nostrorum, ymmo verius Apostolicorum, trangressores, contradictores vel neglectores fueritis: quod tamen vestre serenitatis prefulgide, per totum orbem divulgata, obediencia suspicarj non sinit: procul dubio iudicium iusti judicis offendetis, et premium, alias vobis pro execucione huiusmodi iusticie a deo paratum, nichilominus amittetis. Et licet vos huiusmodi nostris sentencijs infrascriptis sic ligare nolumus, vobis ob reverenciam Regie maiestatis non inmerito deferentes intuitu iusticie, et ob sedis apostolice reverenciam, vestras serenitates ad prefatam execucionem efficacem adimplendam, prout ad ipsas spectat et pertinet, in domino exhortamur. Si vero vos, Reverendi patres domini Archiepiscopi et Episcopi, duces, comites, barones et alijs (sic) prenominati tam ecclesiastici, quam seculares predictis nostris, ymmo verius apostolicis, mandatis non parueritis, seu alter vestrum non paruerit realiter et cum effectu, aut aliquid in contrarium feceritis, seu aliquis vestrum fecerit, nos in vos omnes et singulos supradictos, tam ecclesiasticas quam seculares personas, qui in premissis aut aliquo premissorum quoquomodo culpabiles fueritis, aut predicto domino Episcopo impedimentum prestiteritis, quominus omnia et singula suum debitum sorciantur effectum, et impedientes, dantes auxilium, consilium vel favorem, (et generaliter in omnes et singulos in hac parte contradictores et rebelles, excommunicacionis), in capitula vero et conventus in hijs delinquencia, suspensionis a divinis, et in quascumque ecclesias, civitates, opida, castra, universitates, villas et districtus, nec non monasteria

et alia loca inobediencium et rebellium, interdicti sentencias, exnunc prout extunc, ferimus in hijs scriptis et eciam promulgamus: vobis vero reverendis patribus dominis archiepiscopis et Episcopis supradictis, quibus ob reverenciam vestrarum pontificalium dignitatum in hac parte duximus deferendum, si contra premissa vel aliquod premissorum feceritis per vos vel submissas personas, dicta sex dierum monicione canonica premissa, ingressum ecclesie interdicimus in hijs scriptis. Et si huiusmodi interdictum per alios sex dies, prefatos sex dies inmediate sequentes, sustinueritis, vos, simili monicione previa, in eisdem scriptis suspendimus a divinis; verum si prefatas interdicti et suspensionis sentencias per alios sex dies, prefatos duodecim dies inmediate sequentes, animis, quod absit, sustinueritis induratis, vos, simili monicione premissa, exnunc prout extunc, in hijs scriptis excommunicacionis sentencia innodamus.

Ceterum cum ad execucionem ulteriorem in presenti negocio faciendam nequeamus, quo ad presens, pluribus alijs arduis in Romana curia negocijs prepediti, presentes et personaliter interesse, universis et singulis dominis Abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, scolasticis, cantoribus, Custodibus, Thezaurarijs, Sacristis, succentoribus, tam Kathedralium quam Collegiatarum Canonicis, parrochialiumque ecclesiarum rectoris bus seu locatenentibus eorumdem, ac alijs personis ecclesiasticis predictis, super ulteriorj execucione dicti mandati apostolici atque nostri facienda, tenore presencium committimus vices nostras, donec eas ad nos duxerimu- revocandas, quosque et eorum quemlibet tenore presencium requirimus et monemus primo, secundo, tercio et peremptorie, eisque nichilominus et eorum cuilibet in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis pena, quam in eos et eorum quemlibet ferimus in hijs scriptis, nisi fecerint quod mandamus, districte precipiendo mandantes, quatinus ipsi et eorum quilibet, qui pro parte dicti domini Episcopi super hoc fuerint requisiti seu fuerit requisitus, infra trium dierum spacium, post requisicionem huiusmodi, quos ipsis et eorum cuilibet pro omnibus dilacionibus ac monicione canonica assignamus, presentem nostrum processum, ac omnia et singula in eis contenta, vobis dominis Regibus, archiepiscopis, Episcopis, Principibus, et alijs quibuscumque, quibus ijdem (sic) noster processus dirigitur, presentent, legant, intiment, insinuent, ac presentarj, legi, intimarj, insinuarj et publicarj

fideliter procurent, aliasque debitam execucionem de premissis faciant iuxta supradicti nostri processus continenciam et continenciam (sic) et tenorem. Presentem quoque nostrum processum volumus penes dictum dominum Episcopum vel procuratorem suum remanere et non per vos aut quemcumque alium, ipsis invitis, quomodolibet detinerj: contrarium vero facientes prefatis nostris sentencijs, prout in scriptis late sunt, ipso facto volumus subiacere. Mandamus tamen copiam fierj de premissis, eam petentibus et habere debentibus, petencium quidem sumptibus et expensis. Absolucionem vero omnium et singulorum, qui prefatas nostras sentencias aut earum aliquam incurrerint sive incurrerit quoquomodo, nobis vel superiorj nostro tantummodo reservamus.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum, presentes litteras sive presens publicum instrumentum, huiusmodi nostrum processum executorialem in se continentes sive continens, exinde fierj, et per notarium publicum, nostrumque et huiusmodi coram nobis scribam infrascriptum subscribi et publicarj mandavimus, nostrique sigilli iussimus et fecimus appensione communirj. Data et acta ac lecta et lata, ac in scriptis promulgata fuit supradicta ultima sentencia per nos Johannem Cardinalem Judicem et comissarium ac executorem prefatum *Rome*, in domibus nostre solite residencie, nobis inibi, hora vesperorum consueta, ad jura reddenda, in loco nostro solito, pro tribunali sedentibus, sub anno a nativitate domini millesimo CCCC^{mo} tricesimo secundo, indiccione decima, die vero veneris decima nona mensis Septembris, pontificatus prefati domini nostri domini Eugenij, divina providencia Pape anno secundo, presentibus ibidem discretis viris, dominis: Magistro Nicolao Spiczmer, Gerardo Clepper, et Petro Perotas, pallacij causarum Apostolici predicti Notarijs, clericis Cracoviensis Civitatis ac Coloniensis et Lodevensis (sic) diocesarum, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Subscripcio vero notarij presenti processui subscripti continebatur in hec verba: Et ego Angelus Johannis de *Rachneto*, publicus Apostolica et Imperiali auctoritate Notariatus Notarius (sic), Reverendissimi quoque in Christo patris domini Johannis Cardinalis et executoris prefati cause huiusmodi coram eo scriba, qui processus executorialis huiusmodi peticioni et decreto, ultimeque sentencie predicte prolacioni presens fui, eaque sic fierj vidi et audivi, aliaque suprascripta in actis cause huiusmodi ita esse repperj (sic) et inveni, ideo presens publicum instrumentum per alium fidelem

scriptum, me alijs occupato negocijs, exinde confeci, subscripsi et publicavi, signoque et nomine meis solitis et consuetis, una cum appensione sigilli dicti domini Cardinalis et executoris, signavi rogatus et requisitus in fidem singulorum premissorum.

In cuius quidem processus executorialis inferiorj margine, in signum debite execucionis, scripta erant hec verba: Anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo tercio, die solis octava mensis Marcij, alias in dominica Reminiscere, infra vel quasi missarum sollemnia, in Choro ecclesie kathedralis Poznaniensis, ego Andreas, rector ecclesie parrochialis in *Pobanovicze* (²), Wladislaviensis diocesis, et vicarius perpetuus in predicta ecclesia Poznaniensi, alta et intellegibili (sic) voce, coram multitudine populi, tunc ad divina congregatj, requisitus monui proconsules, consules, opidanos et universitatem opidi *Gdanczk*, iuxta formam et tenorem presentis processus, sigillo ebdomadariatus in testimonium subappenso: quod quidem sigillum dicte execucioni in pensula pargameni subappensum erat in toto de comuni cera, in cuius sigilli medio ymago beati Petrj clavem in manu dextera deferens cernebatur, littere vero circumferenciales oppresse (sic) legi non poterant in sigillo predicto.

Qua quidem prenominati Reverendi in Christo patris domini Wladislai, Episcopi Wladislaviensis predicti requisicione iusta attenta et consona racioni, predictas litteras executoriales transscripsi, transsumpsi, copiavi, et earumdem copiam in publicam formam redegi, ac in publica documenta confeci. Acta sunt hec anno, indiccione, pontificatu, die, mense, hora et loco, quibus supra. Presentibus ibidem venerabilibus et discretis viris, dominis: Johanne de *Thwardowo*, Archidiaeono Sremensi, in ecclesia Poznaniensi, et Simone de *Gansawa*, Rectore ecclesie in *Slawsko*, testibus circa premissa.

(S. N.) Et ego Johannes Nicolai de *Strzelcze* (³), clericus Gneznensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate notarius: Quia predictis requisicioni, transsumpti peticioni presens interfui, una cum testibus prenominatis, eaque omnia et singula premissa sic fierj vidi et audivi, ideo presentes exe-

(²) *Pabianice* hodie oppidum territorii Siradiensis, regionis vero Brestensis.

(³) *Twardowo* villa territorii Posnaniensis; *Gązawa* et *Sławsk* villae jam descriptae. Plures sunt villae *Strzelcze* in territorio Posnaniensi sitae.

cutoriales processus transsumpsi, copiavi, copiatosque manu propria in hanc publicam formam redegi, signo et nomine meis solitis et consuetis consignando, in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum rogatus et requisitus, nichil addendo nec minuendo, quod substanciam facti mutaret, aut saltem intellectum variaret.

CCCLXXXV.

Gnesnae, anno 1433 die 31 mensis Martii.

Decima villae *Miroslawice*, de cujus dominio lis orta erat inter capitulum ecclesiae S. Mariae Lanciciensis, atque praepositum ejusdem ecclesiae, capitulo adjudicatur (1).

In nomine domini, amen. Nos Johannes decanus ecclesie gneznensis, judex de consensu parcium infrascriptarum assumptus, et commissarius per reuerendissimum in Christo patrem et dominum, dominum Albertum, dei gracia sancte gneznensis ecclesie archiepiscopum et primatem, ad infrascripta specialiter deputatus. Notum facimus, quibus expedit uniuersis tam presentibus quam futuris, presencium noticiam habituris: Quomodo alias (2) in causa vertente inter wenerabiles viros, dominos: Wladislaum de *Opporow*, decretorum doctorem prepositum ab una, ac Sandiuogium decanum et capitulum ecclesie collegiate sancte Marie Lanciciensis parte ex altera, super questionibus, displicencijs et controuersijs occasione ville *Miroslawicze*, et super ipsa villa, in terra lanciciensi prope *Luthomirsko* sita (3), nec non decima manipulari in eadem dudum habitis et exortis, per nostram arbitralem sentenciam, talem inter ipsos, de consensu ipsorum specialiter mutuo, amicabilem concordiam fecerimus et unionem: quod capitulum lanciciense habebit et habere debet predictam villam *Miroslawicze*, prout est ipsis (sic) per Magistrum Strzeskonem, canonicum poznaniensem, tamquam arbitrum et amicabilem compositorem adiudicata, una cum decima manipulari in ea perpetuis temporibus in proprietatem. Memoratus autem dominus

(1) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nro 1548 descriptum. Sigilli abrupti superest nonnisi funiculus sericus coloris rubri et viridis.
(2) Vid. tabula CCCLXIV anni 1423 p. 393.
(3) *Lutomiersk* oppidum territorii Siradiensis, regionis Szadkoviensis.

Wladislaus prepositus eandem villam cum decima ex parte capituli predicti tenebit in arendam, quoadusque prepositus ipsius ecclesie lanciciensis fuerit: soluendo capitulo pro annua pensione de ea, et pro decima singulis annis septem marcas in moneta currenti, et numero polonicali in certis terminis, in huiusmodi concordia descriptis per nos sibi et deputatis. Verum quia in predicta concordia per nos exceptum specialiter et reservatum extitit: Quod si dictus dominus Wladislaus prepositus infra decursum unius anni probare potuisset per testes ydoneos, aut literas, seu quascumque probaciones alias coram nobis, fuisse et esse de proprietate sue prepositure dictam decimam, extunc ipse prepositus, et sua prepositura, eandem decimam in proprietatem haberet et habere deberet temporibus in ewm duraturis, et de unica sola villa predicta soluere deberet capitulo quinque marcas, sic, ut premittitur, singulis annis pro annua pensione: prout hec omnia in literis confirmacionis et ratificacionis prefati reuerendissimi in Christo patris domini Archiepiscopi, ipsius sigillo sigillatis, manuque Andree Bogussij de *Crosyno* subscriptis et publicatis plenius continetur. *Tandem vero literas comissionis* dicti domini Alberti Archiepiscopi gneznensis et primatis sanas, saluas, integras, non viciatas, non cancellatas, omnique prorsus vicio et suspicione carentes, eius vero sigillo subimpresso sigillatas, pro parte wenerabilis viri domini Wladislai, prepositi lanciciensis predicti, nobis presentatas cum ea, qua decuit, reuerencia recepimus. Quarum tenor sequitur in hec verba:

Albertus, dei gracia sancte gneznensis ecclesie Archiepiscopus et primas, wenerabili viro domino Johanni, decano eiusdem ecclesie nostre gneznensis, salutem in domino. Cum, sicut ex scriptis vestris accepimus, et experimentali noticia cognouimus, quod in causa vertente inter wenerabiles, nobisque in Christo dilectos dominos, Wladislaum prepositum ab una, et capitulum ecclesie lanciciensis, super decima in *Miroslauicze* parte ex alia, ipse prepositus produccioni testium coram uobis, et vos recepcionem (sic) eorumdem, iuxta comissionem vobis per nos factam vaccare quoquomodo non potuistis ex causis arduis, et presertim ipse prepositus toto fere tempore, sibi ad hoc dato, in remotis extra diocesim et Regnum, inter clades hostiles et turbines pro commodo reipublice huius Regni agens, non potuit comode interesse; ideoque terminum eidem domino preposito pro produ-

cendis testibus et alijs probacionibus in causa decime predicte duximus prorogandum, et prorogamus per presentes infra hinc et festum Philippi et Jacobi apostolorum nunc affuturum. Mandamus igitur vobis, quatenus vocatis ad vestram presenciam testibus, quos prefatus dominus prepositus ad probandum suam intencionem inducere voluerit, ipsos, prestitis primitus per eos de dicenda veritate corporalibus iuramentis, recipiatis, et, ipsorum testium deposicionibus conscriptis ac probacionibus alijs receptis, ne de jure dicte decime dubitetur diucius, quod iustum fuerit: seruata tamen concordia super huiusmodi decima habita: decernatis, facientes, quod decreueritis, per censuram ecclesiasticam a partibus firmiter obseruari. Testes v(ero, qui) nominati fuerint, si se gracia, odio uel fauore subtraxerint, censura simili cogatis ve(ritatis) testimonium perhibere. Datum in villa Bnijnij prope *Pyotrkow*, sabbato ipso die . . . . cie virginis, anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo secundo, nostro sub sigillo.

Quibus quidem comissionis literis nobis presentatis, ac per nos receptis, pro parte prefati domini Wladislai, prepositi lanciciensis, fuimus cum debita instancia requisiti, quatenus ad execucionem predictarum commissionis literarum procedere, et literas citacionum necessarias contra et aduersus wenerabiles decanum ac capitulum lanciciense decernere digneremur (sic); quas sibi fieri decreuimus, ac prefatos dominos decanum et capitulum lanciciense ad certum fecimus terminum euocari competentem, certis die et loco ad dicendum et opponendum, si quid contra huiusmodi comissionem nobis durectam (sic) dicere aut opponere vellent verbo uel in scriptis, eisdem assignatis. Quo termino veniente, discreto Nicolao de *Wanglczewo* (4), procuratore et procuratorio nomine prefati wenerabilis viri domini Wladislai, prepositi lanciciensis, de cuius procuracionis mandato facta est plena fides per legittima documenta, et wenerabilibus dominis: Sandiuogio decano, Nicolao cantore, et Jacobo Morakowsky canonico, lanciciensibus, nomine capituli lanciciensis circa ecclesiam lanciciensem collegiatam, in curia archiepiscopali in huiusmodi causa nobis presidentibus, judicialiter comparentibus, comissionemque huiusmodi hincinde approbantibus, prefatus Nicolaus de *Wanglczewo*, procurator predicti domini prepositi, petiuit

(4) *Wąglczew* villa territorii et regionis Calissiensis.

certas citacionum literas necessarias contra certas personas et testes decerni ad probandum: proprietatem dicte decime in *Miroslawicze* ad predictum dominum prepositum et preposituram suam pertinere et spectare debere. Quibus citacionum literis decretis contra testes, per predictum Nicolaum procuratorem prefati domini prepositi inducendos, terminum eisdem assignauimus compettentem (sic). Quo termino veniente, prefatus Nicolaus, nomine prefati domini prepositi, testes, quos in huiusmodi causa habere voluit, induxit. Quibus testibus, receptis ab ipsis primitus de dicenda veritate, tactis manibus ipsorum dominice passionis ymaginem, et prestitis in manibus nostris corporalibus iuramentis, per nos diligenter examinatis, ipsorumque dictis ac deposicionibus fideliter conscriptis, nec non omnibus et singulis actis, juribus, scripturis, in huiusmodi causa pro parte predicti domini Wladislai prepositi productis, visis et reuisis, ac diligenter auscultatis: inter nos matura deliberacione prehabita, equaque lance iusticie discussis, communicato eciam super eis juris peritorum consilio, ad nostram sentenciam diffinitiuam processimus, quam, partibus hincinde pettentibus (sic), in scriptis tulimus et pronuncciauimus, ac ferimus et pronuncciamus huiusmodi sub tenore:

Christi nomine inuocato, pro tribunali sedentes, et ipsum solum pre oculis habentes, matura nobiscum deliberacione prehabita, et de juris peritorum consilio, quibus de hijs relacionem plenariam fecimus et fidelem, ac per ea, que in presenti causa vidimus et cognouimus, per hanc nostram sentenciam diffinitiuam, quam in hijs scriptis ferimus, pronuncciamus, decernimus et declaramus: prefatos wenerabiles viros dominos decanum et capitulum ecclesie sancte Marie lanciciensis, gneznensis diocesis, ab inpeticione prefati reuerendi patris domini Wladislai de *Opporow*, decretorum doctoris, prepositi eiusdem ecclesie lanciciensis, sancte sedis apostolice prothonotarij, super dicta decima omnium fructuum et prouentuum ex agris ville *Miroslawicze* dicte diocesis, absoluendos fore et absoluimus. Ipsi eciam domino preposito lanciciensi super inquietacionibus, molestacionibus, ac impedimentis, pro huiusmodi decima et eius occasione eisdem dominis, capitulo lanciciensi et per eum prestitis, ac super ipsa decima silencium perpetuum imponentes. Lecta, lata et in scriptis pronuncciata est hec nostra sentencia diffinitiua per nos Johannem decanum gnesnensem, judicem

receptum et commissarium circa ecclesiam lanciciensem collegiatam sancte Marie, in curia archiepiscopali, sub anno domini a natiuitate eiusdem millesimo quadringentesimo tricesimo tercio, ultima die mensis Marcij, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini, domini Eugenij, diuina prouidencia pape quarti anno ipsius tercio, indicione undecima, hora vesperorum, vel quasi. Presentibus wenerabilibus et discretis viris, dominis: Andree de *Crosyno*, vicecancellario prefati domini Alberti Archiepiscopi gneznensis, Jacobo de *Brzesyny*, perpetuis vicarijs ecclesie lanciciensis predicte, Nicolao Lanczbarg altarista sancti Andree Lanciciensis parrochialis, Thoma Przibislai de *Solcza*, notarijs publicis, et strenuo milite domino Jacobo de *Besbij*, armigero gneznensis diocesis, testibus ad premissa. In quorum omnium fidem et testimonium premissorum, presentes literas, nostram sentenciam arbitralem in se continentes, per Gregorium Pauli de *Myleijow*, notarium publicum, causeque huiusmodi coram nobis scribam infrascriptum, subscribi et publicari, nostrique sigilli appensione iussimus communiri.

(S. N.) Et ego Gregorius Pauli de *Myleyow*, clericus gneznensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, et coram prenominato domino Johanne, decano gneznensi et judice cause presentis, scriba predicte sentencie diffinitiue prolacioni et in scriptis pronuncciacioni presens interfui, eaque sic fieri vidi et audiui, sed alijs occupatus negocijs per alium fideliter scribi procuraui, me quoque hic manu propria subscribens in hanc publicam formam redegi, signo et nomine meis solitis et consuetis una cum appensione sigilli prefati domini Johannis decani et judicis consignando, in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum. Constat michi Notario suprascripto de illis quatuor diccionibus in margine scriptis, videlicet: *tandem vero literas commissionis*, quod factum est non vicio, sed errore in quarta decima linea a principio sita.

FINIS TOMI SECUNDI,
PARTIS PRIORIS.